K 20

Bulzano

F-
256.241
B 940

Ad usum FF. Minorum

Conventus S. Barbarae

FRANCISCAN
CONVENT
SANTA BARBARA, CAL.

EXPOSITIO

REGULAE FF. MINORUM

S. P. FRANCISCI ASSIS.

EX DECLARATIONIBUS ROMANORUM PONTIFICUM, S. BONAVENTURA,
ALIISQUE PROBATIS AUCTORIBUS CONGESTA

A

R.^MO P. ALBERTO A BULSANO

ORDINIS MINORUM SANCTI FRANCISCI CAPUCCINORUM
DEFINITORE GENERALI, ETC.

EDITIO NOVISSIMA

QUAMPLURIBUS DECRETIS ET ADNOTATIONIBUS AUCTA

JUSSU

R.^MI P. BERNARDI AB ANDERMATT

TOTIUS ORD. FF. MIN. CAP. MINISTRI GENERA

#12,736

Property of
CBF
Please return to
Graduate Theological
Union Library

CONVENT
SANTA BARBARA, CAL.

MEDIOLANI
EX TYPIS SERAPHINI GHEZZI
Via Manzoni, Vic. Facchini, N. 6.

1889.

FACULTAS

REVERENDISSIMI PATRIS GENERALIS

NOS

Fr. VENANTIUS A TAURINO

TOTIUS ORDINIS F. F. MINORUM S. FRANCISCI CAPUCINORUM
MINISTER GENERALIS (L. I.)

Cum opus, cui titulus est: *Expositio S. Regulae Fratrum Minorum* a Reverendissimo P. Alberto a Bulsano Capucino, Provinciae Tirolensis alumno, antiquo Theologiae Professore, ac Definitore Generali elaboratum, duo ejusdem Ordinis Nostri Theologi, quibus id commisimus, recognoverint, et in lucem edi posse probaverint, facultatem facimus, ut typis mandetur, si iis, ad quos pertinet, ita videbitur. Cujus rei gratia has litteras manu nostra subscriptas, et Sigillo Officii nostri munitas dedimus.

Romae ex SS. Immacul. Conceptionis nostro Coenobio die 18 Nov. 1848.

Fr. VENANTIUS, *qui supra.*

(L. S.)

APPROBATIO

DUORUM THEOLOGORUM ORDINIS

Perlegi cum attentione opus manuscriptum, scilicet *Expositionem S. Regulae Fratrum Minorum,* auctore Reverendissimo Patre Alberto a Bulsano Tirolensi Capucino p. t. Definitore Generali. Quod cum non solum nihil contineat sanae doctrinae contrarium, sed potius spiritum pietatis et sancti studii regularis observantiae ubique manifestet, occurentesque quaestiones et difficultates clare et solide pertractet: hinc equidem illud opus omnibus Religiosis ejusdem S. Regulae professoribus, et specialiter *Capucinis* utilissimum et prelo dignissimum censeo.

Romae in nostro SS. Concept. de Urbe Conventu die 17 Novembris 1848.

Fr. Joannes Mar. a Ratisbona
Capucinus Def. gen. indignus.

Ex commissione R.^{mi} P. Venantii ab Augusta Taurinorum Generalis Ministri totius Ordinis Capucinorum, ego infrascriptus attente perlegi, et, ea qua potui diligentia, examinavi *Brevem Seraphicae Regulae F. F. Minorum interpretationem* a Rev.^{mo} P. Alberto a Bulsano Definitore Generali Capucino expositam, eamque optimis disciplinis refertam, et legis textui consonam reperi; nihilque, quod non sit Fidei Catholicae et Ethicae Christianae accommodum inveni. Hinc in lucem publicam proferri posse, et maxime omnibus profuturam fore dijudico. In quorum etc.

Romae e Coenobio Capucinorum SS. Immac. Conceptionis XII. Kalend. Decembr. 1848.

Fr. Cherubim a Ligurnetto
Definitor Gener. Cap. l. i.

DECRETUM

NOS

Fr. BERNARDUS AB ANDERMATT

TOTIUS ORDINIS FRATRUM MINORUM S. FRANCISCI CAPUCCINORUM

MINISTER GENERALIS (l. i.)

Praesentium virtute ordinamus, ut opus, cui titulus: **Expositio Regulae FF. Minorum S. P. Francisci Assis.**, a R.^{mo} P. Alberto a Bulsano Capuccino, Definitore Generali, et Provinciae Tirolis septentrionalis Definitore ac S. Theologiae Lectore, olim elaboratum, in hac novissima autem editione quamplurimis Decretis et Adnotationibus jussu Nostro auctum, et a duobus Ordinis Nostri Theologis, quibus id commisimus, examinatum, approbatum et commendatum, servatis aliunde servandis, typis mandetur.

Castri Bononiensis, in S. Visitatione, die Stigm. S. P. N. Fr., 17 Septembris 1889.

Fr. BERNARDUS AB ANDERMATT
qui supra.

(L. S.)

Datum Mediolani die S. Theclae, 24 Septembris 1889
Ex aedibus canonicalibus.

ADMITTITUR

Pro Ill.^{mo} et Rev.^{mo} D. D. Archiepiscopo
Sac. Joseph Del Corno, Can. Ord.
Censor Ecclesiasticus.

ADTESTATIONES THEOLOGORUM ORDINIS

Ex commissione R.mi P. Bernardi ab Andermatt, totius Ordinis Capucinorum Ministri Generalis, perlustravi novam editionem operis: « *Expositio Regulae FF. Minorum S. P. Francisci Assis.* a R.mo P. Alberto a Bulsano, Ord. Capucin. Definitore Generali congesta » et attente perlegi Additamenta vel Notas, quibus illa expositio illustrata est, et nulla in praefatis Notis inveni, quae fidei, moribus aut St. Regulae repugnent, imo agnovi utilitatem maximam, quae ex nova editione Expositionis St. Regulae cum memoratis Notis Religiosis nostris obvenire posset.

Notae Expositioni adnexae quamplurimas materias majore praecisione et claritate elucidant; stricte principiis Juris ac Theologiae moralis nituntur, ne principia ascetica cum illis confundantur. Per insertionem et prudentem applicationem novorum Decretorum Pontificiorum atque Ordinationum novissimi Capituli Generalis solvuntur multae quaestiones, ut tanto tutius et exactius praeceptis St. Regulae satisfiat.

Sapienter monent Notae, ne facile judices de peccato vel scandalo, sed attende semper ad locorum, temporum et personarum circumstantias; monent etiam, standum esse ad consulendas Religiosorum conscientias legitimis et a Praelatis probatis Provinciarum usibus, ubi alia deficit agendi regula. Ex toto opere autem elucet pii Auctoris singularis eruditio, prudentia, zelus animarum et fervidum votum, ut Regula Seraphica magis ac magis in dies cognoscatur et perfecte observetur, unde utilissimum judico, ut publicam in lucem prodeat.

Romae, in festo SS. Nominis B. M. V., die 15 *Septembris* 1889.

Fr. FRANCISCUS XAVERIUS AB ILMIMONASTERIO
Ord. Cap. Definitor Gen.

De mandato R.mi P. Bernardi ab Andermatt, Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum Ministri Generalis, attente perlegi novissimam editionem libri a R.mo P. Alberto a Bulsano compositi, cui titulus: « *Expositio Regulae FF. Minorum S. Francisci Assis.* », necnon diligenter examinavi Adnotationes omnes, quibus praefatum opus ditatur et praecipue hodiernae canonicae scientiae conditioni accommodatur; et non solum nihil in illo inveni, quod fidei, moribus ac religiosae disciplinae non esset plane consonum, sed econtra sicut praesertim Adnotationes ad meliorem praedicti operis intelligentiam et utilitatem maxima cum solertia et prudentia opportunissime ordinatas, sic earumdem non paucas omnino necessarias reperi, ut lectores in canonicis facultatibus et hodiernis Apostolicae Sedis Decretis minus periti rectius utiliusque adhiberent sapientes explanationes clarissimi Auctoris, qui e vivis sublatus non amplius potuit operis sui necessariae additioni et perfectioni incumbere.

Quapropter nihil obstare censeo, quominus opus tam eximium publici juris fiat, illudque omnibus Ordinis Minoritici Clericis et Sacerdotibus maximopere commendandum judico.

Datum Romae, in festo Nativitatis B. M. V.
die 8 *Septembris* 1889.

Fr. FULGENTIUS A GOSSENSASS
Secretarius Gen. Cap. l. i.

PROLOGUS

AD PRAESENTEM EDITIONEM

R.mi P. Alberti a Bulsano in Regulam Seraphicam Expositio, *communi Ordinis plausu recepta, iteratis editionibus inter omnes franciscales diffusa est. Inde ab anno 1848 diversae prodierunt editiones, absque tamen additamentis et explanationibus vel necessariis vel saltem perutilibus, quae praesertim ex novis vel haud sufficienter notis S. Sedis decretis confici poterant. Seraphicae enim Regulae Expositiones, sicut ordinariae institutiones de rebus Moralibus, minus utiles evadunt, si ad praesentem canonicae vel regularis jurisprudentiae statum haud accommodentur. Regula Seraphica substantialiter quidem immutabilis permanet, sed quaestiones, quae occasione Regulae moveri debent, totum jus regulare quodammodo respiciunt, et consequenter, accedentibus novis decretis S. Sedis vel Ordinis, variae occurrunt sententiae ac opiniones, quae modificationem necessario postulant. Et quoniam clarissimus Expositor, morte praeoccupatus, non potuit, ut solent alii Auctores, perfectioni operis in novis editionibus incumbere, et melius explanare nonnulla, quae insufficienter videntur disputata, salva reverentia tanto viro debita, notulis hinc inde ornare curavimus totam Expositionem, ad communem Confratrum utilitatem. In aliquibus Auctore mitiores, in aliis severiores fuimus: sed in omnibus sincerissimi veritatis amatores. Expositio Regulae fran-*

ciscalis est quasi Theologia Moralis franciscalium, ac proinde Fratrum illuminatrix et moderatrix esse debet, ne ex conscientia erronea peccatum reputent, quod tale non est, vel Ascetica et perfecta cum Moralibus et praeceptivis confundant. Haec notanda judicamus, praesertim pro confessariis Fratrum, ut recte de reatu inobservantiarum judicent. Omnes autem sanctis precibus et operationibus adeptionem perfectionis seraphicae quaeramus, memores quam justum sit et salutare proprium non mensurare amorem, cum de Dei famulatu et de vocationis cultura peragitur. Impium esset asserere, quod franciscales institutiones hisce temporibus praxi impossibiles evadunt. Ecclesia et Ordo tutamini observantiae Seraphicae Regulae opportunis legibus, imo, ubi ob malitiam temporum opus fuerit, necessariis exceptionibus (regulam confirmantibus) insistunt. Ergo corde et opere mente teneamus paterna monita S.mi D. N. Leonis Pp. XIII, die 11 Maii 1884, ad PP. Vocales novissimi Capituli Generalis: « Caeterum, dilecti filii, proposita vobis Francisci Patris « imagine, ad illius praestantiam, quantum assequi imitatione « potestis, contendite. Summa cura providete, ut in singulis fa- « miliis vestris vigeat illa, quam profitemini, morum sanctitas, « vitae disciplina: quoniam vos estis in praecipuis munerum « gradibus collocati, date operam, ut caeteros, sicut dignitate « anteceditis, ita exemplo praecedatis. Quam ad rem placet « eisdem vos verbis dimittere, quibus Paulus Apostolus ad « christianam virtutem Philippenses hortabatur: Digne Evan- « gelio Christi conversamini... et in nullo terrea- « mini ab adversariis... idem sapiatis, eamdem « charitatem habentes, unanimes idipsum sen- « tientes ».

Romae, in Festo Nativitatis B. M. V. 1889.

LECTORI BENEVOLO

« Religiosae Congregationes », ait Clemens VIII in Constitutione, data Romae anno 1594 tertiodecimo Calendas Julii, « ab insigni sanc-« titate viris Spiritus Sancti afflatu institutae, tantas Ecclesiae Dei « utilitates omni tempore attulerunt, ut ad eas conservandas et restau-« randas Romani Pontifices Praedecessores nostri magnam jure optimo « diligentiam semper adhibuerint; nam cum ea sit humanarum rerum « conditio et natura, ut etiam quae optime fundata et constituta « sunt, partim hominum imbecillitate, partim daemonis astutia pau-« latim deficiant, ac nisi cura pervigili sustententur, in deterius pro-« labantur, idcirco Summorum Pontificum vigilantia magnopere labo-« ravit, ut Regularium Ordinum disciplina aut labefacta in pristinum « restitueretur, aut salutaribus Constitutionibus communita integra « atque incolumis permaneret. » — Eodem spirituale sanctae catholicae Ecclesiae bonum strenue promovendi studio animatus Pius IX, feliciter regnans, Regularium Ordinum reformationi manum admovit, et in Epistola Encyclica, data Romae die 17 Junii anno 1847: « Nos « itaque », ait, « pro summa, qua Ordines ipsos caritate prosequimur, « illustria Decessorum nostrorum exempla aemulantes, ac sapientis-« simis Tridentinorum praesertim Patrum sanctionibus inhaerentes « (Sess. 25. de Regular. et Monial.), pro supremi Nostri Aposto-« latus officio curas, cogitationesque Nostras toto cordis affectu ad « vestras Religiosas Familias eo sane consilio convertere constituimus, « ut si quid in ipsis infirmum sit, consolidemus; si quid aegrotum, « sanemus; si quid confractum, alligemus; si quid perditum, redu-« camus; si quid abjectum, erigamus: quo morum integritas, vitae « sanctitas, regularis disciplinae observantia, litterae, scientiae prae-

« sertim sacrae, ac propriae cujusque Ordinis leges ubique revivi-
« scant, ac magis in dies vigeant et floreant. » — Ad nobilissimum hunc finem promovendum Sanctitas Sua specialem S. R. E. Cardinalium Congregationem instituit, quam *de statu Regularium Ordinum* nominavit; praeterea autem in ejusdem operis consortium etiam Regularium Ordinum Praelatos et Superiores advocat, et vehementer in Domino monet, ut totis viribus regularis disciplinae observantiam inter suos promovere conentur. — Ast ad Regularium Ordinum reformationem maxime necessarium est, ut Religiosi Regulam probe sciant ac intelligant, juxta quam vitam suam instituere obligantur. Id praecipue de Regula S. P. N. Francisci dicendum est, quae non pauca gravia praecepta continet, circa quae variae quaestiones et difficultates moveri solent. Exstiterunt equidem a Seraphici Ordinis primordiis doctissimi et piissimi viri, qui minoriticam Regulam explanarunt, et quaestiones ac difficultates enodarunt. Istorum autem expositiones, praeterquam quod eorum exemplaria temporum injuria rariora facta sint, saeculo nostro non satis accommodatae videntur, praesertim quia multa recentiora tum Romanorum Pontificum Decreta, tum Capitulorum generalium Statuta et decisiones in illis desiderantur. In Italia tantum etiam saeculo praecedenti praeclarae seraphicae Regulae expositiones prodierunt, quae autem utpote italico sermone exaratae Provinciis exteris parum commodi attulerunt. Idcirco non parvae utilitatis, vel etiam necessitatis mihi esse videbatur, ut brevis seraphicae Regulae expositio ex antiquioribus et recentioribus interpretibus congesta latino idiomate exararetur, qua aliarum quoque nationum Familiae seraphicae uti possint. — Hac mente ad arduum opus manum admovi, nihil aliud desiderans, quam ut susceptus labor praecipue in Capuccinorum in Germania existentium commodum cedat, et gloria Dei, decor Ordinis, et salus animarum promoveatur.

Romae in Festo S. Francisci 1848.

INDEX

Facultas R.mi P. Generalis Venantii a Taurino . . . . . *Pag.* III
Approbatio duorum Theologorum Ordinis . . . . . » IV
Decretum Rev.mi P. Generalis Bernardi ab Andermatt . . . » V
Facultas Curiae Archiepiscopalis Mediolan. . . . . » »
Adtestationes Theologorum Ordinis . . . . . » VI
Prologus ad praesentem editionem . . . . . » VII
Lectori benevolo . . . . . » IX
Index . . . . . » XI

*

§ 1. *Introductio* . . . . . » 1
§ 2. I. De seraphicae Regulae excellentia . . . . . » 2
§ 3. II. » » » expositione . . . . . » 4
§ 4. III. » » » cognitione debita . . . . . » 7
§ 5. IV. » » » observantia . . . . . » 10

Caput I.

§ 6. Prologus Regulae . . . . . » 17
§ 7. *Articulus I.* De S. Evangelio observando . . . . . » »
§ 8. I. De Spiritu seraphicae Regulae . . . . . » 19
§ 9. II. De obligatione tendendi ad perfectionem . . . . . » 24
§ 10. *Articulus II.* De obedientia praestanda . . . . . » 27
§ 11. I. Romano Pontifici, et Ecclesiae Romanae . . . . . » 28
§ 12. II. S. Francisco, et ejus Successoribus . . . . . » 32

Caput II.

§ 13. De iis, qui volunt vitam istam accipere et qualiter recipi debeant » 33
§ 14. *Articulus I.* De Novitiorum receptione . . . . . » 34
§ 15. I. De officiis Fratrum erga Candidatos . . . . . » »
§ 16. II. De Novitios recipiendi potestate . . . . . » 38
§ 17. III. De conditionibus pro receptione Novitiorum requisitis . » 40
§ 18. A. a sacra Regula . . . . . » 41
§ 19. B. a lege divina, et naturali . . . . . » 44
§ 20. C. a sacris Canonibus, et Constitutionibus Ordinis . . . » 48

§ 21. *Articulus II.* De Novitiorum probatione . . . . . *Pag.* 54
§ 22. I. De dispensationibus circa bona Novitii faciendis . . » 55
§ 23. II. De modo Novitios vestiendi . . . . . » 63
§ 24. III. De spirituali Novitiorum educatione . . . . . » 68
§ 25. *Articulus III.* De probatorum Professione . . . . » 75
§ 26. I. De votis ante Professionem sumendis . . . . . » 76
§ 27. II. De Professione religiosa . . . . . » 83
§ 28. III. De perpetuitate Professionis, et de Apostasia . . . » 90
§ 29. *Articulus IV.* De Fratrum professorum vestimentis . . . » 99
§ 30. I. De habitu Fratrum professorum in genere . . . . » »
§ 31. II. De usu calceamentorum . . . . . » 107
§ 32. III. De vestimentorum vilitate . . . . . » 110
§ 33. IV. De vestibus Fratrum repetiandis . . . . . » 113
§ 34. V. Monitum salutare . . . . . » 115

Caput III.

§ 35. De Officio divino, et jejunio, et quomodo Fratres ire debeant per mundum . . . . . » 117
§ 36. *Articulus I.* De Officio divino . . . . . » »
§ 37. I. De obligatione divinum Officium recitandi . . . . » 118
§ 38. II. De loco et tempore Officium recitandi. . . . . » 123
§ 39. III. De modo Officium recitandi . . . . . » 131
§ 40. IV. De aliis Cultus divini actibus ad Fratres spectantibus . » 135
§ 41. V. De orationibus a Laicis recitandis . . . . . » 140
§ 42. *Articulus II.* De jejunio . . . . . » 142
§ 43. I. Tempus pro jejunio praescriptum . . . . . » 143
§ 44. II. Modus in jejunio observandus . . . . . » 149
§ 45. III. Causae a jejunio excusantes. . . . . » 154
§ 46. *Articulus III.* De Fratribus itinerantibus . . . . . » 159
§ 47. I. Monita salutaria pro Fratribus itinerantibus . . . » 160
§ 48. II. Prohibitio equitandi . . . . . » 164
§ 49. III. Modus in hospitiis conversandi . . . . . » 178

Caput IV.

§ 50. Quod Fratres non recipiant pecuniam . . . . . » 182
§ 51. *Articulus I.* De denariorum et pecuniae prohibitione . . » 183
§ 52. I. Quid per denarios et per pecuniam intelligatur? . . » 184
§ 53. II. Quid sit recipere denarios etc. per se, vel per interpositam personam? . . . . . » 186
§ 54. III. Quid circa denarios et pecuniam Fratribus penitus prohibeatur? . . . . . » 189
§ 55. IV. Quid circa denarios et pecuniam Fratribus licitum sit? . » 193

§ 56. *Articulus II.* De recursu ad amicos spirituales . . . *Pag.* 201
§ 57. I. Quid per recursum intelligatur? . . . . . » 202
§ 58. II. Ad quosnam spectet recursus? . . . . . » 207
§ 59. III. Quando ad amicos spirituales recurrendum sit? . . » 210
§ 60. IV. Quomodo recursus sit perficiendus? . . . . . » 218
§ 61. *Articulus III.* De Substituto, et de Syndico apostolico . . » 226
§ 62. I. De officiis Fratrum erga Substitutum . . . . . » 227
§ 63. II. De obligationibus Substituti . . . . . » 231
§ 64. III. De Syndico apostolico . . . . . » 236

Caput V.

§ 65. De modo laborandi . . . . . » 241
§ 66. *Articulus I.* De labore a Fratribus suscipiendo . . . » »
§ 67. I. De obligatione Fratrum ad laborandum . . . . » 242
§ 68. II. De qualitate laboris a Fratribus suscipiendi . . . » 246
§ 69. III. De modo laborandi Fratribus praescripto . . . . » 249
§ 70. *Articulus II.* De mercede laboris . . . . . » 252
§ 71. I. De mercede pro laboribus corporalibus . . . . » 253
§ 72. II. De mercede pro laboribus spiritualibus . . . . » 258

Caput VI.

§ 73. Quod Fratres nihil sibi approprient, et de eleemosyna petenda, et de Fratribus infirmis . . . . . » 264
§ 74. *Articulus I.* Paupertatis seraphicae notio . . . . . » »
§ 75. I. De paupertate seraphica in effectu . . . . . » 265
§ 76. II. De paupertate seraphica in affectu . . . . . » 272
§ 77. *Articulus II.* De Contractibus Fratribus Min. prohibitis . . » 276
§ 78. I. De promissione et donatione . . . . . » »
§ 79. II. De emptione et venditione . . . . . » 279
§ 80. III. De permutatione, cambio et pignore . . . . . » 284
§ 81. IV. De locatione, conductione, deposito et commodato . . » 288
§ 82. V. De ludo et sponsione . . . . . » 289
§ 83. VI. De Testamentis et Legatis . . . . . » 291
§ 84. *Articulus III.* De Paupertate in usu servanda generatim . » 299
§ 85. I. De usu arcto et moderato . . . . . » »
§ 86. II. De necessitate ad licitum usum requisita . . . . » 302
§ 87. III. De licentia Superiorum ad usum requisita . . . . » 306
§ 88. *Articulus IV.* De Paupertate in usu servanda speciatim . . » 309
§ 89. I. De aedificiis, seu de Conventibus et Ecclesiis . . . » »
§ 90. II. De ornamentis Altarium, paramentis et vasibus sacris . » 313
§ 91. III. De victu, seu de cibo, potu, etc. . . . . » 316
§ 92. IV. De utensilibus . . . . . » 322

§ 93. V. De hortis, et ad istos pertinentibus . . . . . *Pag.* 324
§ 94. *Articulus V.* De peccato proprietatis . . . . . » 326
§ 95. I. Peccati proprietatis malitia . . . . . » »
§ 96. II. Varii modi, quibus peccatum proprietatis committitur . » 329
§ 97. *Articulus VI.* De mendicatione. . . . . » 335
§ 98. I. Conditiones ad mendicationem requisitae . . . . » 337
§ 99. II. De provisionibus per mendicationem procurandis . . » 339
§ 100. III. Modus mendicationem perficiendi . . . . . » 343
§ 101. *Articulus VII.* De seraphicae paupertatis excellentia . . » 347
§ 102. I. Seraphica paupertas Christi exemplo conformis est . . » 348
§ 103. II. Seraphica paupertas ad summam perfectionem perducit . » 349
§ 104. III. Seraphica paupertas maxima praemia promeretur . . » 352
§ 105. *Articulus VIII.* De mutua Fratrum charitate. . . . » 355
§ 106. I. De mutua Fratrum charitate in genere . . . . » 356
§ 107. II. De charitate erga infirmos in specie. . . . . » 359

Caput VII.

§ 108. De poenitentia Fratribus peccantibus imponenda . . . » 363
§ 109. *Articulus I.* De peccatis Fratrum et eorum reservatione. . » »
§ 110. I. De mortalibus Fratrum peccatis . . . . . » 364
§ 111. II. De peccatorum reservatione . . . . . » 366
§ 112. *Articulus II.* De peccatorum reservatorum absolutione . . » 368
§ 113. I. Modus obtinendi absolutionem a peccatis reservatis publicis » »
§ 114. II. Modus obtinendi absol. a pecc. reserv. occultis. . . » 372
§ 115. *Articulus III.* De Confessariis Fratrum . . . . . » 376
§ 116. I. De Confessariis Fratrum intra Ordinem . . . . » 378
§ 117. II. De Confessariis Fratrum exteris . . . . . » 383
§ 118. *Articulus IV. Monita S. Patris* . . . . . » 388
§ 119. I. Monita pro Superioribus . . . . . » »
§ 120. II. Mon. pro Confessariis Fratrum . . . . . » 390
§ 121. *Articulus V.* Brevis expositio casuum in Ordine reservatorum » 392
§ 122. I. Veneficia, Incantationes, Sortilegia . . . . . » »
§ 123. II. Apostasia a Religione etc. . . . . » 393
§ 124. III. Nocturna et furtiva egressio e monasterio etc. . . » 394
§ 125. IV. Proprietas contra votum paupertatis etc. . . . » 395
§ 126. V. Lapsus carnis voluntarius etc. . . . . » 397
§ 127. VI. Occisio, vulneratio, sive gravis percussio . . . » 398
§ 128. VII. Malitiosum impedimentum etc. litterarum, etc. . . » 401
§ 129. VIII. Juramentum falsum in judicio regulari etc. . . . » 403
§ 130. IX. Procuratio etc. ad abortum faciendum . . . . » 404
§ 131. X. Falsificatio manus etc. . . . . » 405
§ 132. XI. Furtum de rebus monasterii . . . . . » 406

Caput VIII.

§ 133. De electione Generalis Ministri . . . . . *Pag.* 408
§ 134. *Articulus I.* De forma regiminis . . . . . » 409
§ 135. I. De auctoritate Ministri Generalis, et Provincialis . . » 411
§ 136. II. De obligationibus Min. Gener. et Provinc. . . . . » 415
§ 137. III. De juribus et officiis Definitorum . . . . . » 418
§ 138. IV. De Guardianis . . . . . » 423
§ 139. *Articulus II.* De obligatione Capitula celebrandi . . . » 426
§ 140. I. De electione Ministri Generalis in Capitulo generali . » 427
§ 141. II. De Min. Generali in Capitulo gen. deponendo . . . » 429
§ 142. III. De Capitulis Provincialibus . . . . . » 430
§ 143. *Articulus III.* De modo Capitula celebrandi . . . . » 432
§ 144. I. De Capitulorum convocatione . . . . . » »
§ 145. II. De Capitulorum celebratione . . . . . » 434
§ 146. III. De Capitulorum confirmatione . . . . . » 438
§ 147. *Articulus IV.* De obligationibus Vocalium . . . . » 439
§ 148. I. De obligatione eligendi digniores . . . . . » »
§ 149. II. De fugienda ambitione . . . . . » 443
§ 150. III. De vitanda acceptione personar., et subornatione . . » 446
§ 151. IV. De respuentibus Praelaturas . . . . . » 449

Caput IX.

§ 152. De Praedicatoribus . . . . . » 450
§ 153. *Articulus I.* De requisitis ad legitimam praedicationem. . » 452
§ 154. I. De consensu Episcoporum ad praedicandum requisito . » »
§ 155. II. De adprobatione Min. Generalis ad praedicandum requisita » 457
§ 156. III. Monita pro Praedicatoribus . . . . . » 461
§ 157. *Articulus II.* De audiendis Saecularium confessionibus . . » 465
§ 158. I. De Confessariorum zelo a charitate excitando . . . » 467
§ 159. II. De Confess. zelo a char. continendo . . . . . » 469
§ 160. *Articulus III.* De Studiis . . . . . » 472
§ 161. I. De Studiorum necessitate . . . . . » »
§ 162. II. De praecipuis requisitis ad Studia recte instituenda . » 480
§ 163. *Appendix.* De Fratrum Laicorum instructionibus . . . » 484

Caput X.

§ 164. De admonitione et correctione Fratrum . . . . . » 487
§ 165. *Articulus I.* De officiis Ministrorum visitantium . . . » »
§ 166. I. De visitationis necessitate . . . . . » 488

§ 167. II. De modo Visitatorem recipiendi . . . . . *Pag.* 490
§ 168. III. De inquisitione a Visitatore instituenda . . . . » 493
§ 169. IV. De denuntiationibus Visitatori faciendis . . . . » 494
§ 170. V. De admonitione et correctione Fratrum . . . . » 497
§ 171. VI. De praeceptis obedientiae imponendis . . . . » 500
§ 172. VII. De Visitationis conclusione . . . . . » 502
§ 173. *Articulus II.* De obedientia Subditorum . . . . . » 504
§ 174. I. De obedientiae excellentia et perfectione . . . . » 505
§ 175. II. De praecepti obedientiae extensione . . . . . » 508
§ 176. III. De gravitate transgressionum praecepti obedientiae . . » 512
§ 177. *Articulus III.* De recursu ad Ministros . . . . . » 517
§ 178. I. De recursu ad Ministros a Regula praescripto . . . » 518
§ 179. II. De recursu ad Ministros pro dispensationibus . . . » 521
§ 180. *Articulus IV.* Monita S. Patris . . . . . » 524
§ 181. I. De vitiis caute fugiendis . . . . . » »
§ 182. II. De studio litterarum, et spiritu devotionis. . . . » 527
§ 183. III. De virtutibus assidue exercendis . . . . . » 529

Caput XI.

§ 184. De castitate caute servanda . . . . . » 532
§ 185. I. De vitandis suspectis consortiis vel consiliis mulierum . » 534
§ 186. II. De prohibito ingressu in Monasteria Monacharum . . » 538
§ 187. III. De Compaternitatibus fugiendis . . . . . » 545
§ 188. IV. De Clausura in conventibus Religiosorum servanda . . » 546

Caput XII.

§ 189. De Missionariis, et de Cardinale Protectore . . . . » 550
§ 190. I. De Missionariis . . . . . » 551
§ 191. II. De Cardinale Protectore . . . . . » 556
§ 192. Confirmatio Regulae . . . . . » 558

*

§ 193. Testamentum S. P. Francisci breviter expositum . . . » 559
§ 194. De Constitutionibus easdemque observandi obligatione . . » 568
Index rerum alphabeticus . . . . . » 575

EXPOSITIO REGULAE

S. P. FRANCISCI.

INTRODUCTIO.

§ 1.

In Nomine Domini incipit Regula et vita Fratrum Minorum.

Cum juxta effatum Apostoli (Coloss. 3, 17) omnia in nomine Domini peragenda sint, sanctus quoque Pater Franciscus ea, quae filiis suis praescribere statuit, *in Nomine Domini* exorditur: *In Nomine Domini, ait, incipit Regula, et vita Fratrum Minorum.* — *Regula* non est nisi norma vivendi; per *vitam* autem intelliguntur actiones juxta praescriptam normam institutae. Regulam omnibus Religiosis necessariam esse, nemo non videt; sine certis enim regulis, ad quas servandas omnes teneantur, ordo subsistere, et societatis finis obtineri non potest; ideo omnes religiosorum Ordinum Fundatores sequacibus suis Regulam (1), juxta quam vitam

(1) Quatuor numerantur Regulae proprie tales, seu *primariae*, scilicet S. Basilii, S. Benedicti, S. Augustini, et S. Francisci, quaeque sunt quasi normae ad omnia alia instituta regularia. Regula dat *media* servandi vota, Constitutiones vero specialem *modum* media adhibendi assignant. Unde apud religiones, quae nullam ex dictis quatuor regulis habere videntur, per se Regulae et Constitutiones idem sunt. — Fratres Minores dicuntur mendicantes ex Regula, caeteri vero regulares mendicantes vocati, id habent ex Constitutionibus tantum. Ergo merito de S. P. N. Francisco dictum est: « Ordinibus mendicantibus Dux fuit studio paupertatis » (Huguenin.). Meritoque celebrandus inter quatuor maximos Patriarchas Legiferosque regularium insigniores.

suam instituant, praescripserunt. — S. Franciscus Ordinis sui sectatores vult appellari *Fratres,* ut fraternae charitatis, et *Minores* ut humilitatis semper memores sint. Nomen equidem Fratrum omnibus hominibus competit, in quantum omnes sunt Filii Dei-Patris, qui in coelis est. Sed tamen speciali modo illi Fratres dici merentur, qui in uno corpore collecti, unam Regulam profitentes, ab uno Patre S. Francisco, qui in suis semper successoribus vivit, gubernantur. Ex hac ratione Christus quoque Apostolos suos eodem nomine specialiter insignivit dicens: *Omnes vos Fratres estis* (Mat. 23). — Quamvis autem nomen Fratrum ideo maxime honorificum sit, non vult tamen S. Pater, ut ipsius filii se exaltent, et humanam gloriam aucupent, sed potius, ut humiliter de se sentientes, se aliis minores et reputent, et dicant, memores verborum Christi: *qui major est inter vos, fiat sicut minor* (Luc. 22). Praecipuum autem vinculum, quo Fratres Minores inter se colligantur, Regula constituit, de qua jam nonnulla in genere disserenda sunt, priusquam specialis ipsius capitum expositio suscipiatur.

§ 2.

I. De Seraphicae Regulae excellentia.

1. Seraphicae Regulae excellentiam divina ipsius origo commonstrat. Nam S. Franciscus eamdem non ex proprio suo ingenio, nec ex aliorum institutione hausit, sed divina revelatione accepit, quod ipse in suo Testamento testatur, dicens: « Postquam Dominus « dedit mihi de Fratribus, nemo ostendebat mihi, quid deberem facere, « sed ipse Altissimus revelavit mihi, quod ego deberem secundum « formam S. Evangelii vivere. Et ego paucis verbis, et simplicibus « feci scribi, et Dominus Papa confirmavit mihi ».

2. Mirum ideo non est, seraphicam Regulam summis laudibus celebrari. *S. Franciscus* ipse de Regula non a se inventa, sed a Christo dictata: « Haec, ait, quae nobis proponitur, liber est vitae, « spes salutis, arrha gloriae, medulla Evangelii, via Crucis ». *S. Bonaventura* (Exp. in 1. Cap.) dicit: « Tota Regulae substantia de « fonte trahitur evangelicae puritatis »; — et iterum eamdem appellat « funiculum triplicem non facile rumpendum, quo homo ad « coelum trahitur ». *Martinus Navarrus* (Com. 4. de Regular. n. 17)

inquit: « Adeo suspicio, et veneror Regulam illam altissimam S. Fran-
« cisci, ut observantes eam ad unguem, et mentem Auctoris, reputem,
« esse quosdam incruentos Christi Martyres ». — *S. Vincentius Ferr.* O. P. (Sermo de S. Franc.) ait: « Qui illam Regulam servat,
« sanctus est; quando moritur, posset canonizari ». — Similes sensus ipsi etiam Rom. Pontifices manifestarunt. *Nicolaus III* (Const. *Exiit* in prooem.) de Fratribus Minoribus dicit: « Hi sunt illius sanctae
« Regulae professores, quae evangelico fundatur eloquio, vitae Christi
« roboratur exemplo, Fundatorum militantis Ecclesiae, et Apostolo-
« rum ejus sermonibus, actibusque firmatur. Haec est apud Deum,
« et Patrem munda, et immaculata religio, quae descendens a Patre
« luminum, per ejus Filium exemplariter, et verbaliter Apostolis tra-
« dita, et demum per Spiritum Sanctum B. Francisco, et eum se-
« quentibus inspirata, totius in se quasi continet testimonium Tri-
« nitatis. Haec est, cui (attestante Paulo Apostolo) nemo de caetero
« debet esse molestus, quam Christus Passionis suae Stigmatibus
« confirmavit, volens, Institutorem ipsius passionis suae signis no-
« tabiliter insigniri ». — Non minoribus encomiis eamdem Regulam effert *Clemens V,* comparans eam horto Salomonis, ex quo Christus venustissimos flores colligit; et postea addit: « Haec est illa coele-
« stis vitae forma, et regula, quam descripsit ille Confessor Christi
« eximius, S. Franciscus, ac servandam a suis Filiis verbo docuit
« pariter, et exemplo » (Const. *Exivi*).

3. Excellentiam seraphicae Regulae ratio quoque comprobat per revelationem illustrata. Regula enim eo perfectior, et praestantior dicenda est, quo perfectior, et nobilior est finis, quem praefigit, et quo perfectiora, et nobiliora sunt media, quae ad illum acquirendum assignat. Triplex autem finis coetibus religiosis praefigi potest; dum vel tantum orationi insistunt, et *vitam* sectantur *contemplativam,* vel se exercent in operibus pietatis et misericordiae, et *vitam* agunt *activam,* vel demum vitam contemplativam cum activa conjungentes, *vitam mixtam* instituere dicuntur, quae juxta S. Thomam (2, 2, q. 188, a. 6) perfectissima est, utpote vitae Christi, et Apostolorum maxime conformis. Jam vero S. Franciscus per Regulam, quam praescripsit, in Ordine suo vitam mixtam instituit, atque ideo finem nobilissimum praefixit, ac praeterea ad hunc acquirendum media efficacissima assignavit. Voluit enim S. Pater, ut ex ejus vita patet, Christum imitari, cum Deo per contemplationem uniri, et alios quoque Christo lucrari; eumdemque vitae tenorem Filiis suis in Regula sua

praescripsit, docens eos, ut laborent, et praedicationi insistant, sed sanctae orationis, et devotionis spiritum non extinguant, cui debent caetera temporalia deservire. — Ad hunc autem nobilissimum finem in Ordine suo obtinendum, perfectissima ac efficacissima media assignavit: quia non solum per tria vota sectatores suos a tribus salutis impedimentis, nimirum a propria voluntate, a bonis terrenis, et a voluptatibus carnalibus removit; sed etiam perfectiorem, quam in caeteris Ordinibus, horum votorum observantiam inculcavit, — perfectiorem exigens obedientiam, quae tum summo Pontifici, tum Praelatis Ordinis in omnibus, quae Dei, Ecclesiae, vel Regulae praeceptis non repugnant, exhibenda est, — perfectiorem quoque paupertatem, cum non solum Fratres individui, sed et eorum communitates quid proprii possidere prohibeantur, — perfectiorem denique castitatem, ad quam servandam ab omni suspecto mulierum consortio, et ab ingressu in monasteria monialium abstinendum est. Igitur de summa seraphicae Regulae excellentia, et perfectione dubitari nequit.

§ 3.

II. De Seraphicae Regulae expositione.

1. Nonnulli putarunt, seraphicae Regulae expositiones illicitas esse; quia (Chron. P. I, lib. 2, c. 7) legitur, Christum S. P. Francisco dixisse: « Volo, quod regula sic servetur ad litteram, ad lit-« teram, ad litteram, sine glossa, sine glossa, sine glossa »; et quia S. Pater in suo testamento inquit: « Omnibus Fratribus meis Cle-« ricis, et Laicis praecipio firmiter per obedientiam, ut non mittant « glossas in Regulam, nec in ista verba dicendo: *ita volunt intel-« ligi*. Sed sicut Dominus dedit mihi simpliciter, et pure dicere, et « scribere Regulam, et ista verba; ita simpliciter et pure sine glossa « intelligatis ». — Sed his non obstantibus Regulae expositio omni jure licita dicitur. Nam Regula non est auctoritatis majoris quam Scriptura sacra, quam tamen ex divina ordinatione Ecclesia interpretari debet, et quam etiam juxta sensum Ecclesiae Doctores declarare possunt. Nequaquam ergo Christus Dominus illis verbis *sine glossa* etc. voluit suis prohibere Vicariis, et Successoribus Petri, ne glossas, seu declarationes in dictam Regulam conficerent, quae ipsius puram mentem, simplicemque intellectum ostenderent. Multo minus

ipse S. Franciscus illis verbis: *sine glossa intelligatis,* voluit aliquando, prout nec velle poterat, legem ponere Pontificibus, et Ecclesiae, ne ejus possent Regulam declarare; cum illam, ut par erat, pedibus Sedis Apostolicae, et determinationi supposuisset. Christus ergo, et Franciscus per citata verba nil aliud prohibuerunt, nisi glossas arbitrarie factas, et declarationes irrationabiles, ac Regulae puritati, et simplicitati contrarias, non autem illas, quae purum ipsius Regulae intellectum demonstrant, atque elucidant (1). Ita sane tum Christi, tum S. Patris verba S. Bonaventura, Hugo, et alii doctissimi, et piissimi Ordinis viri intellexerunt, qui alias in Regulae expositionibus elucubrandis graviter aberrassent. Nec per illa verba: *ad litteram* etc. censendus est Christus voluisse, ut secundum corticem, et simplicem sonum verborum (sicut Judaei divinam intelligunt, et interpretantur Scripturam), ipsa Regula intelligatur; quoniam saepe verus sensus, et vera rei intelligentia amittitur, dum solum ad proprietatem verborum attenditur, ut recte advertit S. Hilarius (l. 4. de Trin. cit. inc. intell. de verb.) dicens: « Intel« ligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi, quia non ser« moni res, sed rei est sermo subjectus; nam plerumque, dum pro« prietas verborum attenditur, sensus veritatis amittitur ».

2. Expositio duplex secernitur; *authentica,* quae fit per legitimam auctoritatem, et *doctrinalis,* quae a privatis Theologis exaratur. Expositio authentica vim legis habet, cui omnes se submittere tenentur: doctrinalis vero tantum valet, quantum valent rationes, et argumenta, quibus firmatur.

3. Authentice Regulam exponendi potestatem absque dubio habent *Romani Pontifices,* ad quos generatim spectat, omnes Regulas, et Religiones in Dei Ecclesia approbare, vel improbare, confirmare, vel infirmare, declarare, mitigare, et etiam arctare, ut in ss. canonibus habetur. Id autem speciali modo de seraphica Regula dicendum est: quia S. Franciscus eamdem penitus judicio Rom. Pontificis subjecit, quam incipit, Domino Papae pro omni tempore obedientiam promittens, et quam claudit eadem ad sanctam Ecclesiam subjectione.

---

(1) Ob juris peritorum abusus et multorum fallacias in *glossis* seu interpretationibus, tempore S. P. N. in malam partem inter vulgum sumebatur vox *glossa* tanquam mutilatio verae doctrinae et appositio falsae. Unde *glossa* vulgo sumebatur pro falsificatione sensus doctrinae. Ergo S. P. nullatenus voluit accuratas expositiones seu glossas tali nomine dignas prohibere.

— Summi Pontifices etiam frequenter auctoritate sua usi sunt, et declarationes in seraphicam Regulam ediderunt; nimirum *Gregorius IX* anno 1231, *Innocentius IV* anno 1246, *Nicolaus III* anno 1279, *Martinus IV* anno 1283, *Clemens V* anno 1312, *Joannes XXII* anno 1317, *Martinus V* anno 1430, *Julius II* anno 1509, *Pius IV* anno 1561. — Notandum vero est, Rom. Pontifices duplicis generis expositiones promulgasse; nimirum *declarativas,* quae rectum Regulae sensum juxta seraphici Patris mentem explicant, et *relaxativas,* quae privilegia, et dispensationes circa Regulae praecepta certis Fratrum Minorum Congregationibus concedunt. Hae non pro omnibus valent, sed tantum pro illis Minoriticis Congregationibus, quae tales relaxationes a S. Sede petierunt, obtinuerunt, et acceptarunt: ad Congregationes autem, quae privilegiis, et relaxationibus Regulae renuntiarunt, solum spectant expositiones summorum Pontificum declarativae, inter quas eminent declarationes Nicolai III (Const. *Exiit*) et Clementis V (Const. *Exivi*). Ad has Congregationes nostra quoque pertinet Capuccinorum Religio: ideo in Constitutionibus (cap. I) dicitur, nos, omnibus privilegiis et dispensationibus Regulam relaxantibus rejectis, tantum (1) recipere Nicolai III et Clementis V declarationes.

4. In ipso seraphico Ordine varii doctrina et pietate praestantes viri extiterunt, qui scriptas nobis Regulae expositiones reliquere. Id imprimis praestiterunt circa annum 1240 quatuor magistri, seu doctores Ordinis *Alexander ab Hales, Joannes a Rupella, Robertus a Bascia,* et *Richardus a Media Villa.* Eodem saeculo Regulam explicarunt *S. Bonaventura,* Doctor seraphicus appellatus, et *Hugo de Dina,* sanctitate, doctrina, et miraculis clarus. Saeculo sequenti circa annum 1380 inter Regulae expositores eminuit *Bartholomaeus Pisanus,* auctor libri Conformitatum. Apparuit quoque Regulae expositio ex summorum Pontificum, et aliorum Doctorum declarationibus

(1) En Constitutionum verba: « unice acceptantes pro singulari ejus (Re- « gulae) ac vivo commentario, declarationes Summorum Pontificum, et specia- « liter Nicolai III, et Clementis V ». Unde Constitutiones Min. Capuccinorum per verbum *specialiter,* expresse indicant, Capuccinos nullatenus rejicere velle declarationes, quae non sunt privilegia relaxativa in aliis Romanorum Pontificum Constitutionibus et Declarationibus. Inter praecipuas declarationes haud relaxativas numerantur etiam Const. *Quo elongati,* Gregorii IX, *Ordinem vestrum,* Innocentii IV, *Quorumdam exigit,* Joannis XXII (Vid. Bullar. Capucc. Vol. VI).

compilata, cujus titulus est: *Serena Conscientia.* Posterioribus temporibus, facta jam Ordinis in varias Congregationes divisione, in familia Observantium praecipui expositores extiterunt: *Antonius Cordubensis,* qui scripsit circa annum 1540, *Ivo Magister,* qui floruit saeculo decimo sexto ad finem vergente, *Joannes Rausserius* in initio saeculi decimi septimi clarus, *Petrus Marchantius* anno 1630, et *Gaudentius a Kerkhove* anno 1680 commentaria in Regulam promulgantes. Circa medietatem saeculi decimi octavi praeclaras Regulae expositiones conscripserunt *P. Philippus a Castelluccio,* et *P. Gabriel a Vicentia,* ambo ex familia Reformatorum, quibus accensendus est *P. Bonaventura a Dernoye* Gallus. — Inter Capuccinos S. Regulam expositionibus suis illustrarunt *Joannes de Fano* in tractatu de paupertate, *Hieronymus a Politio* Minister Generalis anno 1594, *Hieronymus a Sorbo* anno 1596, *Sanctes* Thesauri Romani Def. Gen. anno 1614, *Ludovicus Parisiensis* anno 1612, *Bartholomaeus de Vechis* anno 1626, *Leander a Murcia* anno 1645, *Cyprianus Crousers* anno 1625, *Bonagratia ab Alsatia* anno 1664, *Bernardus a Bononia* anno 1749, *Bernardinus Gandensis* anno 1704, *Gaudentius a Brixia* anno 1761, *Viator a Cocaleo* anno 1780; inter quos cum laude etiam commemorandus est *Cajetanus Maria a Bergomo* ob insignem tractatum de paupertate (1).

§ 4.

III. De debita Seraphicae Regulae cognitione.

1. Licet non omnium sit, eruditas seraphicae Regulae expositiones exarare, omnes tamen seraphici Instituti professores debitam ejusdem Regulae cognitionem sibi comparare debent. Nulli enim dubium est, quemlibet ad ea sciendum teneri, ad quae servanda voto se adstringit; quia nullus ea servare, ut tenetur, et adimplere un-

(1) Adde: *Bonaventura a Minorisa,* Cap.; *Zacharias la Selva,* Obs. (1775), reed. a *Paulo Maria* (1877); *Simon a Lipnica,* Cap. (1788); *Salvator Maria ab Alcamo,* Cap. (1801); *Benedictus a Canicati,* Obs. (1854); *Samuel Majocchi a Laude Pompeia,* Cap. (1856); *Dion. Piccirelli,* Obs. (1858); *Hilarius a Parisiis,* Cap. (1870); *Gabriel Angelus a Vicentia,* Obs. (edit. III, 1883).

quam poterit, quae ignorat: finis enim secundum omnium sententiam necessitatem imponit mediis, sine quibus finis ipse haberi non potest. Modo si Religiosus tenetur Regulam observare, quam vovit, necessarium utique erit ei, dictae Regulae obligatoria agnoscere, et modum impletionis eorum, cum absque recta horum agnitione minime valeat eam observare. Et sicut nullus excusabitur Christianus, si propria culpa, quae ad legem christianam et officia status sui pertinent, notabiliter ignoraverit; ita nec professus Religiosus, si propria culpa obligatoria Regulae non agnoverit, et ideo transgressus sit, excusabitur aliquando. Tenetur ergo quilibet Frater minor, sicut et caeteri Religiosi, scire, vel saltem laborare ad sciendum suae obligatoria Regulae, atque Declarationes Pontificum, quae ad verum Regulae intellectum sunt necessariae, ne ignorans culpabiliter juste ignoretur a Deo. Sibi ergo dictum putet quilibet Religiosus id, quod legitur Jos. 1, 8: *Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut custodias, et facias omnia, quae scripta sunt in eo.*

2. Duplex ignorantia a Theologis secernitur, *invincibilis* et *vincibilis;* illa a peccato excusat, non vero haec, uti *S. Augustinus* ait: « Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras; sed quod « negligis quaerere, quod ignoras ». — Invincibilis vel ex hebetudine mentis, vel ex defectu instructionis oriri potest: sed ex neutra causa in Ordine seraphico facile admitti potest; quia tam hebetes animo, qui sua officia intelligere nequeant, in illum non recipiuntur, et quia recepti tum in Novitiatu, tum in sequentibus annis circa ea, quae Regulam concernunt, instruuntur, et etiam ex libris debitas notitias haurire queunt. Qui ergo in Ordine seraphico praecepta Regulae non rite cognoscunt, ignorantia vincibili laborare convincuntur; quam deponere possent, et deberent. De hac ignorantia lamentatur *S. Bernardus* dicens: « Multa scienda nesciuntur « aut sciendi incuria, aut discendi desidia, aut inquirendi verecundia; « et hujusmodi ignorantia non habet excusationem ». Culpabilis haec ignorantia dicitur *crassa, et supina,* dum quis nullam fere in addiscenda Regula diligentiam adhibet, et etiam ea ignorat, quae communiter omnes sui Ordinis sciunt. Reprehendenda autem vel maxime est ignorantia, quae dicitur *affectata,* dum quis scientiam debitam fugit, ut sine remorsu conscientiae libertati suae indulgere queat: de quo dixit Propheta (Ps. 35): *Noluit intelligere, ut bene ageret;* et S. Bernardus (de 12 grad. hum.) ait: « Frustra sibi de igno-

« rantia blandiuntur, qui ut liberius peccent, libenter ignorant ». Tam perversa ignorantia transgressionum malitiam non minuit, sed potius aggravat.

3. Non omnes aequaliter scire tenentur ea, quae in Regula continentur; sed major, atque perfectior Regulae cognitio Praelatis, Magistris Novitiorum, Lectoribus, et Confessariis inesse debet. Sufficit Fratribus juvenibus, et laicis ea scire, quae sibi praecepta, vel prohibita sunt, et ad peculiare suum officium spectant: sed Superiores et Praelati, cum sint obligati, subditos in observantia regulari instruere, majorem cognitionem habere, sua, suorumque officia nosse, et probe scire debent, quomodo casus communiter in eorum praelatura occurrentes secundum Regulae puritatem tractandi sint. Eodem modo etiam Magistri Novitiorum, Lectores, et caeteri, quibus alios instruendi officium incumbit, ad perfectam Regulae cognitionem obligantur; nam, ait *V. Beda* (de templ. Salom. t. 8, c. 4) « ruinam sibi aedificant, qui docere alios regulam, quam ipsi non didicere, conantur ». Denique non minori scientia Confessariis Fratrum opus est, ut officio Judicis, Medici, et Doctoris debito modo fungi queant.

4. Non sufficit autem, ut ipsi Praelati et Superiores eorum, quae ad Regulam spectant, perfectam notitiam habeant; sed ad ipsos quoque spectat, sollicitam curam gerere, ut eorum subditi debita Regulae cognitione imbuantur. Ideo varia decreta pontificia ordinarunt, ut praesertim pro Laicis frequentes, uti de doctrina christiana, ita et de regulari observantia instructiones habeantur. Et sane Praelati, ex quorum culpa Subditi circa Regulae obligationes in crassa ignorantia permanent, gravissimam rationem Deo sunt reddituri.

5. Quicunque autem Regulam recte intelligere satagunt, opus est, ut ejusdem expositiones, quas vel audiunt, vel in libris legunt, tali spiritu suscipiant, qui a malignis passionibus purgatus timore et amore Dei repletus sit. Nam *initium Sapientiae timor Domini* (Ps. 110, 9); sed *in malevolam animam non introibit Sapientia* (Sap. 1). Qui enim malignis passionibus abreptus vitam suam Regulae conformem reddere recusat, difficillime adducitur ad praecepta Regulae genio suo contraria rite percipienda, et facillime clara quoque Regulae verba ita contorquet, ut inordinatis ejus affectibus favere videantur. Egregie ideo dicitur Eccl. 32, 18 etc.: *Qui timet Dominum, excipiet doctrinam ejus; qui vigilaverint ad illum, invenient benedictionem;....* et *qui insidiose agit, scandalizabitur in ea.*

§ 5.

IV. De Seraphicae Regulae observantia.

1. Seraphicae Regulae observantiam possibilem esse, jam exinde patet, quia dictante Christo conscripta fuit, qui, ut Waddingus (ad annum 1223, n. 10) refert, S. Patri dixit: « Francisce! nihil est « in Regula de tuo, sed totum est meum, quidquid ibi est. Et volo, « quod Regula sic servetur ad litteram, ad litteram, ad litteram, « sine glossa, sine glossa, sine glossa ». Ed addidit Christus: « Ego « scio, quantum potest humana fragilitas, et quantum volo eos ju- « vare ». — Praeterea seraphicam Regulam Ecclesia ipsa adprobavit, nimirum *Honorius III, Nicolaus III, Clemens V,* et etiam Concilia generalia (1). Jure ideo S. Bonaventura (in Prolog.) inquit: « Impii sunt, qui, a Sede Apostolica discordantes, Regulam istam dicunt « servari non posse ». Multi sane jam extiterunt, qui seraphicam Regulam perfecte observantes ad regnum coelorum feliciter pervenerunt, et ut Sancti, aut Beati coluntur. Unde cum *S. Chrysostomo* (Serm. de SS. Mart. t. 3) dicere licet: « Possumus nos quoque esse, « quod sunt, si faciamus ipsi, quod fecerunt ». Scimus enim, Sanctos « non naturae praestantioris fuisse, sed observantioris, nec vitia « nescisse, sed emendasse », ut loquitur *S. Ambrosius* (lib. de S. Jos. Aegypt. c. 1). Imo si ipsa Regula rite perpendatur, luculenter apparet, ab illa impossibilia non juberi: nam si ardua quaedam praecepta vel nullo modo, vel non sine gravissimo (2) incommodo ob-

(1) S. Regula habet insuper in rei veritate tot supremos laudatores, quot Pontifices et probata Concilia extiterunt, ut facile evidens fit per simplex Bullariorum Ordinis summarium studium, praesertim quoad Pontificias Constitutiones et decisiones editas intuitu perfectionis et tuitionis observantiae seraphicae. Attamen in Tridentina Synodo quasi denuo canonizatam habemus altissimam franciscalem paupertatem pro Min. Capuccinis et Observantibus.

(2) Hic tenendum, quod tradunt Moralistae de *gravi* incommodo a lege deobligante. Nam moralia principia semper prae oculis habenda sunt cum agitur de obligatione praesertim gravi dispensanda vel imponenda. Fratres qui aliis Regulam explicant, debent esse valde periti in Theologia Morali et Jure Canonico, ne aut solvant quod retineri debet, aut mortalia temerario multiplicent et conscientias erroneas reddant. Item sedulo distinguendum praeceptum a majoris perfectionis consilio: videndum ergo apud Expositores quid jus, quidne ascesim respicit.

servari possint, obligatio eorum cessat; sic e. g. ad jejunium non obligatur graviter infirmus, et in manifesta necessitate licitum est equitare etc.

2. Observantia Regulae, quae in quolibet Ordine religioso inculcatur, in Ordine seraphico multo majoris momenti est. In plerisque enim religiosis Institutis Regulae nonnisi sub veniali (1) culpa obligant, sed Regula seraphica graves imponit obligationes. In hoc autem judicio « cavenda est, ut ait *S. Bonaventura,* conscientia ni- « mis laxa, et nimis stricta; nam prima generat praesumptionem, « secunda desperationem ». Duo ergo errores, sibi invicem oppositi, vitandi sunt; nimirum error eorum, qui asserunt, sola vota, non autem alia Regulae praecepta gravem imponere obligationem, et error eorum, qui putant, vi professionis factae omnia, quae in Regula proponuntur, sub poena peccati mortalis servanda esse. — Priorem errorem jam satis confutavit *Clemens V,* dum (Const. *Exivi,* Art. 1, n. 2) dicit: « Declaramus, et dicimus, quod dicti Fratres non solum « ad illa tria vota nude et absolute accepta ex professione suae Re- « gulae teneantur; sed etiam tenentur ad ea omnia implenda, quae « sunt pertinentia ad haec tria praedicta, quae Regula ipsa ponit. « Nam si ad haec tria tantum praecise, et nude promittentes se ser- « vare Regulam vivendo in obedientia, sine proprio, et in castitate, « et non etiam ad omnia contenta in Regula, quae haec tria modi- « ficant, arctarentur, pro nihilo, et vane proferrentur haec verba: « Promitto semper hanc Regulam observare; ex quo ex his verbis « nulla obligatio nasceretur ». — Secundum errorem confutavit *Nicolaus III* (Const. *Exiit,* Art. 1). Cum enim in Regula praecepta, consilia, et monita distinxisset, postea concludit: « Ad omnia autem, « quae in ipsa Regula continentur, tam praecepta, quam consilia, « quam caetera, ex voto professionis hujusmodi, non aliter tenentur, « quam eo modo, quo in Regula ipsa traduntur, ut scilicet teneantur « ad eorum observantiam, quae in eadem Regula ipsis sub verbis « obligatoriis indicuntur. Caeterorum vero observantiam, quae sub « verbis monitoriis, exhortatoriis, et instructoriis, seu quibuscunque « aliis continentur, eatenus magis condecet de bono, et aequo eos « prosequi, qui imitatores tanti Patris effecti, Christi semitas arctius « elegerunt ».

---

(1) Regulae, quae non habent praecepta proprie talia, nec sub levi obligant, ut apud Praedicatores, etc. Unde veniale (leve) habetur ob alias rationes, v. g. pigritiae, debitae perfectionis neglectus culpabilis.

3. Difficile nonnullis videtur discernere, quaenam in Regula ut praecepta, quaenam ut consilia, et quaenam ut monita salutaria proponantur: sed tamen id sat liquido dignosci potest partim ex verbis Legislatoris, partim ex declarationibus Rom. Pontificum, partim ex consensu Expositorum, et communi totius Ordinis persuasione. Exinde factum est, ut omnia, quae in Regula observanda proponuntur, in *praecepta* eminentia, virtualia, et aequipollentia, in *exhortationes* ad bonum, in *admonitiones* vitandi malum, et in *libertates* concessas dispescantur. — *Praecepta eminentia,* quae substantialia et fundamentalia Regulae capita praescribunt, et in quibus proponendis S. Pater his terminis utitur: *firmiter praecipio, per obedientiam injungo* etc., sunt sequentia novem: 1° quod totus Ordo teneatur praestare obedientiam Papae, et S. Romanae Ecclesiae; 2° quod Fratres professi non possint de ista Religione exire; 3° quod nullo modo Fratres denarios, vel pecuniam recipiant; 4° quod nihil sibi approprient neque in particulari, neque in communi; 5° quod non ingrediantur monasteria Monialium sine licentia speciali Sedis Apostolicae; 6° quod non habeant suspecta consortia, aut consilia mulierum; 7° quod non fiant compatres virorum, aut mulierum; 8° quod obediant suis Ministris, et Praelatis in omnibus, quae non sunt contraria animae, et Regulae nostrae; 9° quod unus de Cardinalibus S. R. E. petatur in totius Ordinis Protectorem. — *Praecepta virtualia,* seu *vim praecepti habentia* sunt sequentia quatuor: 1° quod Fratres teneantur ad suos Ministros pro absolutione casuum reservatorum recurrere; 2° quod teneantur habere in Generalem Ministrum unum de Fratribus huius Religionis; 3° quod Ministri et Custodes teneantur in Capitulo Generali Pentecostes alium eligere in Generalem, si antecessor decesserit, vel si non fuerit sufficiens ad utilitatem Fratrum; 4° quod Ministri Provinciales et Custodes teneantur ire ad Capitulum Generale. — *Praecepta aequipollentia* juxta Declarationem Clementis V sunt sequentia duodecim: 1° quod non habeant Fratres plures tunicas, quam unam cum caputio, et aliam sine caputio; 2° quod vestimentis vilibus induantur; 3° quod non possint portare calceamenta, nisi ex manifesta necessitate; 4° quod Clerici faciant divinum Officium secundum ordinem S. R. Ecclesiae, et Laici dicant tot Pater noster; 5° quod jejunent a Festo Omnium Sanctorum usque ad Nativitatem Domini, et qualibet sexta feria, et Quadragesima Resurrectionis Domini; 6° quod non debeant equitare, nisi manifesta necessitate, aut infirmitate cogantur; 7° quod Mini-

stri et Custodes sollicitam curam gerant pro infirmis, et fratribus induendis per amicos spirituales; 8° quod si quis Fratrum ceciderit in infirmitatem, alii Fratres debeant ei servire; 9° quod non praedicent in Episcopatu alicujus Episcopi, cum ab eo fuerit illis contradictum; 10° quod nullus Fratrum penitus praedicet, nisi fuerit a Generali Ministro examinatus, et approbatus; 11° quod ubi agnoverint Fratres, se non posse Regulam spiritualiter observare, ad suos Ministros possint et debeant recurrere; 12° quod debeant observare omnia, quae ponuntur in Regula quoad formam habitus tum Novitiorum, tum Professorum, et ad modum receptionis, ac professionis spectantia, in quo multae conditiones obligatoriae comprehenduntur. — Enumeratis his 12 praeceptis Clemens V, « Haec, inquit, omnia « sunt a Fratribus tanquam obligatoria observanda ». — Praeterea in Regula leguntur *spirituales Exhortationes*, quae licet a Fratribus ubique attendi mereantur, non tamen obligant ut praecepta, et sunt sequentes: 1° Fratres itinerantes sint mites, pacifici etc.; 2° in quamcunque domum intraverint, primum dicant: *Pax huic domui;* 3° laborent fideliter, et devote; 4° vadant pro eleemosyna confidenter nec oportet eos verecundari; 5° nihil aliud sub coelo habere velint, nisi altissimam paupertatem; 6° ostendant se domesticos invicem inter se, et secure manifestet unus alteri necessitatem suam; 7° Ministri, si presbyteri sunt, peccantibus Fratribus cum misericordia injungant poenitentiam; 8° in praedicatione, quam faciunt Fratres, sint examinata, et casta eorum eloquia; 9° Ministri visitent, et moneant Fratres suos, et humiliter, et charitative corrigant eos; 10° Fratres qui sunt subditi recordentur, quod propter Deum abnegaverint proprias voluntates; 11° Ministri ad se recurrentes charitative et benigne recipiant; 12° Fratres super omnia desiderare debent habere spiritum Domini, et sanctam ejus operationem. — Hisce exhortationibus aequivalent quinque *Admonitiones* vitandi malum, quae sunt sequentes: 1° Fratres non despiciant, neque judicent homines, quos viderint mollibus vestimentis et coloratis indutos; 2° quando vadunt per mundum non litigent, neque contendant verbis; 3° Ministri cavere debent, ne irascantur, et conturbentur propter peccatum alicujus; 4° Fratres caveant ab omni superbia, vana gloria etc.; 5° non curent nescientes litteras, litteras discere. — Denique in Regula *Libertates,* Fratribus concessae, inveniuntur, et sunt sex sequentes: 1° Fratres possint vestimenta repetiare de saccis, et aliis petiis cum benedictione Dei; 2° qui nolunt servare Quadragesimam *Benedictam,*

non sint adstricti; 3° tempore manifestae necessitatis non teneantur jejunare; 4° de omnibus cibis, qui apponuntur eis, liceat manducare; 5° post Capitulum Pentecostes Ministri possint in suis Custodiis Fratres suos ad Capitulum convocare; 6° Fratres possint cum licentia Superiorum ire ad Saracenos, et alios infideles.

4. Purae, ac simplici Regulae observantiae varia *impedimenta interna,* et *externa* obsistere solent. *Interne* ex parte intellectus illam impediunt ignorantia, et erroneae opiniones. Nemo enim leges adimplebit, quas ignorat, sed saepissime, sua libertate utens, contrarios illis actus ponet; qui, si ignorantia culpabilis fuerit, a peccato non excusatur: ideo *S. Isidorus* (in Syn.) dicit: « Ignorantia errorum mater est, et vitiorum nutrix ». Sed ait *S. Augustinus* (in Mat.): « Melior est fidelis ignorantia, quam temeraria scientia ». Qui enim, Rom. Pontificum declarationibus, et probatorum expositorum sententiis derelictis, praecepta Regulae omnino arbitrario modo exponit, rigorem juxta prudentiam carnis mitigat, et, quae illicita sunt, licita declarans, falsas atque erroneas sententias profert, procul dubio ipsa regularis observantiae concutit fundamenta. — Ex parte voluntatis Regulae observantiam impediunt inordinatae passiones, quibus strenua resistentia non opponitur. Cum enim omnia Regulae praecepta et documenta eo tendant, ut vetus homo exuatur, et novus induatur, impossibile est, Regulam ab eo exacte observari, qui non omnibus inordinatis suis passionibus bellum indicit. Quemadmodum ergo Christus ait: *Qui non renuntiat omnibus, quae possidet, non potest meus esse discipulus* (Luc. 14, 33); ita etiam dici potest: qui non omnes inordinatos corruptae naturae affectus abnegare contendit, non potest seraphicam Regulam observare, nec genuinus fieri S. Francisci discipulus. — Inter *impedimenta externa* praecipue *mala exempla* commemoranda sunt, quae ad observantiam regularem destruendam efficacissima esse solent. Nam hinc inde nonnulli Ordinem ingressi optime educantur, et circa Regulae praecepta perfecte instruuntur, quae etiam aliquandiu exacte observare conantur. Ast si vident alios, praecipue si conspiciunt Seniores, Doctiores, vel etiam Superiores ab observantia deficere; mox sibi persuadent, Regulam tam rigorose non obligare, et pedetentim ad easdem praeceptorum Regulae transgressiones adliciuntur. — Nullatenus autem ideo coram Deo excusari possunt: transgressiones enim legis, quomodocumque multiplicentur, vim legis imminuere haud valent. Licet ergo plurimi Regulam violare non erubescant, hos sequi non licet,

sed pauciorum semita est eligenda, dicente Christo: *Multi sunt vocati, pauci vero electi* (Matth. 7). Multiplicatis ergo Regulae praevaricationibus quilibet, de sua salute sollicitus, sibi dictum putet, quod Ex. 23, 2 legitur: *Non sequeris turbam ad faciendum malum; nec in judicio plurimorum acquiesces sententiae, ut a vero devies* (1). — *Seniores* equidem revereri oportet; sed si quid purae Regulae observantiae contrarium aut dicant, aut agant, nequaquam audiendi, vel imitandi sunt. Egregium monitum hac in re tradit *Cassianus* (Collat. 2, c. 13) dicens: « Non omnium Seniorum, « quorum capita canities tegit, quoque vitae longaevitas sola com- « mendat, nobis sunt sectanda vestigia, seu traditiones, ac monita « suscipienda; sed eorum, quos laudabiliter vitam suam, ac proba- « tissime comperimus in juventute signasse, nec praesumptionibus « propriis, sed Majorum traditionibus institutos ». Ab eorum autem dictis, et exemplis declinandum esse docet, « qui auctoritatem sibi « non maturitate morum, sed annorum numerositate conquirunt ». — Quod ad *Doctos* attinet, qui inter Religiosos inveniuntur, triplex, ut ait *Corduba,* eorum genus est distinguendum. Dantur enim docti, qui in disciplinis philosophicis, aut theologicis excellunt, sed sacrae Regulae studio non incumbunt, Constitutionesque pontificias ignorant; et hi ideo in iis, quae ad regularem observantiam spectant, non ut docti, sed ut indocti habendi sunt. Alii sunt docti non tantum respectu aliarum scientiarum, verum etiam respectu Regulae, quam optime exponunt et declarant; sed tamen eamdem ipsi non observant, secundum carnem et non secundum spiritum ambulantes: et circa hos observandum est dictum Christi (Matth. 23): *Super cathedram Moysis sederunt Scribae, et Pharisaei: quaecunque dixerint vobis, servate et facite, secundum opera autem eorum nolite facere.* Denique dantur in Religione etiam docti, qui sacram Regulam recte intelligunt, et etiam cum magno zelo observant; quos et audire, et imitari oportet, quoniam ab ipso Christo laudantur, dicente: *Qui fecerit, et docuerit, magnus vocabitur in regno coelorum* (Matth. 5, 16). Maxime lugenda autem inordinatio est, si ipsi *Praelati* et

(1) Maxime recordandae sunt Regulae praescriptiones tempore dispersionum et persecutionum et missionum apud infideles, ne pedetentim status dispensationis destruat amorem observantiae Regulae, imo genuinam notionem ipsius. Unde expedit tunc frequenter franciscalem codicem percurrere et aliis bonis operibus compensare quidquid non possumus servare.

Superiores a regulari observantia deviantes subditis suis scandala praebent. De his ait *S. Augustinus* (cit. a S. Bonav. in Pharetra, l. 1, c. 12): « Omnis, qui male vivit in conspectu eorum, quibus « praepositus est, quantum in ipso est, omnes occidit ». Nullatenus enim subditi, mala illorum exempla secuti, excusantur; sicut a peccato immunes non sunt mala eorum praecepta adimplentes. — Caute tamen attendendum est, Superioribus vi muneris nonnulla licere, quae subditis licita non sunt; et Seniores ob infirmitates, ac Doctos ob graviora studia, aut multiplicia negotia omni jure a nonnullis dispensatos esse, ad quae caeteri obligantur. Haec, inquam, caute attendere oportet, ne quis scandalum pharisaicum sumat; quod tantum abest, ut a peccato excuset, ut potius praeter temerarias transgressiones hominem laesae quoque charitatis reum constituat. — Generatim quilibet Religiosus semper memor esse debet, se dictamina Regulae, et non mores aliorum sequi promisisse; et sic intellectum suum debita Regulae cognitione imbuens, et cor suum ab inordinatis passionibus purgans, rectam semitam ingredietur, per quam pervenitur ad regnum coelorum.

CAPUT I.

§ 6.

Primum Caput, quod juxta Expositorum sententiam aliud non est, quam quidam *Prologus Regulae,* summam dicendorum quasi in nucleo tradit, et eorum, quae ordinata sunt, fundamenta ponit; dum *primo* S. Evangelii et trium votorum observantiam, et *secundo* obedientiam erga summum Pontificem, ac erga S. Francisci successores injungit. *S. Bonaventura* hanc in rem ita disserit: « Quia, « ut patet ex Dionysio, substantia Hierarchiae in duobus consistit, « scilicet in sanctis perfectionibus, et in ordine perficiendorum, prima « ad perfectos per obedientiam, secunda subditorum ad praelatos: « idcirco prima rubrica duas habet partes, quarum prima summarie « tangit hujus Hierarchiae, i. e. sacri Ordinis perfectionem, secunda « describit obedientialem ordinationem ».

ARTICULUS I.

§ 7.

De S. Evangelio observando.

TEXTUS. *Regula, et vita Minorum Fratrum haec est, scilicet Domini nostri Jesu Christi Evangelium observare, vivendo in obedientia, sine proprio, et in castitate.*

1. Praestantissima vivendi norma absque dubio in sacrosancto Evangelio invenitur, quod incarnati Filii Dei doctrinam atque exempla nobis proponit. Ex divino hoc fonte omnia peti debent, quaecunque bona, quaecunque utilia pro vitae spiritualis incremento dici

possunt. Ideo S. Franciscus filiis suis ante omnia observantiam sacrosancti Evangelii inculcavit, quod et ceu basim omnium praeceptorum in Regula exponendorum constituit. — Equidem ad observandum S. Evangelium omnes Christiani obligantur, sed non eodem modo: nam in S. Evangelio praeter praecepta, quae pro omnibus data sunt, etiam consilia proponuntur, quae non omnes afficiunt. S. Pater autem voluit, ut Fratres Minores etiam tria evangelica consilia observent; atque ideo ait, ipsos debere *Evangelium observare vivendo in obedientia, sine proprio, et in castitate.* « Non « est ergo, ait *S. Bonaventura* (Exp. in c. 1), Regula, aut vita « haec nova res, sed procul dubio renovata; magnaque est hujusmodi « Regulae professoribus materia solatii, qui soli in hoc mundo vitam « illam ad litteram profitentur, quam Apostolis ad praedicandum « missis Dominus commendavit. »

2. Cum in S. Evangelio multiplicia consilia ac monita, ad summam perfectionem pertinentia, contineantur, quaesitum est, an Fratres Minores virtute professionis haec omnia tamquam praecepta observare teneantur. Hanc quaestionem jam movit, atque solvit *S. Bonaventura,* qui (l. cit.) haec habet: « Numquid voventes hanc Regulam « vovent per consequens omnem Evangelii perfectionem? Dico, quod « non; cum in ipsa Regula, quam vovent, quaedam monitorie et « exhortatorie subjungantur. Cum ergo non omnem Regulae partem « vovent observare, multo magis non vovent, quod non exprimitur « in eadem ». Hoc idem etiam Rom. Pontifices deciderunt. *Nicolaus III* (C. Exiit, art. I) ait: « Ad Fratrum conscientias plenarie « serenandas declaramus, quod ex professione ejusdem Regulae Fra- « tres ipsi ad ea tantum evangelica observanda consilia sunt adstricti, « quae in ipsa Regula praeceptorie, seu inhibitorie, sub verbis aequi- « pollentibus exprimuntur ». Cum autem hac de re denuo dubia moverentur, *Clemens V* (C. Exivi) sequentia decrevit: « Nos Praede- « cessorum vestigiis inhaerentes, ipsumque articulum quoad aliquid « clarius prosequentes, dictae haesitationi duximus respondendum, « quod cum votum determinatum cujuslibet habeat cadere sub certo, « vovens Regulam non potest dici teneri ex vi voti hujusmodi ad « ea consilia evangelica, quae in Regula non ponuntur. Et quidem « B. Francisci conditoris Regulae haec probatur fuisse intentio, ex « hoc, quod quaedam evangelica consilia in Regula posuit, aliis « praetermissis: si enim per illud verbum: *Regula, et vita Fr. M.* « *haec est* etc., intendisset eos ad omnia consilia evangelica obligare,

« superflue et nugatorie quaedam eorum, suppressis caeteris in Re-« gula expressisset ».

3. Quamvis autem Fratres Minores non omnia consilia evangelica tamquam praecepta observare teneantur; nihilominus juxta mentem S. Patris omnia Christi documenta et exempla in Evangelio proposita, magis quam caeteri Christiani, revereri, meditari, atque etiam conari debent, ut vitam suam illis conformem reddant. Id claris verbis exigunt Constitutiones nostrae (cap. I), ac idem a Fratribus Minoribus postulat *Nicolaus III,* qui postquam dixisset, non omnia evangelica consilia tamquam praecepta esse servanda, haec verba addit: « Ad nonnulla vero alia per Evangelium data consilia « eo magis secundum exigentiam sui status tenentur plus quam « caeteri Christiani, quo per statum perfectionis, quem per profes-« sionem hujusmodi assumpserunt, se obtulerunt Domino holocaustum « medullatum per contemptum omnium mundanorum ». Convenit igitur, ut Fratrum Minorum summum studium sit, in doctrina et vita Jesu Christi meditari (1).

4. Caeterum ex citato Regulae textu colligi potest, qualis sit in genere *seraphicae Regulae spiritus,* et quanta sit eorum, qui illam profitentur, *obligatio ad perfectionem tendendi.* Utrumque jam fusius exponendum venit.

§ 8.

I. De Spiritu Seraphicae Regulae.

Ad S. Regulam tum recte intelligendam, tum exacte observandam maximi momenti est, ut cognoscatur spiritus, cum quo conscripta fuit, et ad quem in professoribus suis excitandum, nutriendum, ac perficiendum ordinatur. Cum omni enim Philosophia convenit, quod dicit *Thomas a Kempis* (Lib. 1. c. 5): « Omnis Scriptura « sacra eo spiritu debet legi, quo facta est »; neque ille regulam

(1) Diebus nostris, cum christianis traditionibus ubique bellum inferatur, expedit, ut Fratres Minores valde resistant tentationibus saeculi, qui quasdam regulares caeremonias remote saltem ex Evangelicis consiliis oriundas, ut modum salutandi, litteras incipiendi et subscribendi, hospites recipiendi, et similia a Majoribus nostris instituta, tamquam negotia antiquata diffamat.

perfecte observans dici potest, qui soli cortici inhaerens cum littera spiritum non conjungit. Ne ergo nobis dicatur: *Nescitis, cujus spiritus estis* (Luc. 9, 55), oportet, ut intimius seraphicae Regulae spiritum penetremus. Id autem, ut egregie ostendit *Bernardus Bonon.*, facile erit, tum citatum textum, cui omnia superstruuntur, tum reliquam Regulam, quae illum declarat, summatim consideranti. Ex hac enim consideratione apparebit, spiritum, ex quo seraphica Regula prodiit, et quo Fratres Minores animati esse debent, esse *spiritum fervoris, spiritum abdicationis, spiritum humilitatis, spiritum poenitentiae, ac spiritum charitatis fraternae.*

1. Spiritus Regulae est *spiritus fervoris. Ignem*, ait Christus (Luc. 12, 49), *veni mittere in terram; et quid volo, nisi ut accendatur?* Per ignem autem intelligit fervorem amore divino inflammatum, quo homines non solum ad recte agendum, sed etiam ad grandia suscipienda excitantur. Ideo Spiritus S. in forma ignis in Apostolos descendit, quo repleti, omni humano timore excusso, laboribus, periculis et aerumnis intrepidi, imo gaudentes se objecerunt. Eodem igne S. Franciscus excandescens, etiam dum sequacibus suis Regulam proponeret, seraphicos suos ardores sequebatur. Quapropter non tali moderamine usus est, quale in aliis Regulis observatur, quae humanam infirmitatem et fragilitatem attendentes praeceptis parcunt, et temperato gressu sectatores suos ad perfectionem dirigunt. Sed in Regula S. Francisci sacro impetu omnia arripiuntur, quaecumque hominem a mundo penitus avellere, et cum Deo perfecte unire valent; actus, qui ut summi, et heroici aestimantur, tamquam ordinarii praescribuntur; tribus essentialibus votis alia gravia praecepta adjunguntur; in qualibet fere periodo ad summum perfectionis apicem exstimulatur; neque gressus simplices exiguntur, sed cursus vehementes, ac si homines non ex carne, sed ex igne constarent. Jam cum talibus ardoribus glacies consistere nequit; ad seraphicae Regulae metam non pervenitur, nisi cum fervore ambulando; qui lente incedit, ubi currendum est, bravium non comprehendet; neque ad ardua certamina vocatus victor erit generoso et alacri animo destitutus; et si pigritia, negligentia, acedia cuilibet Christiano damna inferunt, Fratri Minori praecipitium parant. Nihil ergo Fratri Minori magis necessarium est, quam spiritus fervoris, quo omnibus difficultatibus superatis juxta sacrae Regulae normam ad summum perfectionis apicem progredi nitatur, ne decrescente fervore, sicut lampas deficiente oleo, cesset lucere in domo Dei.

2. Spiritus Regulae est *spiritus omnimodae abdicationis et renuntiationis.* Christus ipse voluit, ut ipsius discipuli a mundi divitiis, honoribus, et voluptatibus cor suum avellant, et omnibus valedicant, quibus a servitio divino retrahi possent. Ideo ait: *Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus, quae possidet, non potest meus esse discipulus* (Luc. 14, 33). Evangelicam hanc doctrinam S. Franciscus perfectissime sequi anhelans, omnibus, quae in mundo aut habuit aut habere potuit, sponte renuntiavit, ut Christum imitaretur, qui dixit: *Vulpes foveas habent, et volucres coeli nidos; Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet* (Matth. 8, 20). Nihil autem magis S. Pater exoptavit, nisi ut ejusdem quoque filii eodem spiritu repleti, omnibus, quae mundi sunt, renuntient, et pauperem Christum sequantur. Ideo denariorum, ac pecuniae usum, de quo mundani maxime laetantur, penitus interdixit; ideo, ut Fratres nihil sibi approprient, praescripsit; ideo eisdem celsitudinem altissimae paupertatis pro ipsorum portione reliquit. Tota ergo Regula eo collineat, ut ejusdem professores cuncta bona terrena despiciant, et sola coelestia inquirant. — Non ergo tam deridendi, quam potius deflendi sunt, qui seraphicam Regulam professi, cum generosa mente cunctis terrenis bonis renuntiaverint, affectus tamen ad inanes quasdam mundi vanitates in corde retinent. Miseri! in magnis mundum vicerunt, et in parvis a mundo vincuntur; ac a turbulento mari feliciter erepti, in vili palude infeliciter necantur. Ne tale infortunium Fratri Minori obtingat, omnino necesse est, ut continuo studeat, cor suum ab omni affectu terreno mundare, omnibusque, quae mundi sunt, renuntiare.

3. Spiritus Regulae est *spiritus humilitatis.* Christus, qui *semetipsum exinanivit, formam servi accipiens,* qui *humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (Phil. 2), humilitatem suis quoque discipulis maxime commendavit, dicens: *Omnis, qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur* (Luc. 14, 11); et iterum: *Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum coelorum: quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno coelorum* (Matth. 18, 4). Exemplo et doctrinae Christi tenacissime inhaerens S. Franciscus, sicut humillime de se sentiebat, ita et ab omnibus contemni, et vilipendi exoptabat. — Eosdem autem humilitatis sensus filiis suis communicare studens, Ordinem suum in humilitate fundavit, ut testatur Ni-

colaus III (C. Exiit) dicens: « Minorum Fratrum Religio mitis, et « docilis in paupertate, ac humilitate per almum Christi Confessorem Franciscum radicata fuit ». Ipsum nomen, quod seraphici Patris filii gerunt, efficere debet, ut humilitatis semper memores sint: « vo- « cantur enim, ait S. Franciscus (Opusc. Colloq. 16), ideo *Fratres* « *Minores,* quia sicut nomine, ita et exemplo et opere prae caeteris « hominibus hujus saeculi humiles esse debent ». Iidem humilitatis sensus ipsis per vestitum modumque vivendi insinuantur. Nam si aperto capite, nudis pedibus, vili induti tunica, simplici fune cincti incedunt, nonnisi de emendicato pane victitantes, quanta inordinatio esset, si arrogantiam et fastum vel interius foverent, vel etiam exterius manifestarent? — Ideo S. Pater, qui filios suos ab omnibus peccatis liberos esse voluit, ante omnia monuit « ut caveant a su- « perbia et vana gloria » (cap. 10). Recte ergo *Hugo de Dina* scribit: « Ita humilitas statui Fratris Minoris annexa est, et ita a « Regula per habitum, per nomen, et per omnem vivendi rationem « commendatur, ut, qui ab humilitate alienus est, in veritate Frater « Minor non sit. Hoc Fratris Minoris quasi proprietas esse debet, « ut abjectionem amplectatur, omnem honoris speciem fugiat, et cum « maxima attentione omnem fastum in verbis, in gestibus, in habitu, « et in omni conversatione sua devitet, nec unquam inter alios vel « Saeculares, vel Religiosos primos accubitus, seu dominationem « praetendat. Ita senserunt antiqui nostri Fratres, qui ex amore Dei « se omni humanae creaturae subjecerunt ».

4. Spiritus Regulae est *spiritus poenitentiae, seu mortificationis.* Prima Christi praedicatio haec erat: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum* (Matth. 4, 17); poenitentem autem vitam praescripsit, quia *regnum coelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud* (ib. 11, 12). Ideo divinus mundi Redemptor omnes ad sui sequelam invitans ait: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me* (Luc. 9, 23). Quibus verbis commotus S. Franciscus non solum omnia carnis oblectamenta, sed et consueta vitae commoda respuens, et corpus suum jejuniis, vigiliis, flagellis, ciliciis, aliisque cruciatibus affligens, semper mortificationem Jesu in corpore suo circumferebat (II. Cor. 4, 10). Ad simile autem poenitentiae et mortificationis studium discipulos quoque suos dirigere conatus est. Ideo ordinavit, ut altissimam paupertatem sectantes variis vitae commodis priventur, ut frequenter jejunent, et tenui semper victu contenti sint, ac ut

vilibus vestimentis induti, frigoris et caloris, atque, ab equitando abstinentes, pedestris itineris incommoda sentiant. Poenitentem ergo, atque mortificatam vitam S. Pater in Ordine suo instituit; quod etiam ex verbis apparet, quae in ipsius Testamento leguntur: « ubi-« cunque non fuerint recepti, fugiant in aliam terram *ad faciendum « ibi poenitentiam* cum benedictione Dei ». Ideo *Clemens V* (C. Exivi) seraphicum Ordinem horto comparat, in quo myrrha poenitentiae invenitur in mundi aedificationem; ait enim: « Ad hunc veniens di-« lectus Dei Filius mortificationis et poenitentiae myrrham metit cum « aromatibus ». — Omnino ergo necessarius est Fratri Minori spiritus poenitentiae et mortificationis, ne hoc deficiente, dum variis commodis caret et multiplicia incommoda sentit, animo perturbetur, et male de suo statu contentus a vocatione sua recedat, et in graves prolabatur inordinationes.

5. Spiritus Regulae est *spiritus charitatis fraternae.* Christus nil tam frequenter et nil tam graviter discipulis suis inculcavit, sicut charitatem fraternam. Loquens enim de injuncta omnibus dilectione Dei ait: *Hoc est maximum et primum mandatum; secundum autem simile est huic: diliges proximum tuum sicut teipsum* (Matth. 22, 37). Hoc praeceptum per antonomasiam *novum* et *suum* appellavit, ac ceu notam characteristicam discipulorum suorum constituit: ait enim (Jo. 13, 34): *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem;* et (Jo. 15, 12): *Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos;* et (Jo. 13, 35): *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Divinis hisce praeceptis excitatus S. Franciscus charitatem fraternam et solertissime exercuit et maxime commendavit. Voluit enim, ut aliter viventes non despiciant, neque judicent (cap. 2); ut non litigent, neque contendant verbis, sed sint mites, pacifici, mansueti (c. 3); ut se ostendant domesticos invicem inter se, et secure manifestet unus alteri necessitatem suam; ut in amore fraterno amorem matris erga filium suum carnalem vincant; ut summam pro infirmis curam gerant (c. 6); ut non irascantur et conturbentur propter peccatum alicujus, sed cum misericordia aberrantem recipiant (c. 7); ut ab invidia, detractione et murmuratione caveant (c. 10); et ut pro salute infidelium vitam suam omnibus incommodis et periculis exponere non vereantur. His probe consideratis negari non potest, charitatem fraternam in Regula S. Francisci maxime commendari, eamdemque

notam verorum S. Patris filiorum characteristicam constituere. Qui ergo alios superciliose judicat et contemnit, vel aliis invidet, vel detractionibus et murmurationibus linguam pessumdat, vel erga aberrantes aut infirmos misericordiam efficacem non ostendit, vel generatim de proximorum salute parum sollicitum se ostendit, licet diu noctuque orationi insistat, licet rigorose jejunet, et disciplinam regularem exactissime observet, nequaquam tamen genuinum se S. Francisci filium dicere potest; sed absolute de se dicere debet, quod Apostolus conditionate dixit: *Si charitatem non habuero, nihil sum,... nihil mihi prodest* (I. Cor. 13); quoniam scriptum est: *qui non diligit, manet in morte* (I. Jo. 3, 14).

§ 9.

II. De obligatione tendendi ad perfectionem.

1. Omnes homines ad perfectionem moralem tendere obligantur; quia omnibus praeceptum injunctum est, Deum ex toto corde, in tota anima, et in tota mente diligendi, et omnibus dictum est: *Estote perfecti, sicut Pater vester coelestis perfectus est* (Matth. 5). Huic autem perfectioni morali varia impedimenta obstant, quae S. Joannes innuit dicens: *Omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitae* (I. Jo. 2, 16). Ad haec tria impedimenta sanctitatis, et salutis superanda religiosi Ordines instituti sunt, in quibus per votum paupertatis concupiscentia oculorum, seu avaritia vincitur, per votum castitatis concupiscentia carnis reprimitur, et per votum obedientiae superbia vitae, et propria voluntas subjugatur, ut sic homo, solutis vinculis, liber ad veram perfectionem, quae in charitate Dei consistit, pervenire possit. Hunc unice finem sibi quilibet praefigere debet, qui Ordinem religiosum ingreditur, et in illo sacram professionem emittit. Non tenetur equidem vi professionis hujus jam perfectus esse, sed tamen tenetur continue ad perfectionem tendere: hoc enim perfectionis studium post emissa vota negligens similis est homini iter incipienti cum intentione nunquam ad destinatum sibi locum perveniendi, seu similis discipulo scholam frequentanti cum intentione nihil addiscendi. Egregie *S. Thomas* de obligatione Religiosorum tendendi ad perfectionem (2. 2. quaest. 183 etc.) disserit, ubi inter

alia dicit: « Status Religionis est quaedam disciplina, vel exercitium « ad perfectionem perveniendi, ad quam quidem aliqui pervenire ni- « tuntur exercitiis diversis, sicut et medicus ad sanandum uti po- « test diversis medicamentis. Manifestum est autem, quod ille, qui « operatur ad finem, non ex necessitate convenit, quod jam assecu- « tus sit finem: sed requiritur, quod per aliquam viam tendat ad « finem. Et ideo ille, qui statum Religionis assumit, non tenetur « habere perfectam charitatem, sed tenetur ad hoc tendere, et operam « dare, ut habeat charitatem perfectam ». Imo gravem esse hanc Religiosorum obligationem, omnes cordati Theologi docent.

2. Varia dantur media, per quae christiana perfectio promoveri potest: sed non ad omnia illa applicanda Religiosus obligatur; verum ad ea tantum, quae ipsi ratione professionis et status ejusdem praescribuntur. Exacte ergo tum sacra Vota, tum Regulae praecepta, tum Ordinis sui Constitutiones observare debet; haec ipsa enim observantia est via, per quam juxta vocationem suam ad veram perfectionem continuo progredi obligatur. Hoc idem docet *S. Thomas*, qui loco citato sequentia addit: « Religiosi non tenentur ad omnia « exercitia, quibus ad perfectionem pervenitur, sed ad illa, quae de- « terminate sunt eis taxata secundum Regulam, quam professi sunt ». Perpetuo autem cavendum est, ne media cum fine confundantur, aut ne illa huic praeponantur. Regulae et Constitutionum praecepta, ac ipsa vota rite observata, juxta Theologorum doctrinam, non ipsa perfectio, sed media efficacia sunt, per quae Religiosus inordinatas passiones refraenare, virtutes morales et praecipue charitatem exercere, et sic ad veram perfectionem pervenire possit. Errat ergo, et vehementer errat, qui eo, quod regulari observantiae assidue addictus sit, se jam perfectum esse putat, licet inordinatas cordis passiones non refraenet, et virtutes morales ac ipsam charitatem negligat (1). Nec minus errat, qui, ne vel in accidentalibus regulari observantiae

(1) Hinc merito ait S. Bonav. (De sex alis Seraph. c. 3): « Principaliter « tamen cavenda et dolenda est transgressio Praeceptorum Dei; deinde invio- « labilium Praeceptorum S. Ecclesiae: deinde illorum, quae sub voto voluntario « sibimet quisque fecit necessaria, ut regulares observantiae, maxime quae sub « praecepto sunt statutae: deinde omnia scandala speciem mali quamcunque « habentia, nempe avaritiae, superbiae, etc. Deinde cavenda est perturbatio « studii devotionis, ex qua fulcitur omnis vera Religio, et virtutis exercitium « impinguatur ».

desit, nobiliores virtutum actus ponere, vel perfectiora charitatis officia exequi recusat. — Summi sane momenti est, ut Religiosi omnes non solum in magnis, sed et in parvis regulari observantiae fidelissime insistant; sed cum hac caeterarum quoque virtutum exercitium conjungere debent. Ideo cunctis Religiosis id dici debet, quod Apostolus ad Philippenses scribit (4, 8): *De caetero, fratres! quaecunque sunt vera, quaecunque pudica, quaecunque justa, quaecunque sancta, quaecunque amabilia, quaecunque bonae famae, si qua virtus, si qua laus disciplinae, haec cogitate,... haec agite: et Deus pacis erit vobiscum.*

3. Requisitum perfectionis studium, ait *Viator a Cocaleo* (C. I. Exp. 2. n. 4), sequentia importat: 1° ut ipsa perfectio ametur, justitiaeque fames et sitis habeatur; 2° ut serio et ex intima de injuncta sibi obligatione persuasione ad summum perfectionis apicem iter et suscipiatur et continuetur; 3° ut omnis simulatio et hypocrisis absit, cum non hominibus serviatur, qui externis signis falli possunt, sed Deo, qui scrutatur corda et renes; 4° ut perfectionis media ea saltem solertia adhibeantur, qua homines saeculares utuntur ad gravia sua negotia temporalia prospere perficienda. Religiosus ergo, qui nullum perfectionis desiderium fovet, qui in virtutibus proficiendi media non adhibet, qui habitualiter exercitia sua spiritualia obiter tantum, tepide et distracte persolvit, leviores saltem Regulae et Constitutionum transgressiones, caeterasque culpas veniales levi animo accumulat, nec ullo modo se emendare studet; absque dubio requisitum perfectionis studium non habet: gravem ideo obligationem laedit, et in malo conscientiae suae statu versatur (1).

(1) Ad graviter peccandum contra obligationem tendendi ad perfectionem, requiritur *contemptus auctoritatis* juxta illud S. Th. (2. 2. 186, a. 9, ad. 3): « Aliquis transgreditur ex contemptu, quando voluntas ejus renuit subjci ordi- « nationi legis vel regulae; et ex hoc procedit ad faciendum contra legem, vel « regulam: quando autem e converso propter aliquam particularem causam, « puta concupiscentiam vel iram, inducitur ad aliquid faciendum contra sta- « tuta legis vel regulae, non peccat ex contemptu, sed ex aliqua alia causa, « etiamsi frequenter ex eadem causa, vel alia simili peccatum (transgressionem) « iteret ». Notat *ibid.* quod frequentia peccati « dispositive inducit ad con- « temptum ». Unde timeat, qui leves ordinationes in praxi parum curat. Ergo ad peccatum contra obligationem tendendi ad perfectionem requiritur, ut saepe saepius infringantur vota in re gravi, vel ut regulae ex contemptu auctoritatis generatim transgrediantur. — Quoad illum qui frequenter regulas infringit,

Huic etenim cum *S. Hieronymo* dici debet: « Tu igitur perfectum « te fore pollicitus es.... Perfectus autem servus Christi nihil praeter « Christum habet: aut si quid praeter Christum habet, perfectus « non est. Et si perfectus non est, cum se perfectum fore pollicitus « est, ante Deum mentitus est. Os autem, quod mentitur, occidit « animam ». (Epist. 1. ad Heliodor.)

ARTICULUS II.

§ 10.

De obedientia Romano Pontifici, et S. Francisci Successoribus praestanda.

Cum nulla societas sine imperio, cui omnia societatis membra subsint, consistere possit, et cum praecipue Ordines religiosi in firma, atque omnimoda obedientia radicati esse debeant; S. Franciscus, postquam S. Evangelii observantiam commendavit, obedientiam praecipit a Fratribus universis Summo Pontifici, Romanae Ecclesiae, sibi, suisque successoribus praestandam.

---

notandum cum Suarezio (De relig. tr. 8, l. 1, c. 4, n. 18): « Existimo, raro « contingere, ut illa remissio animi in servandis regulis levioribus, etiam di- « recte voluntaria, sit ex hoc solo titulo peccatum mortale: quia illa negligentia, « per se loquendo, tantum est dispositio remota, nisi accedant aliquae peculiares « circumstantiae, quae in aliqua materia consumment occasionem proximam ». Ergo non statim damnandus de mortali religiosus in regulis servandis negligens: Quae omnia prae oculis habeant fratrum confessarii ad vitandum et judicii severitatem et admonitionis negligentiam.

§ 11.

I. De obedientia, et reverentia Papae, et Ecclesiae romanae praestanda.

TEXTUS. *Frater Franciscus promittit obedientiam, et reverentiam Domino Papae Honorio, et Successoribus ejus canonice intrantibus, et Ecclesiae Romanae.*

1. Sicut S. Franciscus inter omnes Religiosorum Ordinum Fundatores, teste *Bellarmino,* primus fuit, qui Regulae suae adprobationem a Papa et petiit, et obtinuit; sic etiam ipse prae caeteris Ordinem suum summo Pontifici subjecit. Ideo *Domino Papae, et successoribus ejus obedientiam et reverentiam promittit.* Quamvis autem hic S. Franciscus tantum, et non alius in specie nominetur, notandum est, quod S. Pater non ut persona privata, sed ut Caput totius Ordinis loquatur; ac ideo obedientia non promittitur solum in persona ipsius S. Francisci, sed etiam, uti Clemens V (C. *Exivi*) declaravit, in persona totius ejus Ordinis. Nam si secus esset, hujusmodi obedientia hic promissa non pertineret (ut vere pertinet) ad institutionem hujus Regulae et vitae regularis. Sed voluit ipse Pater sanctus solummodo se in specie nominare, omnes alios subticendo, ut per hoc demonstraret, quod totus hic Minoritanus Ordo erat in ipso velut in institutore et capite ipsius, et quod omnes quasi unus sunt per unitatem professionis vitae, ita ut ipsius tantum promissio omnium promissio sit. « Hoc item fecit, ait *Politius,* ut observaret « modum reductionis hierarchicae, qua inferiora ad suprema per « media elevantur, et conjunguntur. Unde cum Fratres per obedien- « tiae votum seipsos obligaverint obedire ipsi B. Patri, dum ipse « Summo Pontifici, et Ecclesiae Romanae obedientiam promittit, per « ipsum tamquam per medium (1) ejus fratres reducuntur ad obe- « dientiam praedictam Papae, et Ecclesiae debitam. »

(1) Lato quodam sensu tantum, ut patet, vox *medium* hic adhibetur. Omnes siquidem fideles *immediate* subjiciuntur R. Pontifici, ut expresse docuit et declaravit Conc. Vaticanum, dicens: « hanc Romani Pontificis jurisdictionis po- « testatem.... immediatam esse, erga quam cujuscumque ritus et dignitatis

2. Per *Ecclesiam Romanam,* cui eadem obedientia, et reverentia ut Papae promittitur, juxta *Viatorem a Cocaleo* (Exp. 4 in c. 1), intelliguntur Cardinales, qui Sede vacante illam regunt, et gubernant; item Concilia generalia et particularia ab universa Ecclesia recepta; illae s. Congregationes (1), quae nomine, et sub auspiciis summi Pontificis institutae, et ab ipso confirmatae, leges pro universa Ecclesia, non exceptis Regularibus, aut etiam pro his solis condunt.

3. Obedientia autem, quae a Fratribus Minoribus Papae et Ecclesiae promittitur, non est illa communis, ad quam omnes Ca-

---

« pastores atque fideles, tam seorsum singuli quam simul omnes, officio hie-« rarchicae subordinationis veraeque obedientiae obstringuntur » (Bulla *Pastor Æternus,* cap. 3). Et Natal. Alex. (diss. 4. in saec. I, schol. 3) ait: « Romanus « Pontifex summam habet, eamque ordinariam, in Ecclesia universa potestatem « et auctoritatem; quam *non extraordinariis dumtaxat casibus, sed semper* « *exercere potest,* et in fideles universos, et in ipsos Ecclesiae totius Episcopos, « quia Pastorum omnium *unus* est Pastor ». Et hic non abs re erit verba Leonis XIII adjungere, quibus totius Ordinis specialissima devotio erga R. Pontificem celebratur: « Unusquisque e religiosis Ordinibus, sicuti et suum proprium « characterem, ita et suam specialem gratiam habet. Gratia vestra, o filii « S. Francisci, specialis fuit plenissima in S. Sedem et Romanam Ecclesiam « fidelitas. Haec est vestra gratia, vestra gloria, vestrumque meritum, videlicet « quod Romani Pontifices vos semper habuere devotissimos filios et fidelissimos « operarios. Porro sicut in praeterito, ita et in praesenti et in futuro eritis » (Analecta Ord. Min. Cap. vol. I, pag. 53).

(1) SS. Congregationum Decreta eo fidelius a Minoritis venerari et ad unguem firmiterque servari debent, quo hodiernis praesertim temporibus acrius et subtilius ab impiis sectariis eorumque *complicibus,* diversimode impugnari solent. Fratribus non licet vel minimas SS. Congregationum Decreta et Declarationes negligere, sed e contra ea reverenter fideliterque tenere debent. Et quoniam non raro contingit, quod nonnulli pseudo-philosophi fallaciis non paucis et subtilitatibus (ex defectu verae subjectionis exortis) conantur doctrinalem auctoritatem SS. Congregationum v. g. Indicis, etc. debilitare, praesertim si ex memoratis SS. Congregationibus emanant decreta, epistolae, declarationes, monita et similia quibusdam opinionibus *juris novi* affinibus et amatoribus plus minusve contraria, veri franciscales debent hujusmodi subtilitates, fallacias et distinctiones veritatis diminutivas et a christiana obedientia, et interna mentis subjectione alienas totis viribus rejicere et *totaliter cuilibet adhaerere mandato, desiderio et menti* ipsarum SS. Congregationum. Contrarium facientes sensim sine sensu similes efficeremur illis, qui asserere ausi sunt: « Obligatio « qua catholici magistri et scriptores omnino adstringuntur, coarctatur in iis « tantum, quae ab infallibili Ecclesiae judicio veluti fidei dogmata ab omnibus « credenda proponuntur » (Propositio expresse damnata in Syllabo Pii IX, n. 22).

tholici tenentur, sed est omnino singularis; quia non solum ob universalem legem Christi, sed ratione factae professionis praestanda est. Ideo *S. Bonaventura* ait: « Etsi totus Clerus, et Religiosorum « universitas teneatur firmiter Apostolico Domino obedire, tamen « Sanctus huic debito votum adjicit speciale, sciens, voto superve- « niente fortificari sacri ordinis vinculum, et meritum geminari » (Exp. in c. 1). Imo summus Pontifex jam ex plenitudine potestatis suae, et multo magis, quia S. Franciscus se suumque Ordinem illi penitus subjecit, non solum Regulam declarare, sed et circa illam dispensare, eam immutare, aut ei aliqua addere potest: et ipsi, ait *Politius* (l. c.), « obediendum est in omnibus, quae non sunt contra « animam, nec contra professionem evangelicam » (1). Duplicem ergo reatum incurrunt Fratres Minores summo Pontifici obedientiam denegantes; quoniam speciale sui Legislatoris praeceptum transgrediuntur, seu juxta S. Bonaventuram votum violant (2). Graviter etiam peccant, ut *Bernardus Bonon.* et *Viator a Coc.* dicunt, qui ab ordinationibus et decretis pontificiis se eximunt sub praetextu, quod in regionibus vivant, in quibus Bullae non obligant, nisi sint

(1) Hac in re cavendum a judicio privato, ne ex interpretatione non recta minuatur plenissima potestas Pontificis Maximi, quoad omnes fideles, regulas et regulares. Aliunde, de Pontificis potestate, postquam dispensavit dubitare, instar sacrilegii esset, aiunt Canonistae. Ergo temeritas esset et inobedientia execranda, quasi ad personale fratris judicium revocare declarationes, dispensationes et mandata pontificia, etsi minoris momenti. Veri zelatores verique devoti franciscales valde abhorrent ab omni, quod sapit diminutionem et quasi subtractionem reverentiae et obedientiae Apostolicae Sedi debitarum. Verus Minorita alacriter, prompte et constanter paret vel minimis Apostolicae Sedis desideriis et intentionibus.

(2) Circa hanc *promissionem* (« Fr. Franciscus promittit obedientiam.... ») non concordant Doctores, neque an sit votum speciale, neque an aliquid addat obligationi juris divini et ecclesiastici, neque an *explicite* omnes fratres respiciat, an vero *implicite*. Unde in praxi non esset accusanda circumstantia *minoriticae professionis*, si (quod Deus avertat!) aliquis frater minor transgressus fuisset aliquod praeceptum Pontificis Maximi: sed sufficeret transgressionem simpliciter accusare juxta regulas a Moralistis traditas, ubi *de Legibus* et *de statu religioso*. Aliunde, in praxi agi non solet a DD. de *quatuor*, sed de *tribus* votis a Minoritis prolatis: quia quidquid *speculative* hac de re dicatur, *in praxi* transgressio hujus promissionis et aliorum Regulae praeceptorum (praeter vota), non reputatur proprie dicta et stricta voti violatio, quae proinde peccata multiplicat, sed simplex violatio mandatorum Regulae. Ergo non sunt affirmandae novae species in peccato, nisi de ipsis certo constet.

placeto regio firmatae. Talis sententia, ecclesiasticae potestati injuriosa, praecipue circa decreta admitti nequit specialiter pro Regularibus edita, qui per ipsam Regulam ad obedientiam erga Papam adstringuntur (1).

4. S. Pater non solum obedientiam, sed etiam *reverentiam* Papae, et Ecclesiae Romanae promittit. « Est autem, ait *S. Bona-*« *ventura* (l. c.), exhibitio honoris procedens a timore filiali et hu-« mili affectu: unde Sapiens dicit: *Audi tacens, et pro reverentia* « *accedet tibi bona gratia* (Eccli. 32); quia reverentia humilitatis « est actus Fratris minoris. Unde Fratres minores, sicut humilitatis « profundissimae professores, debent inter omnes summe revereri « summum Pontificem, et alios pro gradu suo in ecclesiasticis officiis « constitutos. » — Jure autem observat *Bernardinus Gandensis*, S. Patrem in votis habuisse, ut Fratres Minores non tantum ecclesiasticis Praelatis, sed omnibus Sacerdotibus humilem reverentiam exhibeant. Ideo suum ipsis exemplum ante oculos ponit in Testamento de *Sacerdotibus, qui vivunt secundum formam sanctae Ecclesiae*, dicens: « Et ipsos, et omnes alios volo timere, amare, et « honorare, sicut meos Dominos: et nolo in ipsis considerare pec-« catum, quia Filium Dei discerno in eis, et Domini mei sunt. Et « propter hoc facio, quia nihil video corporaliter in hoc saeculo de « ipso altissimo Filio Dei, nisi SS. Corpus ejus, et Sanguinem suum, « quod ipsi consecrant, et recipiunt, etc ».

(1) Hinc frater minorita, etiam quatenus simplex fidelis consideratur et independens a sua professione, debet omnimodam obedientiam ordinationibus et decretis pontificiis, et impius esset, sacrilegus, et haereticis schismaticisque similis, qui potestatis civilis favore donatus, directe vel indirecte in praxi eximeretur a debita obedientia erga pontificia mandata. Merito ergo Conc. Vaticanum insanias amatorum et sectatorum idearum modernarum seu *juris novi* (ut habet Leo XIII) solemniter damnavit dicens: « Damnamus ac reprobamus « illorum sententias, qui hanc supremi capitis cum pastoribus et gregibus com-« munionem *licite impediri posse dicunt, aut eamdem reddunt saeculari « potestati obnoxiam;* ita ut contendant, quae ab Apostolica Sede vel ejus « auctoritate ad regimen Ecclesiae constituuntur, vim ac valorem non habere, « nisi potestatis saecularis placito confirmentur ».

§ 12.

II. De obedientia S. Francisco, et ejus Successoribus praestanda.

TEXTUS. *Et alii Fratres tenentur Fratri Francisco, et ejus Successoribus obedire.*

1. Verba haec duplici modo intelligi solent. Nonnulli putant, S. Patrem hic generatim Fratribus minoribus obedientiam erga Ministrum Generalem, ceu legitimum sui Successorem, injungere. Sed quoniam hac de re speciale praeceptum in capite octavo legitur (1), alii docent, citata verba id tantum innuere, quod omnes Fratres teneantur Fr. Francisco, et ejus Successoribus obedire, dum obedientiam, et reverentiam Papae, et Ecclesiae Romanae praestandam injungunt. Hanc explicationem etiam *S. Bonaventura* adoptavit; ait enim: « *Alii Fratres teneantur Fr. Francisco, et ejus Successo-* « *ribus obedire;* ut catenae aureae uncinis mediis disponuntur, sic « inferiores a supremo vertice per gradus medios deducantur: hic « est enim motus rectus mentium divinarum, ut docet *Dionysius:* « et sic scala Jacob ascendentibus, et descendentibus adornatur: sic « ascensu purpureo filiae Jerusalem pergunt in reclinatorium Sa- « lomonis ».

2. Cum in Ordine seraphico plures Ministri Generales habeantur, nimirum Conventualium, Observantium, et Capuccinorum, quaestio mota est, quisnam sit genuinus S. Francisci Successor? — Sed respondendum est, omnes tres eadem auctoritate insigniri. Quamvis enim S. Franciscus unum Ordinem instituerit, cui nonnisi unum caput praeesse debeat, nihilominus successu temporis, ut ipse seraphicus Pater praedixerat (v. Wadding, ad annum 1223 n. 12), plura corpora enata sunt, quae distincta capita exigebant. Sicut autem de Sem, Cham et Japhet jure dicitur, quod omnes tres Noachi successores sint, et quod cum suis posteris Noachi familiam constituant; sic etiam nominati tres Ministri Generales singuli sunt legitimi

(1) Ea verba Cap. VIII: « Universi Fratres unum de Fratribus istius Re- « ligionis teneantur semper habere in Generalem Ministrum et servum totius « Fraternitatis. Et ei teneantur firmiter obedire ».

S. Francisci Successores, et cum suis Subditis unum minoritanum Ordinem, licet in plures ramos divisum, constituunt. Ipsi Romani Pontifices id jam deciderunt, et disceptationes inanes hac de re interdixerunt. Ministrum Generalem Observantium legitimum esse S. Francisci Successorem, declaravit *Leo X* (Const. 23. *Ite et vos in vineam,* etc. § 17). Hoc idem autem de Ministro Generali Capuccinorum declaravit *Urbanus VIII,* qui (Const. 68. *Salvatoris*) haec etiam memoratu digna habet: « Nos attentius considerantes « eorumdem Fratrum Capuccinorum originem, seu principium illorum « esse realiter, et cum effectu computandum a tempore primaevae et « originalis institutionis Regulae Seraphicae;.... re prius per Vene- « rabiles Fratres Nostros S. R. Ecclesiae Cardinales negotiis Regu- « larium praepositos mature discussa, de eorumdem Cardinalium « Consilio, Fratres Capuccinos fuisse, et esse ex vera, et nunquam « interrupta linea, ac veros, et indubitatos Fratres Ordinis S. Fran- « cisci.... decernimus et declaramus ».

CAPUT II.

§ 13.

De iis, qui volunt vitam istam accipere, et qualiter recipi debeant.

Postquam S. Franciscus in capite primo solida pro Ordine a se instituendo fundamenta posuit, statim de illis loquitur, qui hunc Ordinem ingressuri, et professionem religiosam in isto emissuri sunt, ut egregio a se constructo aedificio dignos quoque habitatores provideret. Ideo in secundo hoc capite agit 1. *de Novitiorum receptione,* 2. *de receptorum probatione,* 3. *de probatorum professione,* et 4. demum *de professorum vestimentis.*

ARTICULUS I.

§ 14.

De Novitiorum receptione.

In quolibet Ordine summi momenti est, ut nonnisi membra digna in illo recipiantur. Qua de re maxime sollicitus S. Franciscus in hoc capite, *primo* officia Fratrum erga Candidatos, i. e. erga illos, qui Ordini adscribi cupiunt, proponit; *secundo* determinat, cuinam Novitios recipiendi potestas competat; et *tertio* de conditionibus, quae ad Novitios recipiendos exiguntur, seu de requisitis recipiendorum qualitatibus agit.

§ 15.

I. De officiis Fratrum erga Candidatos.

TEXTUS. *Si qui voluerint hanc vitam accipere, et venerint ad Fratres nostros, mittant eos ad suos Ministros Provinciales.*

1. Cum quis Ordinem religiosum ingredi cupit, omnino opus est, ut a Deo ad illum vocatus sit. In statu enim religioso praeter praecepta divina etiam aliqua evangelica consilia sub culpa mortali observari debent, ut est vivere in obedientia, sine proprio, et in castitate. Hoc vero non omnium esse, Christus declaravit dicens: *Sunt Eunuchi, qui se castraverunt propter regnum coelorum; sed non omnes capiunt verbum hoc: qui potest capere, capiat* (Marc. 19). Et alibi idem Dominus dixit: *Quis volens turrim aedificare, non computat prius, si habeat sumptus ad perficiendum eam?* (Luc. 14). Quibus verbis satis instruimur, quod non quilibet habeat necessarios sumptus ad perficiendam turrim spiritualis aedificii; et ideo quicumque illam aedificare voluerit, prius metiri debet suas vires, et

habilitatem, si ad tantam provinciam subeundam sint bene proportionatae et dispositae. Ideo etiam S. Franciscus noluit, ut quis ad ingressum Ordinis compellatur, sed ait: *Si qui voluerint hanc vitam accipere,* etc. « Loquitur, ait *S. Bonaventura,* conditionate, Dominum « sequendo dicentem: *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia « quae habes, et da pauperibus,* etc. (Matth. 19). Religionis enim « hujus propositum, ut nullum terrenum exspectari possit emolu- « mentum, nulli necessitate imponitur, nec carne, et sanguine sug- « geritur; sed ab illo inspiratur, de quo dicit: *non potest homo « accipere quidquam, nisi datum fuerit ei de coelo* » (Joann. 3).

2. *Si qui venerint ad Fratres nostros,* et liberam suam voluntatem Ordinem ingrediendi manifestent, *mittant eos ad suos Ministros Provinciales.* In hisce verbis nonnulli, ut *Hugo de Dina,* et *quatuor Magistri,* solum consilium; alii, ut *Philippus e Castellutio,* praeceptum mere negativum, quo Fratres Novitios recipere prohibentur; alii autem, ut *Marchantius, Politius,* etc., praeceptum positivum agnoscunt, quia Clemens V ea, quae de Novitiis in hoc capite dicuntur, praeceptis aequipollentibus adnumeravit. Tenentur ergo Fratres Candidatos ad se venientes mittere ad Provincialem. Sed tamen hoc praeceptum hypotheticum est. Nimirum si Frater, cui Candidati desiderium manifestatur, certo cognoscat, hunc pro Ordine idoneum, et receptione dignum esse, non solum vi hujus praecepti, sed etiam ex lege divina, et naturali obligatur, ingressum illius in Ordinem promovere, atque ideo eumdem ad Provincialem mittere. Qui id negligit, et multo magis qui suasionibus iniquis Candidatum ab ingressu Religionis retrahit, gravissime peccat; quoniam magnam injuriam infert tum Religioni, quam idoneo subjecto privat, tum ipsi juveni, quem a perfectiori statu retinet, et cujus salutem aeternam magno periculo exponit; quod utrumque gravissime charitatem laedit. Erga juvenes ideo ingenio et bona indole praeditos praeceptum Dei observandum est: *Occurrentes sitienti ferte aquam, qui habitatis terram Austri; cum panibus occurrite fugienti: a facie enim gladiorum fugerunt, a facie gladii imminentis, a facie arcus extenti, a facie gravis praelii* (Is. 21). — Si autem certo constet de Candidati inhabilitate, eo quod vel nimis hebes sit ingenio, vel pravam indolem, corruptosque praeseferat mores; talem non licet ad Provincialem mittere, quia injuria fieret vel juveni, inutile iter perficienti, vel Ordini, malum membrum suscipienti. Pessime ergo agunt, qui ex amicitia, ob cognationem, aut alio respectu humano

ducti inhabiles, et indignos Provinciali repraesentant, atque commendant. His omni jure dici potest: *Si offeratis caecum,* i. e. juvenem sine studio et sine ingenio, *nonne malum est? et si offeratis claudum, et languidum* ob pravam indolem, corruptosque mores, *nonne malum est?* (Malach. 1, 8). — Denique si dubium est, an Candidatus requisitas pro Ordine qualitates habeat, nec ne, non statim hic ut indignus declarandus, et repellendus est; sed exemplum S. Philippi Apostoli imitari oportet, qui (Jo. 12, 21, etc.) Jesum videre cupientes non illico repulit, sed ab Andrea consilium cepit, quo facto ambo Christum hac de re certiorem reddidere. Eodem modo Frater, de Candidati habilitate dubitans, a viro docto, pio, et prudenti consilium capere, et vel maxime Superiori locali rem manifestare debet, qui debitas de Candidati qualitatibus notitias, quantum prudenter fieri potest, sibi comparare, et de his Ministrum Provincialem certiorem reddere tenetur.

3. Fratres generatim Candidatos ad se venientes suscipere debent in visceribus charitatis, ne si cum fastu, et contemptu tractentur, cum adhuc infirmi esse soleant, a vocatione sua deterreantur. Suaviter potius edocendi sunt, quanti aestimandum sit vocationis istius beneficium. Prudenter quoque Fratres, saltem per interrogationes indirectas, indagare conentur, ex quonam motivo ad Religionis ingressum impellantur. Oportet enim, ut non alium finem intendant, nisi ut Deo perfectius servire, et animae suae salutem facilius consequi possint. Quod si solum ex amore panis, aut ex commodioris vitae desiderio, aut ex ambitione, aut ex desperatione venire cognoscantur, nec a Deo vocati, nec receptione digni censendi sunt. Si autem ex recto fine Ordinis ingressum desiderare videantur, admonendi sunt, ut quantum fieri potest, de sua vocatione se certos reddant, fervidis ideo precibus lumen divinum implorent, et apud Confessarium doctum, pium, et indifferentem, cui totum cor suum aperiant, bene ordinatam status electionem perficiant, atque hujus factae testimonium, a directore subscriptum (1), sibi comparent, et Ministro Provinciali ostendant.

(1) Quoniam non ubique soleant hujusmodi testimonia directoris postulari, nec semper laudabile, neque decorosum, neque facile sit scripta testimonia *haud de jure requisita* exigere, prudenter agant Ministri et juxta consuetudines singularum regionum, et totis viribus abhorreant ab omni, quod odiosam inquisitionem sapiat, vel minuere possit fiduciam candidatum inter et ejus *di-*

4. Quaestio mota est, an licitum sit Fratribus, saeculares invitare, et incitare ad Religionis ingressum; cum juxta Regulae verba ad Ministros Provinciales illi tantum mittendi esse videantur, *qui* sponte *voluerint hanc vitam accipere, et venerint ad Fratres nostros?* — Ad hanc quaestionem jam *S. Bonaventura* affirmative respondit, et ideo citata verba exponens ait: « Non hoc dicitur, « quasi non liceat Fratribus non venientes exhortationibus praeve- « nire; cum et ipse Dominus plures ad discipulatum recipiens, plures « vocali vocatione praevenisse legatur, ut Andream, Petrum, et si- « miles: quidam ipsum praevenerunt, se ejus consortio offerendo, « quorum et unus repulsus est, ut patet ex Matth. 8. Venientium « igitur ad Fratres quidam sunt a Fratribus praeventi, quidam vero « ipsos sua devotione praeveniunt; et de omnibus hic dicitur: *mit-* « *tant eos,* etc. ». Et sane, ut *S. Thomas* 2, 2, qu. 189, ar. 9, probat, sanctum, piumque est, alios exhortari, et inducere ad majorem perfectionem, majusque bonum assumendum, ut est Status religiosus. — Ast ut honestum, licitumque sit, saeculares invitare, et allicere ad Religionis ingressum, tria requiruntur. *Primo* requiritur, ut nonnisi idonei, et digni invitentur; quoniam alias magna Religioni injuria fieret. *Secundo* requiritur, ut in Ordine, vel saltem in Provincia, ad quam illi invitantur, disciplina, et observantia regularis vigeat: nam juxta *S. Thomam,* et communem Theologorum sententiam, tam scienter inducere, quam recipere quempiam ad Religionem deformatam vituperabile est, et mortale peccatum (1); quoniam qui introducit quempiam in Religionem, in qua Regulae promissae observantia non est, et inordinatae relaxationes inveniuntur, ejus manifesto periculo in easdem transgressiones prolabendi directe cooperatur, eidemque causam imminentis ruinae praebet. Excusari tantum et invitantes, et recipientes a mortali culpa possent, si ingrediens Ordinem ferventissimo probaretur esse spiritu, et probabi-

---

rectorem. Cfr. Theol. Moral., ubi de secreto naturali et commisso. Quoad *confessarium* candidatorum, cavendum ab omni directa vel indirecta sacramentalis sigilli transgressione.

(1) In praxi vix invenitur casus, in quo tale peccatum committatur, praesertim quando agitur de Ordinibus et Provinciis regularibus, quae ab Apostolica Sede et a Generalibus Moderatoribus, imo a locorum Ordinariis vera aestimatione hic et nunc decorantur. Unde ex falso zelo facile errare posset frater de Provinciae deformatione vocationum impeditiva ex seipso judicans, quia hac in re generatim non sufficiunt privatorum judicia.

liter speraretur, quod profecturus esset in Ordine, et ad regularem observantiam in hoc restaurandam multa collaturus. *Tertio* requiritur, ut ad saeculares ad Religionis ingressum inducendos nonnisi honesta, et licita media adhibeantur. Cavendum ergo est ab omni *violentia* physica, vel morali, quae impenderetur, si quis sine solida ratione juveni minaretur certum salutis dispendium, aut parentes impelleret ad omne eidem subsidium negandum, nisi Religiosus fieret: abesse quoque debet omnis *fraus,* quae contingeret, si quis de austeritatibus, incommodis, et officiis Religionis taceret, et e contra talia promitteret, quae in Ordine inveniri nequaquam possunt: abstinendum praeterea est a *precibus nimis importunis,* quibus imbecilles, teneraeque mentes hinc inde ad ea facienda moventur, quae postea serio reflectentibus displicent. Maxime autem iniquae sunt *detractiones,* et *calumniae,* quibus quis alium Ordinem, quem Candidatus praeamaret et praeeligeret, deprimit et denigrat, ut hunc sui Ordinis praedam faciat. Talia media, per quae nulla benedictio divina sperari potest, omnino vitanda sunt; et non alio modo saeculares ad ingrediendum Ordinem incitandi sunt, nisi ostendendo eis ex una parte pericula mundi; et ex altera maxima spiritualia Status religiosi emolumenta.

§ 16.

II. De Novitios recipiendi potestate.

TEXTUS. *Quibus (Ministris Provincialibus) solummodo, et non aliis recipiendi Fratres licentia concedatur.*

1. Gravissimum Novitios recipiendi negotium, a quo salus Ordinis maxime dependet, S. Franciscus solis Ministris Provincialibus concredendum esse censuit, *quibus,* ait, *solummodo, et non aliis recipiendi Fratres licentia concedatur.* « Ecce, inquit *S. Bona-*« *ventura,* clavis auctoritatis Ministris tantummodo reservatur, idque « ex duplici causa: prima est, ut constantia recurrentis probetur: « secunda, quia de prudentia Ministri magis rationabiliter praesu-« mitur, quod arte sciat piscatoria bonos in vasa sua eligere, malis « vero non idoneis foras missis. » Etsi autem hic tantum de Mini-

stris Provincialibus mentio fiat, non per hoc tamen excluditur Generalis Minister, quin possit ad Ordinem recipere: imo ad eum spectat, et in eo, tamquam supremo totius Ordinis moderatore, ordinaria auctoritas residet recipiendi, et acceptandi quoscumque ad vitam istam recipiendam venturos, cum id Ministro Provinciali in propria tantum provincia concedatur. Nonnulli etiam cum *Politio* putant, tenore Regulae Ministros Provinciales non ordinariam Novitios recipiendi potestatem habere, quia dicitur: quibus licentia *concedatur*, nimirum a Ministro Generali. Sed tamen *S. Bonaventura, quatuor Magistri, Pisanus,* et *Hugo* Ministris Provincialibus jam ab ipsa Regula ordinariam Novitios recipiendi potestatem collatam esse dicunt; nam, inquit *Hugo,* « quodam loquendi modo ty-« pico, et multum typico (in citato regulae textu) per verbum futu-« rum praesens jam data licentia designatur. Sic igitur dictum est: « *recipiendi licentia concedatur* etc.; ut sint verba hujusmodi li-« centiam concedentis ». Haec explicatio confirmatur ex loco parallelo, qui inferius legitur, ubi de Novitiis, bona sua distribuere volentibus et ideo consilium requirentibus, dicitur: *Habeant Ministri licentiam mittendi eos* etc.; quo in casu certe nullatenus opus est, ut ad id exequendum a Ministro Generali licentiam requirant.

2. Circa potestatem Novitios recipiendi varias declarationes, et ordinationes (1) Rom. Pontifices ediderunt. *Gregorius IX* (C. *Quo elongati*) declaravit, Ministris Provincialibus non permitti Novitios recipere, « nisi eis specialis super hoc licentia concedatur; quibus « etiam Generalis Minister sicut concedere, sic negare potest licen-« tiam supradictam ». Cum autem de hac declaratione multi lamentarentur, et *quatuor Magistri* dicerent: « videtur haec expositio in-« tellectum Regulae coarctare »; mox *Innocentius IV,* et *Alexander IV* (C. *Ordinem vestrum*) Ministris Provincialibus ordinariam Novitios recipiendi potestatem adjudicarunt; et *Nicolaus III,* in

(1) In tanta decretorum multitudine ob temporum exigentias successive necessaria facta, speciatim prae oculis habeant Praelati (praeter ordinarias leges) duo decreta a *S. Cong. super Statu Regularium,* lata die 25 Januarii 1848, quorum alterum incipit « *Romani Pontifices* », aliud vero « *Regulari disciplinae instaurandae* », necnon declarationes ab eadem S. Cong. editas, scilicet: 1) Super Decreto « *Romani Pontifices* », in quo de dubiis circa testimoniales agitur. 2) Super Decreto « *Regulari disciplinae* », in Italia et insulis adjacentibus servando, editas 1 Maii 1851 et 16 Ian. 1852.

sua Regulae expositione declaravit, ordinariam Novitios recipiendi potestatem tum Ministro Generali, tum Ministris Provincialibus competere. Ait enim: « Concedimus, et praesenti statuto firmamus, li-« cere non solum Generali, sed etiam Provincialibus Ministris per-« sonas fugientes a saeculo in Fratres recipere: quae Ministrorum « Provincialium licentia per ipsum Generalem, sicut expedire viderit, « possit arctari ». Eadem quoque potestas inest Vicariis Provincialibus, qui mortuo Provinciali succedunt: aliter autem sentiendum est de Vicariis, et Commissariis vivente Provinciale statutis, quibus, ut *Nicolaus III* asserit, ordinaria Novitios recipiendi potestas non competit. Sed tamen hic idem Pontifex Ministris Provincialibus facultatem tribuit, Vicariis suis, Commissariis, aut etiam aliis Religiosis Novitios recipiendi potestatem concedendi, adjecta monitione: « Caveant tamen Provinciales, quod hoc non indiscrete, non passim, « sed sic considerate committant, ut illos, quibus hoc committi con-« tigerit, fidelibus consiliis fulciant, quae omnia discrete procedant ». — *Sixtus V* ordinavit, ut Novitiorum receptio nonnisi in Capitulis generalibus, aut provincialibus fiat (C. *Cum de omnibus*). Idem autem Pontifex hanc suam legem mitigavit, permittens in alia Constitutione (*Ad Romanum spectat*), ut Ministri Provinciales etiam cum consilio trium Patrum discretorum Novitios recipere possint. Idem confirmarunt *Gregorius XIV,* atque *Clemens VIII:* ille in Const. *Circumspecta;* hic in suis Decretis annexis Const. *In suprema.* Imo Cardinalis S. Severinae, Protector Ordinis, obtinuit a Gregorio XIV vivum vocis oraculum, quo Capuccinorum Praelatis conceditur, « ut quocumque anni tempore extra Capitula generalia vel « provincialia, de consilio tamen trium, vel quatuor Fratrum senio-« rum loci, seu conventus in quo praedicti recipiendi erunt, servata « tamen forma regulae et constitutionum, recipere et admittere cu-« pientes ingredi possint, ac valeant » (v. Bullar. tom. 1, pag. 43).

§ 17.

III. De Conditionibus pro receptione Novitiorum requisitis.

Quamvis Ministri Novitios recipiendi potestate gaudeant, nullatenus tamen hac mere arbitrario, ac independenti modo uti possunt; sed in tanto negotio cum prudentia, discretione, justitia, et charitate

ita procedere debent, ut nec dignos repellendo, nec ineptos recipiendo Ordinis sui bonum promoveant. Probe igitur attendere obligantur *Conditiones* partim *ab ipsa Regula,* partim *a lege divina, et naturali,* partim *a S. Canonibus,* partim a *Constitutionibus Ordinis* pro bene ordinata Novitiorum receptione requisitas.

§ 18.

A. Conditiones a Regula praescriptae.

TEXTUS. *Ministri vero diligenter examinent eos de Fide catholica, et Ecclesiasticis Sacramentis; et si haec omnia credant, et velint ea fideliter confiteri, et usque in finem firmiter observare: et si uxores non habeant, vel si habent, et jam Monasterium intraverint uxores, vel licentiam eis dederint auctoritate Dioecesani Episcopi, voto continentiae jam emisso; et illius aetatis sint uxores, quod non possit de eis oriri suspicio.*

Sacra Regula duo Ministris in receptione Novitiorum praescribit, nimirum, ut hos examinent circa *fidem,* et circa *statum liberum a vinculo matrimonii.*

1. Primo itaque Ministri jubentur, recipi cupientes examinare de fide catholica, et ecclesiasticis Sacramentis. Sed « hoc, ait *S. Bo-* « *naventura,* pro illis dicitur partibus, ubi contingit aliquos haere- « ticos inveniri ». Non ergo indiscriminatim apud omnes hoc examen de rebus fidei instituendum est; nam in jure dicitur: « Noti non « sunt examinandi, sed tantum ignoti » (Gloss. in c. Nullus examinetur, d. 24), et cessante fine legis, cessat lex: sed tunc tantummodo praedictum examen necessario, et sub praecepto institui debet, cum rationabiliter ex circumstantiis aliquibus agnosci posset, quod periculosum esset illud omitti. Imo inquisitio eo accuratior fieri debet, quo majora male suspicandi motiva praebent vel parentes suspectae fidei, vel patria haeresi infecta, vel praecedens cum incredulis aut

haereticis conversatio, vel locus (1) studii cum principiis catholicis haud bene convenientis. — Cum fides de ecclesiasticis Sacramentis jam in fide catholica contineatur, nonnulli putant, a S. Patre examen circa usum, et frequentationem Sacramentorum praescribi, quoniam exinde status moralis juvenum facilius dignosci potest. — Omni quoque jure dicitur, non solum de fide theoretica, sed etiam de fide practica examen postulari; quia, ut ait *S. Bonaventura*, « minorum examinatio in majoribus implicatur ». Et sane ex ipsis Regulae verbis constat, S. Patrem tales sequaces desiderare, qui non solummodo rectam fidem interius teneant, sed etiam ore, et opere fideliter confiteantur; qui Evangelium non erubescant, sed pro honore Dei omnia pati velint, et sic usque in finem perseverantes existant.

2. S. Pater vult, ut admittendi ad sacrum Religionis montem *uxores non habeant;* cujus rei S. Paulus rationem reddit, dicens: *Qui sine uxore est, sollicitus est, quae Domini sunt, quomodo placeat Deo: qui autem cum uxore est, sollicitus est, quae sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est* (I. Cor. 7). Ideo idem Apostolus virginalem castitatem commendat, eo *quod facultatem praebeat sine impedimento Dominum obsecrandi* (ib. v. 35). Attamen neque conjugatis ingressus in Ordinem penitus recluditur: ut autem recipi possint tria requiruntur: 1. ut uxor libere consenserit, et licentiam dederit; « si enim assensus fuisset per vim extor« tus, posset conjux, quae talem assensum praestitit, alterum conju« gem, licet jam in Claustris inclusum, ex iisdem revocare », ut rescripsit *Innocentius III* (in decret. *Accedens*): 2. requiritur juxta Regulam, ut uxor vel monasterium jam intraverit, vel votum continentiae jam emiserit; sed *Benedictus XIV* declaravit nulli parti ingressum Religionis concedendum esse, nisi etiam altera pars Religionem ingrediatur (de Syn. Dioec. lib. 13, cap. 13, n. 10): 3. requiritur, ut *illius aetatis sint uxores, quod de eis oriri non possit*

(1) Hoc maximi est momenti nostris praesertim temporibus, in quibus multiplicantur collegia vel « athea » sive « laicalia » uti dicunt, vel peste indifferentismi infecta, vel etsi honesta et magni nominis, tamen Juri novo et liberalismo quodam fanatico sensu pseudo-sincero et pseudo-pio adhaerent. Videatur, si expediat, quomodo in rebus philosophicis et historicis juvenes a talibus Collegiis provenientes cogitent, et an sint in praejudiciis tenaces. Non solum enim tutanda est Religio ab haereseum peste, sed etiam ab errorum affinitatibus.

suspicio; in quae verba apposite *S. Bonaventura* dicit: « Aetas « ista non minus stabilitate virtutis, quam tractu temporis mensu- « randa videtur, quia dicit Sapiens: *Senectus venerabilis est non « diuturna, neque annorum numero computata: cani autem sunt « sensus hominis, et aetas senectutis vita immaculata* » (Sap. 4). Non vult autem S. Pater, ut tale negotium absque *auctoritate Dioecesani Episcopi* perficiatur, tum quia Sacramento Matrimonii colligati Episcopo suo subjecti sunt, tum etiam ut hic judex sit, et decernat, an sine incontinentiae periculo separatio fieri possit, tum denique ut ipsemet testis sit dati ex utraque parte consensus (1). — Notandum vero est, quod, si matrimonium ratum, et non consummatum fuerit, conjux etiam contradicente uxore Ordinem ingredi possit; quia tale matrimonium per solemnem religionis professionem alterius conjugum dirimitur, ut declaravit *Concilium Tridentinum, Sess.* 24, *can.* 6. Qui uxorem in adulterio deprehendit, juxta nonnullorum sententiam potest sine conjugis licentia, cui non amplius cohabitare tenetur, Ordinem ingredi: notant tamen, id tantum fieri posse, si crimen sit notorium; quia alias uxor infamaretur, et maritus a Judicibus repeti posset, et sic scandala orirentur. Melius autem sentiunt, qui asserunt, nullatenus licitum esse, maritum uxoris adulterae recipere; quia Regula requirit, ut *illius aetatis sint uxores, quod de eis non possit oriri suspicio:* si autem uxor praesente viro peccavit, quid ipso absente fiet? Ideo cum *Corduba Politius* dicit: « mortalis esset culpa ex Regula, hujusmodi maritum « ad Ordinem recipere, si mulier ad id non consentiat, neque sine « probabili suspicione sit incontinentiae (prout Regula mandat) in « saeculo remanendo » (2). Qui secundas nuptias iniit, et consum-

(1) Claritatis et brevitatis causa, haec omnia ad sequentia reducuntur praescripta de jure et de regula: 1) *In omni casu requiritur Episcopi consensus.* 2) *Hodie absolute requiritur, ut uxor Religionem ingrediatur.* Unde ex duplici saltem capite in hoc negotio nihil fieri potest absque Episcopi auctoritate, ipseque Episcopus nihil potest nisi quod juri conforme. Et quia res est magni momenti, nunquam fere adsunt requisita ac proinde nunquam fere admitti poterunt uxorem habentes, imo infaustus exitus facillime timendus. Ergo nec Provincialibus absque Definitorii, nec utrisque simul absque Min. Generalis consensu ex perfecte praecognitis causis agendum erit unquam.

(2) Quidquid sit de variis Moralistarum distinctionibus circa hanc materiam (adulterii), in praxi, nostris praesertim temporibus, rigorose agendum et ad Ordinis tutamen potius quam ad privatam utilitatem attendi debet, et quidem ex

mavit, si, uxore consentiente et in monasterium ingrediente, velit Religiosus fieri, potest recipi ut Laicus, et non ut Clericus; quia ob bigamiam successivam factus est irregularis.

§ 19.

B. Conditiones a lege divina, et naturali requisitae.

A lege divina, et naturali requiritur, ut, qui ad Ordinem recipiuntur, *habeant sufficientem rationis usum,* ut *non sint aere alieno, seu debitis gravati,* et ut *non deserant genitores suos in gravi necessitate.*

1. Fatuus, usu rationis carens, nec libere Religionem ingredi, et vovere, nec etiam praecepta Regulae, et regularis vitae officia observare potest: talem recipi non posse, qui religiosae communitati maximo esset oneri, sole clarius apparet. Idem dicendum est de semifatuis, qui saepe majores molestias causantur, eo quod non semper, ut priores, ligari, et in carcere detineri possint (1). Illis quoque receptio neganda est, de quibus ex rationabili causa periculum timetur, quod aliquando mente perturbari, et delirantes fieri possint. Id autem vel a stirpe, ex qua nati, et in qua jam nonnulli fatui inventi fuerunt, vel ex eorum temperamento dignosci potest. Nam, ut docet *Cl. Bonav. Dernoye,* ab exuberantia humorum in quolibet temperamento fatuitas oriri potest; et quod ad hanc proclivitas adsit, signa sunt apud *cholericos,* si facile excandescunt, dein sine ordine et discretione loquuntur, audaces absona aggrediuntur, et in impetu suo irrationabilia perpetrant, de quibus postea erubescere debent: apud *sanguineos,* si facile, et absque causa rideant, caput et manus frequenter, et inordinate agitent, in conversatione nimis leves,

justitia et charitate erga universalitatem fratrum. Aliunde et circa matrimonium ratum, et circa probationem adulterii adiri debet Ordinarius seu Iudex ecclesiasticus causarum matrimonialium. Ergo in casibus particularibus totum de uxoratis negotium et Ordinario et Moderatori Generali remitti debet, juxta dicta in nota praecedenti, ac proinde non innovandum in cavillationibus expositorum.

(1) Cum hodie Superiores carent fere omnibus coërcitivis mediis ad discolos continendos, eo magis uti debent mediis moralibus, nec ignorare debent canonicas sanctiones, quibus facillime occurri potest communi bono, et conscientias debite retinere.

et petulantes se ostendant, ita ut, quinam sint, nescire videantur: apud *phlegmaticos,* si nullius rei, nisi suae quietis desiderium ostendant; velut boves, nisi agitentur, non moveantur; et ipsa flagitia ideo tantum vitare videantur, quia ad illa perpetranda nimis pigri sunt: ac demum apud *melancholicos,* si saepius tristem vultum, et perturbatos oculos praeseferant; erga alios increduli, sinistris suspicionibus pleni, ac sibimetipsis graves sint, et ob levem injuriam se ab aliis separent, omne colloquium, omnemque conversationem vitantes. De istis timendum est, quod in decursu temporis vel omnino amentes fiant, vel saltem per inordinatum suum temperamentum in usu rationis, ad officia religiosa exequenda requisito, valde impediantur. Convenit igitur, ut Ministri juvenum recipi cupientium characteres, et temperamenta vel ipsi explorent, vel ab aliis, qui cum illis diutius conversati sunt, certas notitias hauriant. Cavendum vero est, ne ob aliquem, ex temperamento provenientem, defectum, a quo vix quidam liber est, Candidato receptio negetur; nam id tunc solum fieri debet, si defectus, ex naturali temperamento proveniens sit valde notabilis ita, ut jure credatur, defectum in Ordine non minuendum, sed augendum esse; alias enim saltem probationi, in Novitiatu instituendae, locum dare oportet.

2. Qui aere alieno, seu debitis pecuniariis gravatus est, si habet bona, quibus creditoribus satisfaciat, juxta omnes Theologos non potest sine gravi injustitia Religionem ingredi, nisi prius debita solvisset. Si autem bona sufficientia non habet ad solvendum, quaeritur, an teneatur in saeculo remanere, ut laborando, munus quoddam gerendo, aut artem exercendo creditoribus satisfacere possit? — Ad hanc quaestionem duplex datur responsio. *S. Thomas* (2, 2, quaest. ult. ad 3) respondet negative, et ait: « Non tenetur in saeculo remanere (licet sit industrius), ut procuret industria vel arte sua, unde creditori satisfaciat; nec item hujus gratia tenetur in Religione laborare, cum ex toto sit Religioni subjectus, ita ut non sit momentum, in quo a Praelato occupari non possit, et non habeat velle, aut nolle; sufficit ergo, quod cedat bonis, et juribus suis omnibus, tradens ea creditori, et post hoc non potest incarcerari, nec servituti alicujus subjici. Ratio est, quia in lege gratiae persona hominis liberi non potest obligari pro debito pecuniario, sicut poterat in lege veteri; nec aequum est, ut ob bonum unius temporale, alter bono suo spirituali gravissimi momenti privetur; et ideo quisquis fervore charitatis, et instinctu Spiritus S. ad frugiorem vitam Religionis

movetur, non obligatur, nec alia adstringitur lege, ut in saeculo teneatur permanere, quo satisfaciat creditori ex eo, quod industria et arte sua lucrari poterit; non enim Spiritui S. est resistendum ». Hanc S. Thomae sententiam probabiliorem dicit, et fuse defendit *Politius*. Alii autem cum *Gersone, Medina, Corduba, Navarro,* et aliis dicunt, quod debitis onustus teneatur in saeculo manere, ibique arte, et industria sua laborare, ut satisfaciat creditori. Nam, ajunt, ingredi Religionem, consilium est, debita vero solvere, praeceptum; non licet autem praeceptum divinum violare, ut evangelicum consilium impleatur; neque ideo bonum temporale unius bono spirituali alterius praeponitur, quia ubique per observantiam mandatorum divinorum salus obtinetur: quapropter credi non potest, a Spiritu S. quemdam ad Religionem vocari, in qua obligationibus suis satisfacere non potest. Recte ideo *Bon. Dernoye* dicit: « Qui se impoten-« tem reddit ad debita solvenda, non se privat rebus ex amore « Christi, sed ipsum Christum in creditoribus rebus suis privat, et « verum furtum committit ». Juxta hanc sententiam ipsa Religio tenetur creditoribus satisfacere, si debitis obnoxium scienter recepit, et ad professionem admisit: si autem hic debita sua fraudulenter celavit, Religio hunc vel ad tempus ejicere (1), vel alio modo procurare debet, ut ab eodem solutio peragatur. Caeterum omnes conveniunt, quod debitis gravatus ad Ordinem recipi possit, vel si in saeculo remanens gravissimo salutis periculo exponeretur, vel si a creditoribus licentiam ad ingrediendam Religionem obtinuerit (2).

3. Qui habet parentes in gravi necessitate constitutos, suoque auxilio omnino indigentes, non potest licite ingredi Religionem. Nam obligatio filiorum parentibus indigentibus subveniendi ex ipsa naturae lege petitur, eamdemque inculcat lex divina, dum parentes honorare praecipit; nam ait *S. Thomas* (2, 2, quaest. 101): « In ho-« noratione parentum intelligitur omnis subventio, quae debet pa-

(1) De ejectis et ejiciendis alibi. Hic sufficiat adnotare quod ejectio temporanea ex se admitti nequit.

(2) Nullatenus contradicere volumus solidis D. Thomae principiis circa hanc materiam; in praxi vero et nostris praesertim temporibus, in Ordinem omnino non recipiantur, qui debitis vel aere alieno gravati sunt propter incommoda facile sequutura. Facilius agendum cum illis, qui personis incertis vel potius ignotis quid debent; tunc enim ingressus in Religionem aequivalet verae et amplissimae restitutioni pauperibus vel piis operibus factae. Idem dicito, saltem in foro interno, si debita sint ex contractu pure gratuito.

« rentibus exhiberi ». Ideo (Eccli. 3, 18) legitur: *Quam malae famae est, qui derelinquit patrem, et est maledictus a Deo, qui exasperat matrem.* Nullatenus ergo licitum est tam grave praeceptum violare, ut consilium evangelicum impleatur. Nec obstant verba Christi: *Qui amat patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus* (Matth. 10, 37). Christus enim hic loquitur non de parentibus indigentibus, sed de mala praecipientibus. Christus ipse (Marc. 7, 10, etc.) eos reprehendit acerrime, qui dona in templo offerunt, et officia erga parentes negligunt. Mortaliter ergo peccaret filius Religionem ingrediens, et parentes suos in gravi necessitate derelinquens. Nullatenus autem ab ingressu Religionis prohiberetur, si parentes non essent in gravi necessitate, sed tantum vellent, ut in saeculo manens ipsos ad commodiorem, et altiorem statum perduceret; vel si ut Saecularis non magis ipsos juvare posset, quam ut Religiosus; vel si pro parentum sustentatione aliunde provideatur, e. g. si adsit alius filius, qui ipsis subvenire possit, et velit; vel demum si vocatus ad Religionem in saeculo remanens gravissimo salutis suae perdendae periculo exponeretur (1), quia bonum spirituale filii bono temporali parentum praeponendum est. — Notandum tamen est, filium, parentes indigentes iniquo deserentem, per ingressum Religionis, et per professionem graviter quidem peccare, sed hanc tamen validam esse; quia, ut ajunt Theologi, libero arbitrio, quamvis per accidens peccaminoso, facta est; et talis filius etiam post professionem tenetur vel e Religione exire, vel alia media adhibere, ut suae erga parentes obligationi satisfaciat. Idem dicendum est, si post professionem licite factam parentes perveniant in *extremam* necessitatem; quia tunc lex naturalis professioni praevalet. Si autem ipsis gravis tantum superveniat necessitas, tunc praevalet professio; et ideo *S. Thomas* (l. c. art. 4) dicit, quod Religiosus professus non tenetur subvenire parentibus contradicente Praelato, nisi in quantum ei fuerit a suo Superiore permissum, salva semper regulari Ordinis observantia (2). (Cf. *Politius* in cap. II, n. 44 — n. 56).

(1) In praxi, *generatim*, non desunt alia media ad aeternam salutem simul tutandam, et parentibus subveniendum.

(2) Filii vere pauperum ac egentium genitorum aut nullatenus, aut magna tantum circumspectione recipiantur, ne postea difficultates exoriantur et filii in claustris degentes ab illis molestentur ac religiosa tranquillitate ac pace priventur. Si vero parentes alicujus religiosi post suam professionem in paupertatem

§ 20.

III. **Conditiones a S. Canonibus, et a Constitutionibus Ordinis praescriptae.**

1. Romani Pontifices, ut supremi omnium Ordinum moderatores, circa receptionem Novitiorum varia ordinarunt. 1. *Nicolaus III* in C. *Exiit.* § 10 ait: « Nec indifferenter omnes admittantur ad « Ordinem, sed illi tantum, qui suffragantibus eis litteratura, ido- « neitate, vel aliis circumstantiis possent utiles esse Ordini, sibique « per vitae meritum, ac aliis proficere per exemplum ». 2. *Martinus V* statuit, « quod nullus recipiatur ad Ordinem, nisi annum « quartum decimum compleverit, etiamsi oblatus fuerit a parentibus, « nisi pro scandalo evitando, ut si forsan foret filius militis, vel « superioris dignitatis ». Et praeterea ait: « Venientes ad Ordinem « sint Fideles catholici, et de nullo errore suspecti, matrimonio non « ligati per copulam carnalem, corpore sani, animo prompti, legitime « nati, debitis expediti, conditione liberi, nulla vulgari infamia no- « tati, competenter litterati, vel ad labores Fratribus honestos et « utiles apti, aut talis conditionis existentes, quod eorum receptio « Clero, et populo non modicam aedificationem afferat » (C. *Non est novus* in c. 2, Regulae seraph.). 3. *Sixtus V* duplici Constitutione (*Cum de Omnibus* etc. et *Ad Romanum spectat Pontificem*) declaravit, nullius roboris esse ingressum, et professionem illorum, qui ratiociniis reddendis sunt obnoxii, unde contra eos sit mota lis, aut timeatur movenda; vel quod sint rei, vel suspecti de homicidio, furto, latrocinio, aut aliis similibus, vel majoribus delictis, ob quae fuerint condemnati, aut timeant damnari; vel quod ingenti aere alieno supra

---

et egestatem incidant, ita ut vitae necessaria ipsis desint, tunc religiosi est pro talibus curam habere. In praxi, si subditi in humilitate sint solidati, et Superiores confirmati in charitate et prudentia, omnes fere casus egressum filii a Religione legitimantes vel exigentes ad subveniendum parentibus evanescunt. Filii non semel, praesertim cum in regularitate deficiunt, vanitatem et avaritiam parentum dicunt necessitatem, et sub hoc praetextu saecularizationis Indultum haud recte petunt.

vires facultatum suarum sint gravati; vel qui ex sacrilegio, aut incestu usque ad tertium gradum, vel ex quovis alio illegitimo thoro fuerint progeniti, nisi sub certis conditionibus, et modificationibus, prout ibi exponuntur. 4. *Gregorius XIV* hanc Sixti V Constitutionem mitigavit alia Constitutione (*Circumspecta*) in qua decrevit, quod praedicti illegitimi, ex quovis illegitimo thoro procreati, possint ad habitum, et professionem regularem admitti, si per conspicuam morum integritatem originis suae maculam absterserint: prohibet autem eos admittere in Ordinem, in quo ipsorum pater adhuc vivens professus existit; et demum declarat, quod ad Praelaturas in Ordine pervenire nequeant, nisi a Superioribus suis cum consensu capitulari dispensati fuerint. 5. *Clemens VIII* (C. *In suprema*) omnia, quae a Sixto V in praedictis Constitutionibus quoad nullitatem professionis determinata fuere, ad terminos juris et s. Canonum, perinde ac si illae Constitutiones in illa parte editae non fuissent, redegit; addita tamen declaratione, quod Superiores denominatos a Sixto V, scienter, aut etiam ignoranter ex defectu debitae inquisitionis in Ordinem recipientes, poenas a S. Canonibus taxatas incurrant. Idem ideo (Instit. super receptione, et educatione Novit.: *Cum ad Regularem* etc.) praecepit, ut diligens perquisitio fiat, an forte defectus a Sixto V expressi in recipiendis inveniantur; et praeterea addit: « Superiores diligenter exquirant, quo spiritu, qua mente, et volun-« tate id regularis vitae genus elegerint, quem sibi finem proposue-« rint, num zelo melioris frugis, ac perfectioris vitae, ut Deo liberius « famulari possint, an potius levitate, vel humano aliquo affectu, « aut inordinato animi ducantur, et an eorum parentes ope, et « subsidio ipsorum indigentes destituantur ». Idem quoque pro Italis, et Insulis adjacentibus statuit, Novitiorum receptiones, et professiones extra Conventus Apostolica auctoritate designatos nullas esse: sed *Urbanus VIII* (C. *Religiosos viros*) declaravit, illas ab Ecclesiarum Praelatis, seu Religionum Praefectis sanari, et validari posse, et alio Decreto (*Sanctissimus*) stabilivit, contra illarum validitatem post lapsum quinquennii reclamari non posse, et tales causas semper ad S. Congregationem esse deferendas. 6. Ex jure communi recipi prohibentur non solum servi stricte dicti, sed etiam qui in sua electione vere liberi non sunt, sed per vim, aut gravem metum ad ingrediendam Religionem compelluntur; et qui in Episcopali Dignitate constituti sunt, sine dispensatione pontificia Religionem ingredi non possunt. Demum 7. *Pius IX* speciali Decreto 25 Janua-

rii 1848 sequentia ordinavit: 1. « In quocunque Ordine nemo ad « habitum admittatur absque testimonialibus litteris tum Ordinarii « originis, tum etiam Ordinarii loci, in quo postulans post expletum « decimum quintum annum aetatis suae ultra annum moratus fuerit. « 2. Ordinarii in praefatis litteris testimonialibus postquam diligenter « exquisiverint etiam per secretas informationes de Postulantis qua- « litatibus, referre debeant de ejus natalibus, aetate, moribus, vita, « fama, conditione, educatione, scientia; an sit inquisitus, aliqua « censura, irregularitate, aut alio canonico impedimento irretitus, « aere alieno gravatus, vel reddendae alicujus administrationis ra- « tioni obnoxius. Et sciant Ordinarii eorum conscientiam super ve- « ritate expositorum oneratam remanere, nec ipsis unquam liberum « esse hujusmodi testimoniales litteras denegare; in iisdem tamen « super praemissis singulis articulis ea tantum testari debere, quae « ipsi ex conscientia affirmari posse in Domino judicaverint. 3. Om- « nibus, et singulis Superioribus regularibus, aliisque Religiosis, ad « quos spectat, cujuscunque gradus sint et Instituti, licet exempti, « et privilegiati, ac de necessitate exprimendi, etiam in virtute obe- « dientiae hujus decreti observantia districte praecipitur: et qui con- « tra hujus decreti tenorem aliquem ad habitum religiosum receperit, « poenam privationis omnium officiorum, vocisque activae, et perpe- « tuae inhabilitatis ad alia imposterum obtinenda eo ipso incurrat, « a qua nonnisi ab apostolica Sede poterit dispensari ». 4. Priora privilegia, indulta, dispensationes etc. revocantur, et abrogantur. 5. « Quolibet anno die prima Januarii in publica mensa hoc decre- « tum legatur sub poena privationis officii, ac vocis activae, et pas- « sivae, a Superioribus ipso facto incurrenda ». — Hoc decretum « ubique locorum », ergo etiam in Germania, in Gallia etc. « perpe- « tuis futuris temporibus » observandum esse, Apostolica auctoritate « statuitur, atque decernitur ». — Eodem tempore aliud decretum, sed tantum pro Italia, et Insulis adjacentibus editum fuit, in quo sequentia ordinantur: 1. « Qui duplici scrutinio juxta modum infe- « rius exprimendum probatus non fuerit, ad habitum nullo prorsus « modo admittatur in quocunque Ordine. 2. In qualibet Provincia « habeantur octo Examinatores, scilicet Provincialis, et septem alii « idonei Religiosi probatae vitae, prudentia, gravitate, ac zelo di- « sciplinae regularis praediti, a Capitulo, seu Congregatione provin- « ciali per secreta suffragia eligendi, ita tamen ut, si in Provincia « sint Definitores, duo ex ipsis in Examinatores eligantur. Exami-

« natores in praefato munere usque ad novum provinciale Capitulum,
« seu Congregationem perdurabunt. 3. Cum aliquis ad habitum re-
« cipi postulaverit, Provincialis omnia exquirat documenta, et requi-
« sita ad praescriptum S. Canonum, Constitutionum Apostolicarum,
« decretorum S. Congregationum, et statutorum Ordinis, et diligenter
« inquirat circa illius qualitates; utrum nempe ab omni defectu,
« et impedimento immunis sit, et necessariis dotibus praeditus, re-
« ligioso statui idoneus, ac etiam an amore perfectioris vitae, et Deo
« liberius in Religione serviendi, seu potius levitate, aut necessitate,
« vel alio inordinato fine ductus admitti postulet. Deinde omnia
« praefata documenta, et informationes tradat saltem tribus ex pro-
« vincialibus Examinatoribus, exclusis iis, qui postulanti sint con-
« sanguinei, vel affines, ut eas absque ullo partium studio serio
« perpendant. Indicto die examinis Provincialis cum delectis ab ipso
« Examinatoribus convenit, et postquam ipse, et alii Examinatores
« juraverint ad sancta Dei Evangelia, *se quacunque humana af-*
« *fectione postposita fideliter munus executuros,* postulantem exa-
« minent, eoque ab examinis loco dimisso, ejus documenta, qualitates,
« et requisita, aliaque, quae superius notata sunt, serio expendant,
« et deinceps per secreta suffragia judicent, an dignus sit, qui ap-
« probetur; super quibus omnibus Provincialis, et aliorum Exami-
« natorum conscientia graviter onerata remaneat. Is autem probatus
« duntaxat intelligatur, qui saltem unum suffragium supra medie-
« tatem obtinuerit. Si postulans praefato scrutinio probatus fuerit,
« examen, et scrutinium scripto fideliter exaratum Provincialis, et
« unusquisque ex Examinatoribus manu propria subscribet, decla-
« rando etiam, sese omnia requisita a S. Canonibus, Constitutionibus,
« et Decretis apostolicis, et Regulis, et Statutis respectivi Ordinis
« praescripta debito modo examinasse; hujusmodi vero relationem
« examinis, et scrutinii, et respectivam declarationem juramento
« confirment. Quibus peractis Provincialis praefatam relationem, et
« declarationem una cum authenticis documentis ad Superiorem Ge-
« neralem vel (in hujus absentia ab Urbe) ad Procuratorem Gene-
« ralem transmittet..... 4. (Art. VI) Praeter memoratos Examinatores
« Provinciales in quolibet Ordine alii septem Examinatores Gene-
« rales constituantur..... Hi ex gravioribus, et prudentioribus Reli-
« giosis probatae vitae, ac zelo regularis disciplinae praeditis per
« secreta suffragia in Capitulo, vel Congregatione generali eligentur,
« ita tamen ut si agatur de Ordine, in quo sint Definitores gene-

« rales, duo ex ipsis in Examinatores deputentur. Examinatores ge-
« nerales in officio usque ad futurum Capitulum, vel Congregationem
« generalem perdurabunt. Superior Generalis erit Praeses cum suf-
« fragio in consilio Examinatorum; et Procurator Generalis uti Exa-
« minator natus praeter electos habendus erit. 5. (Art. X) Cum
« autem Superior Generalis relationem examinis, et scrutinii, ac
« enunciatam superius declarationem cum authenticis documentis ad
« praescriptum Art. III recepérit, ipse omnia accurate percurrat,
« ac per singulas partes expendat, per secretas etiam inquisitiones
« sedulo investigando, num tenor hujus decreti servatus fuerit, et
« an adversus Candidatum, et primum scrutinium aliqua exceptio
« inveniatur. Quibus peractis, Superior Generalis praefatam relatio-
« nem, declarationem, et documenta ac requisita tradat Procuratori
« Generali, et saltem aliis duobus Examinatoribus Generalibus, qui
« cum Candidato nullo consanguineitatis, vel affinitatis vinculo con-
« juncti sint; et quatenus Procurator Generalis non adsit, tribus
« saltem Examinatoribus generalibus, ut omnia perpendant juxta
« modum in Art. III designatum. Postea vero indicto die conve-
« niant, et praestito tam a Superiore Generali, quam a Procuratore
« Generali, et caeteris Examinatoribus, ut supra, juramento, reque
« mature perpensa, per secreta suffragia definiant, an approbatio
« facta in primo scrutinio confirmanda sit, vel revocanda; super
« quibus omnibus conscientia Superioris Generalis, et Examinatorum
« graviter onerata remaneat. Tunc autem approbatio confirmata in-
« telligatur, quando pro ejus favore saltem unum suffragium supra
« medietatem habeatur. — 6. (Art. XI) Si Superior Generalis, Romae
« non resideat, acta, de quibus in Art. III, ad Procuratorem Gene-
« ralem Romae morantem transmittenda erunt (valde enim expedire
« visum est secundum scrutinium Romae fieri); dummodo tamen
« idem Procurator tres saltem Examinatores generales Romae habeat,
« vel eos ad Urbem commode vocare possit. Quo in casu quoad
« praemissa omnia vices Superioris Generalis gerat. Quod si Exa-
« minatores generales nec Romae degant, nec commode vocari pos-
« sint, eadem acta ad Superiorem Generalem, etsi alibi moretur,
« transmittantur, ut ea peragat, quae in Art. III statuta sunt. —
« 7. (Art. XII) Superior Generalis, sive ipse, sive Procurator Gene-
« ralis secundo scrutinio praefuerit, poterit Candidatum ex justis,
« et rationalibus causis rejicere, licet fuerit ab Examinatoribus in
« utroque scrutinio probatus, nunquam vero admittere eum, qui

« fuerit ab Examinatoribus reprobatus. — S. Superiores quolibet « Semestri ad hanc S. Congregationem referant de singulis Novitiis « ad habitum receptis de uniuscujusque aetate, patria, aliisque qua- « litatibus, et respectivis documentis, nec non de actis confectis pro « receptione deque observatione hujus Decreti » (1).

2. Sacrae nostrae Constitutiones ante omnia in Novitiorum receptione exactam S. Canonum observantiam commendant; in specie autem sequentes conditiones praescribunt: 1. Exigunt, ut recipiendi sint Catholici, et firmiter omnia credant, quae S. Romana Ecclesia credit, et tenet; et qui haereticus, aut infidelis fuit, non recipiatur. Filii autem haereticorum per Constitutiones a receptione non excluduntur: equidem ex jure communi (Stat. 15 de Haeret. in 6) irregulares sunt; sed hoc statutum, ut notat *Viator a Cocaleo*, ad Galliam, et Germaniam non pertinet. 2. Requirunt, ut recipiendi sint sani mente, et corpore, ut cognoscatur, quod ex pura, et sola intentione Deo serviendi veniant; 3. ut sint bonae famae; quapropter recipiendi non sunt, qui de peccato nefando, aut de delicto cum infamia conjuncto, e. g. de edito libello famoso, de proditione facta etc. convicti, aut qui gravibus publicis poenis affecti fuerunt. 4. Qui patrem, matrem, aut filios tam pauperes habet, ut sine ejus auxilio vivere non possent, haud recipiatur; 5. quoad conjugatos, si matrimonium consummatum fuerit, Regula observetur; 6. qui jam apud nos Novitius fuit, solummodo a P. Provinciale ejusdem provinciae, ex qua egressus est, recipi potest, posito tamen, quod nihil scanda-

(1) Idem summus Pontifex Pius IX per Literas encyclicas a S. Congreg. super Statu Regulari die 19 martii 1857 editas haec, quae sequuntur, decrevit et ab omnibus, ad quos spectat, ex obedientiae praecepto observari et executioni demandari districte jussit. — 1. Peracta probatione et novitiatu ad praescriptum S. Concilii Trident., Constit. apostolic. et Statutorum Ordinis a S. Sede approbatorum, Novitii vota simplicia emittant postquam expleverint aetatem annorum sexdecim ab eodem Trident. Conc. statutam, vel aliam majorem, quae forsan a Statutis proprii Ordinis a S. Sede approb. requiratur; et quoad Laicos postquam ad eam pervenerint aetatem, quae in Constitut. Clementis VIII incipiente « *In supremo* » praefinita est. — 2. Professi post triennium a die, quo vota simplicia emiserint, computandum, si digni reperiantur, ad professionem votorum solemnium admittantur, exceptis illis Institutis, quibus professio votorum simplicium ad longius tempus jam concessa fuerit. Poterit vero Superior Generalis vel Provincialis ex justis et rationabilibus causis professionem votorum solemnium differre, non tamen ultra aetatem annorum vigintiquinque expletorum. *(N. Edit.)*

losi perfecerit, et quod una tantum vice abierit; 7. qui a quacunque alia Religione apostataverit, non recipiatur; 8. qui lepra, malo caduco, aut alio contagioso, vel incurabili morbo affectus est, non recipiatur, et si receptus fuit, quia hac de re interrogatus veritatem reticuit, et manifestare noluit, declaratur, quod Religio non sit obligata ad eum retinendum; 9. qui recipitur ut Clericus communiter decimum septimum, qui ut Laicus decimum nonum aetatis suae annum completum habeat; et nullus recipiatur post completum quadragesimum quintum aetatis suae annum, nisi forte per talem receptionem populus valde aedificaretur. — Praecipue autem attendi debent ea, quae Constitutiones nostrae ab initio (cap. 2) dicunt, nimirum, quod Congregatio nostra magis desideret, in virtute, perfectione, et spiritu, quam in multitudine Fratrum proficere, quia aeterna Veritas dixit: *multi sunt vocati, pauci vero electi* (Matth. 22, 14); et quia S. P. Franciscus praedixit, purae observantiae regulari nil magis obesse, quam multitudinem Fratrum inutilium, et sensualitati deditorum. Oportet ergo, ut caute procedant Ministri Provinciales, et potius paucos bonos, quam multos parum idoneos recipiant, ne id verificetur, quod legitur (Isa. 9, 3): *Multiplicasti gentem, et non magnificasti laetitiam.* Ipsi Romani Pontifices relaxationem Ordinum religiosorum a nimia facilitate Novitios quoscunque recipiendi repetierunt. Innocentius XII in suo decreto de ejectis et ejiciendis edito sub annum 1693 ait: « Nimia sine delectu facilitas « recipiendi quoscunque Religionis ingressum petentes, et a Religione « forsan alienos, duram satis tractu temporis necessitatem parit, « eosdem e claustris ejiciendi ». Idem sensit quoque *Benedictus XIV* qui (de Syn. Dioeces. I, 13, cap. 11, n. 7) multa, et satis crudite de hac re disserit.

ARTICULUS II.

§ 21.

De Novitiorum probatione.

Statutis conditionibus ad ingressum Ordinis requisitis, S. Pater docet, quomodo Fratres se erga illos, quos receperint, gerere debeant. Ostendit ergo eis 1° *quales circa Novitii bona dispositiones faciendae,* 2° *qua ratione Novitii vestiendi,* et 3° *quomodo per annum probandi, seu spiritualiter educandi sint.*

§ 22.

I. De dispositionibus circa bona Novitii faciendis.

TEXTUS. *Dicant eis verbum S. Evangelii, quod vadant, et vendant omnia sua, et ea studeant pauperibus erogare; quod si facere non potuerint, sufficit eis bona voluntas. Et caveant Fratres et eorum Ministri, ne soliciti sint de rebus suis temporalibus, ut libere faciant de rebus suis, quidquid Dominus inspiraverit eis. Si tamen consilium requiratur, licentiam habeant Ministri, mittendi eos ad aliquos Deum timentes, quorum consilio bona sua pauperibus erogentur.*

In his verbis Ordinis puritas, in Novitiorum receptione servanda, commendatur. « Haec autem Ordinis puritas, ait *S. Bonaventura*, « in tribus consistit, in venientium denudatione perfecta: *dicant* « *eis* etc.; in frugalitate recipientium manifesta: *caveant Fratres*, « *ne soliciti sint* etc.; et in directione ad relevationem pauperum « discreta: *si consilium* etc. »

1. Christus adolescenti dixit: *Si vis perfectus esse vade, vende, quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelo: et veni, sequere me* (Matth. 19, 21). S. Franciscus voluit, ut hoc idem venientibus ad seraphicam Religionem dicatur; ideo Ministris praecipit, ut *dicant eis verbum S. Evangelii, quod vadant, et vendant omnia sua, et ea studeant pauperibus erogare.* « Hoc sumitur, ait « *S. Bonaventura*, de consilio Domini (Matth. 19), ut sint scilicet « nudi, non solum corde, ut sunt qui cor divitiis habitis non ap- « ponunt, nec nudati tantum chlamyde cum Joseph Aegyptiam fu- « giente (Gen. 30), quem imitantur, qui relictis implicativis sibi « retinent operimentum sufficiens nuditatis, et suo modo nudi nudam « crucem sequuntur; sed sint adeo nudi, ut sint spoliati syndone « super nudo, ut a propinquiori cum adolescente diligente Dominum « prae caeteris, ut legitur (Marc. 14), cum abjecto pondere in nu- « ditatis termino statim passibilis Christi vestigia imitentur. » Et

sane Religionem seraphicam, quae altissimam paupertatem profitetur, ingredientibus nihil magis necessarium est, quam ut cor ab omnibus bonis terrenis avellant, et paratissimum habeant, omnibus se exspoliandi, cum profiteri voluerint. — An vero ille, qui bona terrena possidet, eaque, dum seraphicam Religionem ingreditur, non pauperibus distribuit, sed propinquis suis, illis non indigentibus, relinquit, graviter peccet, an non, haud una est omnium sententia. *Emman. Rodriquez*, *Bernardus a Bonon.*, *Philippus a Castellutio*, et alii dicunt, quod non peccet; quia nec violat praeceptum Regulae, ad quam servandam se adhuc non obligavit, nec praeceptum Evangelii, cujus citata verba consilium, et non praeceptum continent; atque ipsa Regula praecipit quidem Ministris, *ut dicant eis* etc., sed non praecipit venientibus ad Religionem, *ut obediant eis:* ergo nullo modo dici potest, quod bona sua pauperibus non distribuens peccet, quamvis recte dicatur, quod imperfecte agat, cum contrarium perfectius sit. — Alii autem cum *Politio*, *Cypriano Crousers*, *Bernardino Gandensi*, et aliis in praedicta bonorum distributione pauperibus facienda praeceptum, non quidem absolutum, sed tamen conditionatum agnoscunt; quia, ajunt, juxta mentem S. Patris hoc est perfectionis religiosae fundamentum, ut quis bonis suis in favorem pauperum renuntiet. Nemo quidem tenetur seraphicam Religionem ingredi; sed si huic adscribi velit, debet fundamentum in hac Religione stabilitum ponere; sicut qui extra tempus paschale ad S. Synaxin accedere vult, debet jejunus manere. Ideo in jure (cap. *Praeterea de off. deleg.*) dicitur: « qui vult aliquid, « debet velle aliud, sine quo id esse non potest »; et *S. Hieronymus* in Matth. 19. *Si vis perfectus esse* etc. dicit: « in potestate « nostra est, utrum velimus esse perfecti; tamen qui voluerit esse « perfectus, debet bona sua vendere, et cum vendiderit, dare paupe« ribus ». Ipsa justitia exigit, ut qui statum eligit, in quo de eleemosyna vivere debet, per bona derelicta ea pauperibus compenset, quae ipsis subtracturus est (1). In ipsa Regula dicitur: *quod si facere*

(1) Haec cum grano salis intelligantur oportet. Constat enim quod exacte loquendo, frater qui vel in ministerio altaris deservit, vel qui orationibus ac precibus suis pro populo christiano intercedit, vel quemdam sacris ministris famulatum exhibet, nullo pacto dici potest eleemosynarum subtractor, sed *legitimus* participator. Si beneficiatus etsi ditissimus, *licite* sustentari potest ex fructibus beneficii, si sacerdos opulentia donatus absque vel minima *injustitia* sti-

non potuerint, sufficit eis bona voluntas; ergo bona voluntas non sufficit, si id facere potuerint. S. Pater voluit, ut solum per hanc januam ingressus in Ordinem suum pateat, ac ideo in suo Testamento dicit: « illi, qui veniebant ad recipiendam vitam istam, omnia, « quae habere poterant, dabant pauperibus ». De ipso quoque legitur (S. Bonav. Legend. S. P. c. 7, Chron. P. I. l. 1, c. 8) quod quemdam, qui bona sua propinquis reliquerat, rejecerit dicens: « Vade! « nondum exiisti de cognatione tua, et de domo patris tui: non est « dignus jungi pauperibus Christi, qui pauperes defraudavit: incepisti a carne, ruinosum fundamentum spirituali fabricae posuisti: « vade viam tuam ». — Sed qui priori sententiae adhaerent, respondent, quod allata argumenta equidem ostendant, perfectius et menti S. Patris magis congruum esse, ut bona pauperibus distribuantur; sed non probant, id praeceptum esse. Inepte enim regula juris citatur; quia perfecta omnis proprietatis abdicatio, in qua paupertatis seraphicae essentia consistit, in aliquo adesse potest, sive omnia bona sua propinquis reliquerit, sive pauperibus distribuerit. *S. Hieronymus* loquitur de summa evangelica perfectione, quam certe ille haud tenet, qui id agit, quod minus perfectum est, licet ideo de gravi (1) peccato argui non possit. Qui bona sua propinquis non indigentibus relinquit, in ipsos etiam obligationem transfert superflua pauperibus erogandi, ac ideo sine injustitia de eleemosynis vivere potest. Bona voluntas iis, qui non possunt bona sua pauperibus distribuere, sufficit ad meritum et majorem perfectionem, qua juxta omnes destituuntur, qui, cum possent, id non agunt, quod perfectius est. Reliqua, quae de S. Patre adducuntur, ostendunt tantum, in primordiis Religionis omnes seraphicam vitam amplecten-

---

pendium pro missis a se celebratis accipit, etc.: quadam rationum (non stricti juris sed moralis convenientiae) paritate, idipsum dici debet de fratribus minoribus relate ad *legitimitatem usus* eleemosynarum etiam independenter a qualibet bonorum distributione ante professionem. Hinc merito laudantur viri sancti qui poenitentiae vel solitudinis causa e propria domo separati, de eleemosynis fidelium participarunt, rejecta, despecta vel nihili facta paternae haereditatis portione. Aliunde fratres haud otiosi fiunt indirecte saltem pauperum sustentatores, et divitum ad misericordiam erga mendicos excitatores. Teste historia et quotidiana experientia, mendicantium conventus sunt pauperum providentia et auxilium. Unde quae hic dicuntur respiciunt *perfectionem,* non vero *justitiae jura* directe vel indirecte accepta.

(1) Neque de levi, ob defectum obligationis proprie talis.

tes ad summam tetendisse perfectionem, atque eum, qui bona sua propinquis divitibus relinquit, carnalem affectum prodere, ob quem etiam ab Ordine seraphico repelli possit. Sed tamen admitti nequit, quod *Cyprianus Crousers* dicit, tum Novitium bona sua pauperibus non distribuentem, tum Ministrum eumdem recipientem mortaliter peccare (1). — Caeterum juxta communem omnium expositorum sententiam varii Novitii dantur, qui ad bona sua pauperibus distribuenda obligari nullatenus possunt: tales sunt, ut e. g. filii familias, liberum bonorum dominium non habent, vel qui bonis indigent ad debita solvenda, vel alias obligationes implendas, vel qui habent parentes, fratres, sorores, propinquos, quibus bona relicta ad status conservationem, ad filiorum educationem etc. necessaria sunt, vel tandem qui per distributionem pauperibus factam lites, discordias, aut alias graves inordinationes caûsarentur: his certe sufficit bona voluntas; quia, ut *S. Gregorius* ait, Deus affectum magis pensat, quam censum. — Quaecunque autem bona Novitii propinquis suis relinquant, cavere debent, ne sibi aliqua reservent, quibus post factam professionem utantur, et ne aliquod jus, aut dominium in haeredes sibi in corde suo arrogent, sive eorum negotiis inordinate se ingerant; hoc enim esset mittere manum ad aratrum, et retrospicere. — Notandum autem est, quod juxta *Conc. Trident.* (Sess. 25, cap. 16) renuntiatio bonorum per testamentum non sit facienda nisi ultimis duobus mensibus ante Professionem (2) cum licentia Episcopi, aut

(1) Imo nec venialiter peccant. Aliunde hodie renuntiatio fieri debet post professionem votorum simplicium, et ultimis duobus mensibus qui solemnem praecedunt professionem. Quomodo ergo peccare poterunt novitius et Ministri haud facientes in receptione, quae ex lege Ecclesiae facere nequeunt nisi post receptionem, imo post professionem simplicem?

(2) Intellige *solemnem*. « Renuntiationem quam in cit. cap. 16, S. 25, de « Regul. Conc. Trid. respicit, pro professis votorum simplicium locum habere in- « fra duos menses proximos ante professionem votorum solemnium » declaravit Pius IX, 1 Aug. 1862. — Et hic notanda occurrit sequens declaratio: « *Utrum « permitti possit, ut juvenis profitendus de suis bonis disponat per actum « privatum coram Superiore regulari, de Ordinarii licentia, vel coram ipso « Ordinario, postea suo tempore ratificandum in forma a lege praescripta, « etiam post professionem solemnem, et, in casu minoris aetatis, aetate majori « assecuta?*

« S. Cong. Em. ac Rev. S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus « Episcoporum et Regularium praeposita, super praemissis mandavit rescribi « prout sequitur:

ejus Vicarii, et quod (licet jurata fuerit) ante Professionem neque vim habeat, neque obligationem pariat: excipiuntur tantum, ut S. Congreg. Concilii (3. Mart. 1594) declaravit, donationes factae ante ingressum Religionis, dummodo non fuerint factae cum animo Religionem ingrediendi. — Ex dictis etiam quaestio solvi potest, num scilicet recipientes ad Ordinem praedicta S. Evangelii verba de erogandis bonis pauperibus sub gravi praecepto ipsis recipiendis dicere teneantur? — Respondet *Politius:* « Cum *Clemens V* declaraverit, « quod omnia in hoc secundo capite contenta, quae modum receptionis « ad Ordinem respiciunt, sunt aequipollentia praecepta, utique erunt « praedicti obligati ad dicenda verba praedicta recipiendis ad Or- « dinem. Verum, quia, ut dicit *S. Bernardus,* quae pro charitate « ordinata sunt, contra charitatem militare non possunt, praedicta « vel similia statuta hic, et ubique secundum exigentiam debiti finis, « sive finalis utilitatis animarum tam intrantium, quam recipientium, « et non aliter impleri debent » (Cf. S. Thom. 2, 2, q. 33, art. 2). Ergo Ministri non tenentur praedicta verba dicere illis, qui aut propria bona non habent, aut si habent, has ob causas superius allatas pauperibus distribuere nequeunt. « Tenentur autem, pergit « *Politius,* praedicta verba recipiendis dicere, quando viderint, et « agnoverint, hoc esse necessarium, ne recipiendi nimis indebite ad « Ordinem accedant; quod tunc est, quando probabiliter agnoverint, « carnali eos tantum affectu duci ad relinquenda sua parentibus vel « amicis » (1).

« Cum agatur de renuntiatione super illis bonis, quibus jus certum haberi « potest, parte nempe haereditatis paternae vel maternae, emissa suo tempore « juxta Concilium Tridentinum, renuntiatio ipsa renovetur quando opus est, « quin tamen illa immutari possit. Si vero agatur de renuntiatione eorum quae « accidentaliter evenire possunt, in singulis casibus recurrendum ad hanc sa- « cram Congregationem.

« Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis hac die 16 Septembris 1865. « — I. Card. Ferrieri, *Praefectus.* — *Fr.* Antonius Maria, *Archiep. Pal- « myren., Secretarius.* »

(1) *In praxi* nullatenus peccant Ministri etiam absque causa directe excusante omittentes monitionem, quia et carnalis iste affectus respicit tantum consilium, sive perfectionem renuntiationis, ut dictum est, nec dici valet violatio veri praecepti: et monitio indirecte et sufficienter fit saltem singulis sextis feriis quando Regula publice legitur. Et haec monitio est potius annuntiatio seu recordatio evangelici consilii, quae per Regulae lectionem multoties habebitur ante et post habitus receptionem, quam specialis minorita praescriptio:

2. Inordinatam bona terrena accumulandi cupidinem Christus ipse interdixit dicens: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra* (Matth. 6, 19); quod divinum monitum praecipue in Ordine seraphico, altissimae paupertati superstructo, observandum est. « Beatus igitur « Franciscus, ait *S. Bonaventura,* videns pericula, et sacrilegia « affluentiae, quam multi possident in communi, elegit regulam ipsis « Apostolis ad praedicandum missis a Domino constitutam, injungens « Fratribus, ne solicitudinem habeant de rebus venientium ad Or- « dinem, ne sic vel Ordinis macularetur puritas, vel inquietudo « aliqua generetur ». Solicitudo autem, quae hic sub mortali culpa inhibetur, illa externa est, et efficax, qua quis ex Fratribus per facta, aut verba in distributionem bonorum ita influit, ut vel Novitius in hac perficienda perfecte liber non sit, vel ex parte Fratrum ipsa receptio vitio cupiditatis infecta apparere possit. Ideo *Clemens V* hanc Regulae prohibitionem declarans ait: « Dicimus, omnino debere « tam Ministros, quam Fratres caeteros a dictis inductionibus ad « sibi dandum, et suasionibus, nec non a dandis circa distributionem « consiliis abstinere, cum pro hoc ad timentes Deum status alterius « mitti debeant, non ad Fratres, ut vere cunctis pateant esse tam « salubris instituti paterni zelatores, studiosi, seduli, et perfecti ». (C. *Exivi*). Omni quoque jure, ut Novitii in bonis suis distribuendis liberi maneant, omnis in hoc negotium moralis influxus Fratribus prohibetur: quoniam si hi consilia dare, et vota sua manifestare possent, illi vel timore, vel pudore, vel consiliorum, aut precum importunitate de facili cogerentur, sequi voluntatem Fratrum, cum quibus, seu sub quibus semper essent victuri. — Quod autem solicitudinem mere interiorem, seu cupiditatem, quae solum in animo residet, de bonis Novitii participandi attinet, haec quidem per citata Regulae verba directe non prohibetur, cum nec Novitii libertatem restringat, nec scandalum pariat: sed tamen *Politius* cum aliis in declarata Regulae prohibitione admonitionem S. Patris agnoscit, qua

---

porro qui per alios monet, per seipsum monet, nisi certo constat quod monitio sit absolute personaliter facienda, quod in casu nullatenus admittendum. — *Concludendum ergo:* In toto negotio distributionis inter pauperes faciendae, *in praxi* neque Ministri, neque Novitii obligantur per strictum praeceptum ex Regula repetendum. Quod absolute praecipitur, est renuntiatio bonorum juxta canonicas praescriptiones facienda, et de hoc tantum moneri debent *(qui rem ignorant)* a Ministris, vel aliis quibus incumbit juniorum fratrum educatio.

excitamur ad internam quoque bonorum Novitii cupiditatem refraenandam; *radix enim omnium malorum est cupiditas* (I, Tim. 6, 10). — Ad quaestionem autem, an Fratres licite recipere possint id, quod Novitii omnino libere eis de bonis suis donare decernunt, satis clare jam respondit *Clemens V* (l. c.), ubi ait: « Cum vero (Novitiis) « facere de rebus suis, quod Dominus inspirabit, ipsa regula liberum « esse velit, non videtur prohibere, quin liceat eis recipere, conside- « ratis scilicet eorum necessitatibus, et moderaminibus, si quid de « bonis suis intrans, sicut et caeteris pauperibus, per modum eleemo- « synae libere dare velit. Cavere tamen in acceptione oblatorum talium « decet Fratres, ne ex receptorum quantitate notabili praesumi possit « sinister oculus contra ipsos ».

3. Saepissime contingere potest, ut, qui Ordinem sunt ingressi, nesciant, quo modo conformiter ad voluntatem divinam bona sua distribuere debeant, et ideo a Fratribus consilium petant. Pro tali casu Regula providit, dicens: *si consilium requiratur, licentiam habeant Ministri, mittendi eos ad aliquos Deum timentes, quorum consilio bona sua pauperibus erogentur.* Quibus in verbis notandum est, quod dum hoc Ministris tantum conceditur, caeteris omnibus prohibetur (1), illis exceptis, quibus ad Ordinem recipere ex commissione Ministrorum, vel ex privilegio competit, ut Guardianis, Magistrisque Novitiorum: « quia, ut ait *Politius*, cui committitur principale, committitur item et accessorium sine quo principale exequi commode non potest ». Consiliarii, ad quos Novitii mittendi sunt, debent esse, ut Regula dicit, *timentes Deum*, i. e. tales, de quibus praesumi potest, quod non studio partium, aut terrenis affectibus in suo judicio abripiantur, sed unice beneplacitum divinum quaerant. Qua de causa Novitii non facile ad consanguineos, propinquos, et amicos suos

(1) Haec prohibitio non est stricte obligatoria, quamvis curandum sit ut omnino servetur. Et quoniam non sunt multiplicanda praecepta absque solido fundamento, dicendum est quod fratres aliter facientes, reprehendendi essent generatim, non vero de peccato accusandi. Etenim ex tenore declarationis Clementis V, Cap. 2, excludi videtur *prohibitio sub praecepto:* « Dicimus omnino « debere tam Ministros quam fratres caeteros.... a dandis circa distributionem « consiliis abstinere, cum per hoc ad timentes Deum status alterius mitti de- « beant. » Unde voces « tam Ministros quam fratres caeteros », aliquatenus indicant quod fratres subditi non peccant mittentes hujusmodi candidatos *ad aliquos Deum timentes*. Ergo voces *caeteris omnibus prohibetur*, ab Auctore adhibitae, lato sensu accipi debent.

mittendi sunt, quorum interest, ut bona Novitii pauperibus non distribuantur. Iidem consiliarii debent etiam esse, ut *Clemens V* (l. c.) expresse dixit, « alterius status, non Fratres », ut omnis cupiditatis suspicio ab his removeatur; et eadem de causa Novitii mittendi nullatenus sunt ad Syndicos, et amicos Fratrum spirituales. Si Novitius bona sua pauperibus distribuere jam decrevit, et solum interrogat, quinam in magna paupertate versentur, *Bernardus Bonon.* putat, quod Fratres ipsi hoc indicare possint, quia libertatem ejusdem tali modo nullatenus restringunt; sed alii dicunt, id non licere (1), vel saltem pro praxi securius, et spiritui Regulae conformius esse, si et in hac quaestione Novitius a Ministro ad timentem Deum mittatur. Si Novitius de obligationibus conscientiae suae Confessarium suum interroget, hic ex jure divino, et naturali juxta recta moralitatis dictamina respondere potest, et debet. Imo etiam extra tribunal Poenitentiae Ministri, Guardiani aut Magistri Novitium monere tenentur, si observant, quod in distributione bonorum suorum graves obligationes naturales violet, e. g. parentibus, aut propinquis vere indigentibus bona sua denegando, debita contracta non solvendo, damna illata non resarciendo, vel etiam Fratribus aliquid donando, quod hi juxta Regulam acceptare non possunt. Imo generatim, si timendum sit quod Novitius in distributione bonorum suorum haud recte processurus sit, possunt, et debent Ministri eum, quamvis forte consilium non requirat, ad Deum timentes mittere, a quibus necessariam sibi instructionem accipiat. Bona autem, de quibus Novitius ante professionem suam nihil disposuit, legitimis ejusdem haeredibus relinquenda sunt; et hoc idem etiam dicendum est de vestibus, quas in conventum attulerat, quae in defectu dispositionis, ante professionem a Novitio factae, haeredibus (2) sunt remittendae (Cf. *Bernardin. Gand.* pag. 112 etc.).

(1) Retine *securius,* adde *laudabilius,* et remove *id non licere,* et conciliabis opiniones cum vero *Ascesis* et *Moralis* tutamine.

(2) Non tamen improbandus videretur Magister vel Praelatus qui *ex tacito vel vere praesumpto consensu talis novitii,* vestes saeculares distribueret pauperibus, vel nonnullas donaret alicui novitio qui Religionem relinquit, nec habet vestes necessarias, vel quia corpore crevit, vel aliis de causis. Etenim generatim mere necessaria tantum vestimenta saecularia conservant candidati claustra ingredientes, et saepe difficilis fit vel valde gravosa restitutio vestimentorum haeredibus facienda. Secus dicendum, si de donatione multorum et pretiosorum vestimentorum unius ejusdemque novitii ageretur.

§ 23.

II. De modo Novitios vestiendi.

TEXTUS. *Postea concedant eis pannos probationis, videlicet duas tunicas sine caputio, et cingulum, et braccas, et caparonem usque ad cingulum (nisi eisdem Ministris aliud secundum Deum aliquando videatur).*

1. Illis, qui rite examinati, et receptione digni inventi fuerunt, *postea* panni probationis, i. e. vestes, quibus anno probationis utantur, concedi debent. Non autem requiritur, ut id statim fiat, dum monasterium sunt ingressi; sed laudabilis mos est, ut per aliquot dies in habitu saeculari inter Fratres commorentur, omnia religiosa exercitia cum his peragentes. Imo *Ludovicus Parisiensis,* citatus a *Bernardo Bonon.,* conveniens putat, ut talis Candidatorum status ad 12, vel 15 dies protrahatur; quia tali modo vitam Fratrum austeram, et mortificationes in Ordine consuetas perfectius cognoscere, et facilius judicare possunt, an ipsorum humeri tale onus portare valeant, an ferre recusent: quod si hoc agnoverint, cum minori dedecore, et rumore ad saeculum redire possunt, quam si religiosum habitum jam induissent.

2. S. Pater omnes vestiarii Novitiis concedendi partes enumerat, nimirum *duas tunicas sine caputio,* et *cingulum,* et *braccas,* et *caparonem usque ad cingulum.* Equidem Christus (Matth. 10, 10) *duas tunicas* interdicit; quomodo ergo id, quod S. Franciscus hic ordinat, Evangelio conforme est? — Respondet *S. Bonaventura:* « In Evangelio nomine unius tunicae vestitus designantur necessarii; « unde non habere duas tunicas est non ferre superflua vestimenta. « Sed quia pro Religionis honestate necessarium est, exteriorem tu« nicam in longitudine, et latitudine ab alia, vel aliis differre, ne« cessarium vestimentum B. Franciscus in duas divisit tunicas; in « una intelligens exteriorem amictum, ut Fratres cappa tegantur, in « alia intelligitur omne corpori manifeste necessarium vestimentum ». — *Cingulum* Novitio tradendum, juxta eumdem S. Doctorem, simplex funis sit, oportet; quia etiam S. Franciscus vilem suam tunicam

viliori fune cinxisse legitur. Jure igitur Expositores sat communiter asserunt, quod cingulum neque ex lino, neque ex lana confectum esse debeat; idemque Constitutiones nostrae (1) praescribunt. Sed quoniam nihilominus variis in locis contraria consuetudo inolevit, et quoniam Summi Pontifices ea, quae ad Fratrum vestimenta spectant, Superiorum Ordinis judicio decernenda esse declararunt; ideo in Capitulo Generali (anno 1847) ad tollendam saltem inconvenientem inter Fratres ejusdem Provinciae discrepantiam ordinatum fuit, ut etiam quoad cingula in qualibet Provincia uniformitas, judicio Superiorum determinanda, servaretur (Ordin. cap. 2, n. 7). Non autem ideo permittitur, ut cum magno sumptu, qui paupertati contrarius esset, omnibus aequalia cingula procurentur; et magna semper laude illae Provinciae dignae censentur, quae commendandum usum retinent, nonnisi funes pro cingulis adhibendi. Cingulum autem, qualecunque sit, nos commonefacit, ut lumbos habentes praecinctos castitatem sectemur; et, sicut *Dernoye* observat, humilitatem nobis inculcat, ut per illud ligati quasi bestiae censeamur, vel ut latrones ducendi ad supplicium; praecipue vero juxta mentem *S. Bonaventurae* nobis in memoriam revocare debet funes, et vincula, quibus Christus ligatus, et ad tribunalia raptus fuit, ut etiam nos ligamina obedientiae alacri animo sustineamus. — *Braccas,* seu *femoralia,* quae juxta omnes ex lino confecta esse possunt, ipse pudor requirit; nam, ait *S. Bonaventura,* « braccarum est necessitas manifesta in casibus innumeris « propter humanae miseriae tegumentum ». — Quia Novitii caputium

(1) Constitutiones nostrae generali modo tantum sed efficaci chordae vilitatem praescribunt his verbis: « Cingulum nostrum sit funis vilissimus, rudis ac spissus ». Unde hac in re multum attendendum ad regionum mores, industriam, etc. Nullo enim pacto a spiritu franciscali divertunt qui juxta Provinciae consuetudinem chordis utuntur v. g. ex lana haud pretiosa, vel etiam ex pilis caprinis ut in variis Italiae locis, vel ex filamento herbaceo vulgo *pita* ut in America Centrali, etc. Cannabea cingula in tali loco vilissimi pretii reputantur, dum alibi non parvis sumptibus essent comparanda. Vilitas ergo, austeritas, et pretii parvitas non praecise ex cannabe pendent. Imo chordae ex cannabe apud nostrates approbari non possent, si ex filamentis tenuissimis forent, vel aliter pretiositatis speciem haberent. Nec valet ratio chordarum S. P. N. Francisci ex cannabe confectarum: quia Seraphicus Patriarcha non qualitatem sed vilitatem quaesivit, ac proinde non semper (quidquid dicant varii Auctores) cannabem adhibuit. Quod expresse probatur ex chorda *spartea* ejusdem S. P. quae in Sacello Palatii Matritensis Regum Hispaniae religiosissime adservatur et colitur.

in distinctionem a Professis tunicae assuntum non habent, conceditur ipsis *Caparo,* qui non est nisi pannus talem formam gerens, ut caput, humeros, et notabilem pectoris et dorsi partem cooperiat. Tali vestimento, teste *Bernardo Bonon.,* utebantur rustici, et praesertim aurigiae, tempore pluviae itinerantes, saeculo decimotertio, quo S. Franciscus vivebat. Voluit ergo S. Pater tale vestimentum Novitiis praescribere, ut continuo recordentur, se pauperem et humilem statum elegisse. « Per duas vero alas, ait *Politius,* duae designantur evo- « lationes, scilicet evolatio a saeculo ad Religionem, et revolandi « libertas infra dictum probationis annum a Religione ad saeculum. »

3. Licet ordinarius, et regularis Novitiorum habitus a Regula praescriptus sit, conceditur tamen Ministris, quod aliquando circa caparonem dispensare possint. Id jam mature factum esse, testis est *S. Bonaventura,* qui exponens S. Regulae verba quibus praedicta dispensandi facultas Ministris conceditur, ait: « Ex hoc verbo S. Fran- « cisci procedit, ut istud Novitiatus insigne paucissimis concedatur, « quia crescente vanitate hominum non est mirum, si humilitas « minuatur ». Dispensatio autem talis a solis Ministris dari potest; caeteri vero Fratres a tali facultate excluduntur, nisi ad hoc specialem commissionem, et facultatem ab ipsis Ministris habuerint; obtenta enim licentia recipiendi, et vestiendi Novitios nullatenus facultatem circa caparonem dispensandi in se includit. Ipsi quoque Ministri advertere debent, quod haec dispensatio *secundum Deum,* i. e. non passim, non ex mero arbitrio, non ex praepostero affectu, aut studio partium, sed ex justa tantum, et rationabili causa fieri debeat. « Et haec rationabilis causa poterit dijudicari vel propter reverentiam « notabilium personarum, vel propter erubescentiam non quidem su- « perbam, sed tantum sensualem aliquorum nobilium de caparone « deferendo »: ita *Politius* (in cap. 2, n. 69).

4. Nonnulli putant, quod Novitiis vestes per annum probationis gestandae gratis ab Ordine tribui debeant (1), quia in Regula Ministris dicitur: *Concedant eis pannos probationis,* et quia No-

(1) In praxi, data etiam timoratorum et antiquorum Patrum agendi ratione, certissime constat de non obligatione procurandi novitiorum vestes. Aliter dicendum de pensione tempore novitiatus exigenda, quae quidem apud nostrates illicita omnino dici debet, ut patet ex declaratione S. Cong. in una *Ord. Min.,* 30 martii 1838. Etenim ad dubium: « An et quomodo tolerari possit consuetudo exigendi pensionem a novitiis? » respondit: *Negative.*

vitiis, cum omnia sua pauperibus distribuere debeant, nihil restat, quo sibi vestes praedictas provideant. — Haec autem sententia admitti non potest: citata enim Regulae verba intelligenda sunt de concessione facultatis, seu licentiae pannos probationis induendi, quin modus determinetur, quo de his providendum sit; et Novitius superflua pauperibus distribuere debet, non autem ea, quibus ipse adhuc indiget ad vestes pro novitiatu sibi procurandas; ipsa quoque bonorum renuntiatio non valet nisi facta professione. Nullatenus ergo Religio Novitio vestimenta procurare tenetur; quia in professione tantum mutuus ille contractus fit, quo professus se totum Religioni devovet, et Religio omnimodam de ipso curam suscipit. Ipse ergo Novitius sibi pannos probationis procurare debet, quos etiam oportet ejusdem qualitatis esse cum illis, quibus Fratres professi utuntur. Quomodo autem a Novitio haec provisio perficienda erit? — Si, ut in nonnullis provinciis moris est, Fratres ipsi pannos a quodam Negotiatore emunt, Novitius quoque ab hoc eodem illos vel per se, vel per alium virum saecularem emere tenetur. Si autem Fratres ipsi lanificium (1) habent, in quo panni pro professis conficiuntur, magna quaestio agitatur, an a Novitiis solutio pro pretio panni ipsis concedendi exigi, et recipi possit? — Nonnulli id illicitum declarant, quia vera venditio a Regula prohibita occurrit. Sed tamen dantur cordati Expositores, qui ex variis rationibus, et sub certis modificationibus id licitum esse propugnant. Quidam putarunt, quod Regula non violetur, si Fratres sinceram intentionem haberent, Novitio pannos gratis, seu ex amore Dei concedendi, et si solutionem pretii ut gratuitam eleemosynam reciperent; sed haec nonnisi venditio palliata esse videtur. Nihilominus ait *P. Sanctes*, quod, si omnino simplex esset intentio, tunc posset modus iste tolerari cum hac limitatione, ut si Novitius vellet egredi, redderent ipsi pecuniam, si nondum fuisset expensa; nam tamdiu remanet proprietas pecuniae in manibus Novitii, quamdiu non est expensa. — *Bernardus Bonon.* ait: « Ex ipsa Regula licitum est Fratribus laborare, et mercedem laboris recipere; ergo licitum ipsis etiam est, construere pannum, et pro hoc dignam mercedem recipere, dummodo pretium judicio prudentum justum sit, et non ipsi solutam a Novitio pecuniam recipiant, sed haec

(1) Tota haec quaestio prudentissime solvitur infra a *Victore a Cocaleo*. Vere enim laudabilis vereque tutus hac in re dicendus usus Syndici Apostolici.

Substituto consignetur, qui eam pro Fratrum necessitatibus expendat ». — *Philippus a Castellutio* aliam rationem affert: « Pro induendis Fratribus recursus ad pecuniam licitus est, et communiter panni a Ministris nonnisi per recursum procurari possunt; quia vel ipsa lana emenda, vel saecularibus in lanificio laborantibus merces danda est: si ergo jam generatim recursus licitus est, maxime aequum jure censetur, ut hic apud Novitium fiat, dummodo hic sufficientibus ad hoc bonis praeditus sit, et ex parte Fratrum cautelae pro recursu praescriptae rite attendantur ». — Demum *Viator a Cocaleo* ita de praesenti quaestione disserit: « Panni, licet in lanificio conficiantur, attamen non sunt Fratrum, qui nil proprii possidere possunt; sed dominium eorum est apud Sedem apostolicam, vel apud benefactores; certissimum ideo est, quod non liceat Fratribus illos vendere, aut solutionem pretii pro illis exigere, vel recipere: quod autem Fratribus non licet, id praestare potest Syndicus nomine Sedis apostolicae, vel Substitutus nomine benefactorum, qui eleemosynas suas in beneficium professorum dare consueverunt: hic, vel ille ergo potest pro pannis probationis a Novitiis juste taxatam pecuniam exigere, et recipere, et pro necessitatibus Fratrum impendere, quin ideo Regula violetur ». Ex eodem principio praelaudatus auctor infert, quod non adsit obligatio pecuniam pro panno solutam Novitio ab Ordine exeunti restituendi: quia inter Syndicum, aut Substitutum, et Novitium verus contractus intercessit, qui ab una parte, invita alia, rescindi nequit; sicut Novitius, si a quodam Negotiatore pannum emisset, hunc ob mutatam suam voluntatem nullatenus illi reddere, et pecuniam ab ipso repetere posset. Habitus quidem Novitii est; sed in saeculum rediens illum per decreta pontificia in regulari forma gestare prohibetur (Jus decis. Capuc. § 1, n 17 etc.): aequum ideo omnino est, ut Novitius egrediens habitum Ordini derelinquat, in quo jam victum gratis accepit.

5. Novitiis, dum regulari habitu decorantur, magna privilegia conceduntur. Generatim enim loquendo in favorabilibus ut professi, in rigorosis vero ut saeculares habentur. Gaudent ideo Novitii privilegio canonis « *si quis suadente* etc. » et fori, ita ut pro delicto, aut debito non possint conveniri a judice saeculari, vel episcopo; eximantur a gabellis, et tributis; possunt per praelatos, aut per alios legitime deputatos absolvi ab omnibus peccatis, poenis, censuris (1),

(1) Vide infra § 116: De Confessariis fratrum intra Ordinem; n. 4, nota.

et irregularitatibus, a quibus absolvi possunt professi, ita ut si egrediantur, non reviviscant ea, a quibus fuerunt absoluti, quia non secus ac professi fuerunt absolute, et simpliciter absoluti: possunt quoque confiteri Religiosis a Superiore deputatis, etsi non approbatis ab Ordinario, et casus in Ordine reservatos non incurrunt, ita ut absolvi possint etiam a Confessario non habente potestatem in praedicta reservata (1). Praeterea Novitii omnes indulgentias lucrari possunt, quae professis concessae fuerunt. Excipienda tamen sunt privilegia solis professis concessa, uti e. g. si Novitius esset Sacerdos, et Confessarius, et in novitiatu audiret confessiones saecularium, non posset uti privilegiis in Absolutione, quibus gaudent Mendicantes.

§ 24.

III. De spirituali Novitiorum educatione.

1. Ipsa Regula, dum de *pannis probationis*, et de *anno probationis* loquitur, satis clare innuit, Novitios per annum probandos, et spiritualiter educandos esse, priusquam ad obedientiam reciperentur. Hoc idem autem *Concilium Tridentinum* tam rigorose praecipit, ut professionem ante completum probationis annum factam nullam declaret: ait enim Sess. 25 de Regular. cap. 15: « *In quacumque* Re« ligione tam virorum, quam mulierum professio non fiat ante deci« mum sextum annum completum; nec qui minore tempore, quam per « annum post susceptum habitum in probatione steterit, ad profes« sionem admittatur. Professio autem antea facta sit nulla, nullamque « inducat obligationem ad alicujus Regulae, vel Religionis, vel Or« dinis observationem, aut ad alios quoscunque effectus ». Multi intelligunt hanc legem Tridentini de integritate morali anni, ita ut si inchoata sit dies ultima anni, vel desint aliquot horae, vel aliquot instantia ad complementum mathematicum anni, valida sit professio, quia in favorabilibus dies coepta habetur pro integra, et quia in moralibus parum pro nihilo reputatur. Sed communior sententia tenet,

(1) Item absolvi possunt a casibus Episcopo reservatis: novitii enim sunt exempti.

annum debere esse integrum mathematice a momento ad momentum, ita ut, si quis inchoet novitiatum prima anni die hora decima, non possit valide profiteri nisi hora decima primae diei anni sequentis; quia Ecclesia eumdem rigorem servat, dum pro Ordinibus majoribus aetatem determinat, et quia quando lex assignat initium alicujus temporis a die determinata, computari debet a momento ad momentum, ut colligitur ex jure (l. Denique § 3, Minorem ff. lib. 4, tit. 4). « Caeterum, ait *Cl. Billuart* (Tr. de statu relig. Diss. 4, art. 2, § 4), in re tanti momenti a « communi, et tutiori sententia non puto esse recedendum, « neque ante factum suaderem, licet post factum improbare non aude- « rem » (1). Annus autem Novitiatus debet esse continuus; alias nulla est professio, ut communiter Theologi docent. Quaeritur autem, quandonam annus interruptus censeatur? — Multi dicunt, quod annus novitiatus non interrumpatur per Novitii exitum e claustro, si iste exitus fiat sine animo relinquendi Religionem, et de licentia Superioris. Alii autem inhaerentes terminis Constitutionum *Clementis VIII* et *Innocentii X* existimant, quod permanentia per annum in conventu sit de forma, et substantia Novitiatus, adeoque quod exitus ex illo interrumpat novitiatum: sed etiam hujus sententiae defensores fatentur,

(1) Ex praxi omnino rejicenda opinio quae quomodolibet admittat annum novitiatus non rigorose integrum, ut deducitur ex S. C. C. 21 Jan. 1617. Idemque confirmatur *a fortiori* ex sequenti facto novissimo: — Professus Observantis cujusdam Provinciae Summo Pontifici exposuit se die 8 Octobris circa horam nonam matutinam vota simplicia noncupasse: elapso autem triennio eadem die et mense, sed circa horam octavam matutinam, solemnem emisisse professionem; ita ut ad explendum triennium votorum simplicium rigore mathematico, una circiter hora deerat: hinc quaesivit, an professio solemnis fuerit nulla, et quatenus affirmative, petivit dictae professionis sanationem. Super hoc dubio sequens accepit Rescriptum: — Ex Audentia SS.mi, die 8 Januarii 1886. Facta relatione de praemissis precibus SS.mo D.no N.ro Leoni Papae XIII, per infrascriptum S. Cong. super disciplina Regulari Secretarium, Sanctitas Sua, attentis informatione et voto P. Procuratoris Gen. Ordinis, benigne annuit pro petita Solemnis Professionis sanatione: ita tamen, ut Professus voce et scriptis declaret se uti velle hac gratia; et haec declaratio adnotetur in libris Professionis, serveturque in Archivio vel domus Novitiatus, aut Provinciae: declaratio subscribatur etiam a duobus testibus, qui intersint acceptationi. Contrariis quibuscumque non abstantibus. Romae, die, mense et anno quibus supra. — J. Card. Ferrieri, Praef. — Fr. Ant. Maria, Archiep. Palmyren.

Insuper, in anno bissextili requiruntur 366 dies mathematice integri, nec sufficiunt 365 dies quibus anni ordinarii constant.

eam non habere locum in conversis; concedunt, existentiam diurnam extra conventum non interrumpere novitiatum; admittunt parvitatem materiae, unde quidam horum existimant, quod manere extra conventum ad pie peregrinandum, ad recuperandam sanitatem, ad negotium peragendum, imo et ad invisendum parentes non interrumpat novitiatum, quia, inquiunt, leges, et decreta admittunt rationabiles interpretationes; excipiunt demum casum necessitatis non solum physicae, sed etiam moralis. Verum haec omnia sub conditionibus praedictis intelligenda sunt. Nam per exitum e conventu, dimisso habitu, et cum animo relinquendi Religionem, sive id faciat Novitius propria voluntate, sive juste ejectus, interrumpitur novitiatus, ita, ut si post unum, aut alterum diem, vel etiam post aliquot horas, novitius redeat ad conventum, aut a conventu readmittatur, teneatur denuo probationis annum inchoare (1). — Infirmitas autem Novitii, etsi longius

(1) Novitius dimissus, imo habitu jam privatus, si *antequam claustra relinquat* ex benignitate Superioris denuo admittatur ad Ordinem et habitum, nullatenus interrumpit novitiatum. Ita Suarez, etc. — Novitius injuste dimissus, et, cognita injustitia, denuo admissus non interrumpit, sed restituitur in integrum. — *Licentia Superioris* requisita ut pernoctatio extra conventum (vel alius e conventu exitus etsi notabilior) non interrumpat novitiatum valet etiamsi data fuerit sine causa, ac proinde illicito modo concessa. Cfr. Zamboni, V. Professio relig. § 1; Buix, de Jur. Regul. I, p. 577, 7°; etc.

Nota I. Decisiones definitoriales et aliae a Superioribus regularibus forsan editae, quae interruptionem rigorosissime interpretentur, nullatenus infirmant validatem professionis, non obstante interruptione (per se, juxta sententiam probatorum Canonistarum, haud invalidante). Tales enim decisiones invalidare nequeunt quod de jure communi ut validum habetur, ut recte docent praecipui A. A. qui de regularibus egerunt. Quod quidem maxime tenendum praesertim ubi de gravissimo *animarum nexu* (i. e. professione) haud inconsiderate debilitando res est.

Nota II. Violenta regularium dispersio non interrumpit novitiatum, sed sufficit ut novitius facta tranquillitate ad claustra rediens, novitiatum materialiter interruptum prosequatur. Quod ex sequenti etiam resolutione probatur: — Dubio quod litteris die 14 Novembris 1815 Romam expeditis, fr. Antonius ab Incarnatione procurator generalis Ordinis Carmelitarum excalceatorum congregationis Hispaniae proposuit, S. Congregatio negotiis et consultationibus EE. et RR. praeposita respondet, niminem esse admittendum ad solemnem professionem, nisi adamussim praestiterit cuncta quae a S. Concilii Tridentini sanctionibus et constitutionibus Ordinis exiguntur, ita tamen ut, attentis preculiaribus circumstantiis, iis, qui probationis tempus inchoarunt ante nefandam eorum expulsionem a suis coenobiis, tempus idem prosit usque ad diem expulsionis ab ipsis passae;

durans, per se non interrumpit novitiatum (Cf. *Billuart,* l. c. § 5 et § 6).

2. Cum juxta SS. Patres, et Ascetas ad animam a vitiis purgandam, et virtutibus ornandam optimum medium sit solitudo, convenientissimum sane est, ut Novitii non solum a Saecularibus penitus segregentur, sed etiam a distrahente cum Fratribus professis conversatione retineantur. Ideo *Clemens VIII* (C. *Cum ad Regularem*) sequentia ordinavit: « Quod ad loci qualitatem uniuscujusque Novi- « tiatus spectat, locus hujusmodi propria clausura ab ea parte Con- « ventus, et Monasterii, in qua degunt professi, segregatus sit, atque « distinctus, habeatque tot ad dormiendum cellulas separatas quot « erunt numero Novitii, vel dormitorio ita capax, ut pro singulis « singuli lectuli commode sterni possint, in quo etiam cellula, vel certus « et determinatus locus pro Magistro, ejusque socio reperiatur. — In eo « etiam praeter alias communes commoditates aptus locus adsit ad « spirituales collectiones, seu conferentias faciendas, ac lectiones in- « structionesque Magistri audiendas, et in quem hiemis tempore ad « calefaciendum se igne communi recipiant: oratorium insuper, seu « Cappella, si commode fieri poterit, ad Novitios in spiritualibus, « praesertim in caeremoniis, ecclesiasticisque functionibus exercendos. « Hortus quoque peculiaris ad honestam recreationem bene conclusus, « atque munitus adsit; sin minus, hortum caeteris Fratribus com- « munem recreationis tempore ingrediantur: ipsis vero Novitiis ibi « commorantibus, curabit Magister cum loci Superioris auctoritate « (si opus fuerit), ne in eumdem quisquam alius ingrediatur. — Ad « hujusmodi locum Novitiatus nemini ejusdem, vel alterius Ordinis « Regulari, etiam Conventus et Monasterii Officiali, ullo unquam « tempore sub quovis praetextu aditus pateat, quaeterquam Magistro « ejusque socio, ac etiam Monasterii, aut Conventus Superiori, quan- « documque ingrediendum sibi necessario existimaverit: quo casu « tamen aliquem semper ex senioribus Conventus, vel monasterii Pa- « tribus socium assumat. Hujus loci clausurae clavis apud Magistrum « semper asservetur, illique soli liceat cum gravi tantum causa in-

---

quod autem iisdem tunc deerat tempus, illud teneantur et debeant adimplere, incipiendo a die quo ad coenobium sunt reversi usque ad terminum a constitutionibus Ordinis praefinitum. Sic procedere oportet ut caetera dubia omnia quoad validitatem solemnis professionis dirimantur. — Romae 8 Martii 1816.

« gressum illic alicui permittere: si quis autem Novitiorum quempiam « alloqui voluerit, Magistro praesente, et non aliter alloquatur ». Si haec lex pontificia, sapientissime locum Novitiatus determinans, ob conventus exiguitatem, structurae formam, aut alia circumstantias quoad litteram observari nequeat, procurandum tamen a Superioribus est, ut saltem quoad spiritum, quantum fieri potest, exacte observetur (1).

3. Cum debita Novitiorum instructio, et educatio maximi sit momenti, idem *Clemens VIII* ordinavit, ut « Novitiorum Magistro « Socius, si ad Novitiorum instruendam multitudinem necessarius fue- « rit, vita, et moribus (quoad fieri poterit) similis deputetur, qui « in his, quae ad Novitiatus regimen spectant, dicto Magistro im- « mediate subiectus existat ». Dein prosequitur (l. c.): « Tam No- « vitiorum Magister, quam Socius ab iis omnibus officiis, oneribusque « vocationem habeant, quae Novitiorum curam, et regimen impedire « valeant. Ipse Magister sacerdotali ordine sit initiatus, ac in quinto « saltem supra trigesimum aetatis suae anno constitutus, et per decen- « nium (2) a professione emissa in Religione perstiterit; Socius vero « trigesimum annum excedat; sintque ambo doctrina, et quantum per « Superiorum diligentiam, et vires fieri poterit, vitae etiam ante actae « exemplo praestantes, orationis praeterea, et mortificationis operibus « addicti, prudentia, charitateque referti, non sine affabilitate graves, « zelum Dei cum mansuetudine praeseferentes, ab omni cordis, et animi « perturbatione, irae praesertim et indignationis, quae in se et erga « alios charitatem impedire consueverunt, quam longissime alieni, et « tales demum, qui in omnibus seipsos bonorum operum exemplum « praebeant, ut ii, qui eorum curae subsunt, illos non tam metuant, « quam revereantur, nec illis unquam detrahere quidam possint ».

---

(1) Loci dispositio, accedente bona voluntate Superiorum facilis evadit generatim. In casu tamen (rarissimo quidem!) maximae difficultatis, totis viribus curandum est, ut saltem novitii clerici rigorosam ac plenam separationem etiam materialem obtineant ad normam Decretorum S. Sedis. Minor enim erit inconveniens pro laicis, qui aliunde in horto, culina, et aliis officis necessario laborantes, vix per minimam diei partem cellulam inhabitant.

(2) Super aetatis defectu per Apostolicam Sedem tantum dispensari potest. Magister esse debet sacerdotali Ordine initiatus, quia habet jurisdictionem in novitios saltem in foro interno. Disputatur an jurisdictionem habeat in foro externo. Constat tamen quod non est Praelatus.

4. Idem summus Pontifex (l. c.) jura quoque Magistri Novitiorum statuit, dicens: « Habeat etiam Magister plenam, et absolutam « potestatem circa Novitiorum institutionem, ac Novitiatus regimen, « ita ut in illis nemini (Visitatoribus, ac Superioribus majoribus, vel « etiam localibus exceptis) quovis colore se ingerere liceat » (1). — Hoc decretum pontificium varia dubia excitavit, ad quae solvenda in Capitulis Generalibus sequentes decisiones prodierunt: Ad Guardianum spectat correctio Novitiorum in publica mensa (Cap. Gen. 1671); sed quod attinet ad culpam a Novitiis audiendam tribus diebus a Constitutionibus praescriptis usus provinciarum retineatur (ibidem): Guardianus potest Novitio Confessarium extraordinarium nominatim assignare, quando ipsi placuerit, dummodo hac in re cum maturitate, et prudentia procedat (Cap. Gen. 1598): Guardianus non potest in occurrentibus Conventus necessitatibus independenter a Magistro de Novitiis disponere (Cap. Gen. 1671): Ad Magistrum spectat dies determinare, per quos Candidatus in veste saeculari in Conventu manere debeat (Cap. Gen. 1762): convenit autem, ut Magister Guardiano tempus praevie indicet, quo Candidatus religiosa veste induendus erit (Cap. Gen. 1671): Non convenit, ut Guardianus circa Novitios quaedam praescribat, disponat, immutet, aut his graviores poenas injungat, quin prius his de rebus Magistrum certiorem reddiderit. Extra publicam mensam, chorum, et caetera loca, in quibus tota familia religiosa pro publicis functionibus, aut pro regulari observantia congregata est, Novitii dependent semper, et in omnibus a suo Magistro, et ab hoc tantum benedictionem petere debent: si autem extra conventum progressuri sint, tum a Magistro, tum a Guardiano benedictio erit petenda. Generatim loquendo convenientissimum, imo prorsus necessarium est, ut Guardianus et Magister in omnibus cum optima harmonia (2) procedant, et ubique se mutuo juvare stu-

(1) Nota verba: *Novitiatus regimen,* et caveat Magister ne tamquam alius Superior localis totam rem domesticam quodammodo moderetur.

(2) Caveat etiam Guardianus ne, minutiositatis nimiae sectator effectus, indirecte perturbet Magistri munera, vel impediat salutarem ejusdem magistri zelum in spirituales filios seu discipulos. In difficultatibus et opinionum pugna caveant ambo ne publice vel privatim aliquid faciant, vel dicant quod quomodolibet pacem internam et externam etiam leviter perturbare possit: sed humiliter, reverenter, et in vera charitate omnia componant sub paterna P. Provincialis fiduciali dependentia.

deant (Cf. libellum: *Regolamento* etc. auctoritate R.mi P. Andreae ab Aretio editum, et a Cap. Gen. 1847 approbatum).

5. Novitii statim ab initio instruendi sunt *in caeremoniis, et officiis* (1) ipsis competentibus, ut sciant, quae communiter fieri solent in choro, refectorio, dormitorio, et cella, ne tamquam stipites ubique attoniti haereant, sintque fratribus offensioni. — *Ascesis* dein clare, complete, et solide ipsis tradenda est, ut ad finem Religionis, scilicet ad perfectionem christianam tendere possint. Oportet ergo, ut recte edoceantur, quanam in re essentia perfectionis consistat, quaenam media adhibenda, quaenam impedimenta tollenda, et quaenam dispositiones praemittendae sint, ut ad illam perveniuntur; maximi enim momenti est, ut accidentalia ab essentialibus probe noverint distinguere. Caute etiam Magister *dominantem* Novitiorum *passionem* explorare, et ad fortem, ac constantem contra hanc pugnam ipsos excitare debet. Monendi sunt praeterea Novitii, ut se *ad tentationes* praeparent, has Superiori suo candide manifestent, et per fervidas orationes vincere satagant. Cum porro Novitii per duas horas *orationi mentali* incumbere debeant, Magistri est, ut mature eos modum doceat praedictam orationem fructuose instituendi, ut praescribit *Clemens VIII* (l. c.). Denique *sacra Regula* cum Constitutionibus bene est ipsis explicanda, ut sciant, ad quae se obligare cogitent.

6. In Novitiorum educatione tum *a nimio rigore* (2), tum *a nimia lenitate* cavendum est. Errant sane Superiores, et Magistri, qui

---

(1) Quoad ceremonias et officia, curet Magister ut Novitii *ex fide, pro Deo, et propter Deum,* omnia peragant, ut non *mimici* sed obedientissimi legum servatores sint et apparcant. Item, caveat Magister ne propria auctoritate difficiliores S. Regulae et regularis juris quaestiones quasi magistraliter solvat, sed sincerissimo ac prudenti studio omnia doceat scitu necessaria ac utiliora, ut conscientiae discipulorum semper rectae efficiantur, non vero laxismi aut rigorismi peste infectae.

(2) *Nimius rigor* in novitiatu ubique fere importat futuram relaxationem extra novitiatum, ac saepe exteriorem tantum religiositatis speciem. *Lenitas* vero *nimia* facile evadit germen infausti « sentimentalismi », ut vulgo dicitur, ac quasi foemineae teneritudinis quae corda mollia ac subitaneo iracunda efficit. Charitas tamen vincat severitatem ut novitii inveniant in Magistro verum benignumque Patrem, imo sollicitam ac dilectissimam Matrem, non vero potentem Dominatorem ac difficilem Judicem. Recta novitiorum aliorumque regularium disciplina non debet esse quasi militaris, sed vere paterna cum interna religiositate conjuncta.

Novitios, praesertim ab initio, dure tractant, nonnisi torvis oculis eos aspiciunt, vix unquam benignum ipsis auditum praestant, ob errores inculpabiliter commissos graviter eos reprehendunt, ac publicis quoque humiliationibus subjiciunt, priusquam eos solide docuerint, cur, et quomodo humiliationes perferendae sint. Aedificium isti construere tentant sine fundamento; atque ideo vel arundinem quassatam penitus confringent (Matth. 12, 20; Is. 42, 3), vel non humiles, sed hypocritas generabunt, qui falsa simulantes vera Superioribus manifestare non audent. Attendant isti dictum *S. Gregorii M.* (cit. a S. Bonav. Pharet. l. 1, c. 29): « Quisquis divina inspiratione compulsus relictis « saeculi hujus actionibus ad Deum converti festinat, ita cum cha- « ritate suscipiendus est, et blandis per omnia consolationibus refo- « vendus, ut in ea, quam elegit, Deo adiuvante delectetur modis « omnibus conversatione persistere ». — Nullatenus tamen indulgendum est immodicae lenitati. Si enim Novitii jam satis instructi regularem observantiam violent, vel obedientiae praevaricatores existant, primo quidem paterne admoneantur; sed hac admonitione non proficiente, publice arguantur, et puniantur. Sine hac disciplina educatio Novitiorum in Religione, in quibus continuis sui ipsius mortificationibus opus est, desideratos fructus ferre haud valet. Meminerint ideo Novitiorum Superiores verborum Spiritus S.: *Equus indomitus evadit durus, et filius remissus evadet praeceps. Lacta illum, et paventem te faciet: lude cum eo, et contristabit te. Non des illi potestatem in juventute, et ne despicias cogitatus illius* (Eccli. 30, 8 etc.).

ARTICULUS III.

§ 25.

De probatorum Professione.

Ut praesens materia recte pertractetur, agendum est 1. *de votis a familia, in qua Novitius commoratur, sumendis;* 2. *de ipsa professione religiosa;* ac demum 3. *de hujus perpetuitate,* ubi etiam disserendum venit de *Apostasia.*

§ 26.

I. De votis ante professionem sumendis.

1. Quoniam annus probationis ad hunc finem praescriptus est, ut dignoscatur, an Novitius pro Ordine idoneus futurus sit, an non, sapientissime Constitutiones nostrae ordinarunt, ut Fratres Familiae, in qua Novitius probatus fuit, ante ejusdem professionem vota sumant, et ut nullus ad professionem admittatur, nisi per pluralitatem (1) votorum approbatus fuerit. Imo Innocentius X (C. *Ad propagandam*) (2) praecepit, ut Novitiatus tempore ter (3) a praedicta familia haec vota in secreto sumantur, ita ut vota oretenus tantum data non quidem invalida, sed tamen illicita dicenda sint. Istae tres votationes quolibet quarto mense fieri debent. Ad vota ferenda omnes ejusdem familiae Fratres, qui tertium religiosae aetatis annum compleverunt (4), convocandi sunt; uno enim neglecto, et reclamante, votatio

---

(1) Provincialis non potest ad professionem admittere novitium qui dimidiam tantum votorum partem obtinuerit, neque proprio suffragio medietatem in pluralitatem mutare favore candidati.

(2) C. *Ad propagandam* non obligat Min. Capuccinos, nam edita fuit die 15 Oct. 1654 pro Minoribus Observantibus et Reformatis, ut constat ex verbis ipsius documenti: « Ad propagandam, in Ordine Fratrum Minorum Regularis Observantiae, ac Reformatorum Sancti Francisci. » Imo nec ipsos Observantes et Reformatos obligat nisi in Italia tantum, ut patet etiam ex epistola eorum Protectoris Card. Franc. Barberini, 18 Aug. 1655, in qua legitur quod praefata mandata C. *Ad propagandam* data sunt, « per ricevere i Novitii nelle Provincie d'Italia della sua Religione di S. Francesco, tanto Osservanti como Riformati ». Vide Lantusca « Theatrum Regularium », Verb. *Novitius*. Tamen *trina* votatio obligatoria habetur apud nostrates ex Cap. Gen.

(3) Pluralitas tamen novitio favorabilis in ultima tantum votatione requiritur.

(4) *Hodie* constat quod hujusmodi triennium computandum est a die emissionis votorum simplicium. Imo ex S. Cong. sup. Discipl. Regul. 1 Sept. 1875: « pro admissione ad professionem votorum simplicium », excluduntur a ferendo suffragio *ipsi professi votorum simplicium*. Quapropter si forte alicujus fratris professio solemnis dilata fuit, v. g. ob leges militares, hic quantumvis in religione antiquus, nunquam concurrere poterit ad votationem pro novitiorum professione simplici, usquedum solemnia vota emittat.

nulla declaratur. Potest equidem aliquis pro una, aut altera vice ex justis rationibus, et cum Superiorum consensu juri suo renuntiare: sed tamen nullatenus Fratribus licitum est, se indiscriminatim et ex mero arbitrio votationi subtrahere; quia tum per Constitutiones, tum per legem pontificiam ad vota ferenda obligantur, et ab uno, alterove voto sors Novitii dependere potest. Ast tunc tantum, ut Constitutiones dicunt, Fratres votum pro Novitii professione dare pussunt, et debent, si per quatuor circiter menses in eadem cum Novitio familia conversati fuerint. Qua in re notanda est decisio Capituli Gen. ann. 1613: « Quaeritur, an Frater, qui mansit tantum per tres menses cum No-« vitio in Novitiatu, et abfuit ex obedientia reliquo tempore, possit « illi valide suffragari ad professionem? Resp. affirmative, modo ultra « tres menses remanserit in eadem familia, et aliis mensibus abfuerit « ex obedientia ». — Si autem Novitii finito anno probationis per leges civiles professionem emittere prohibeantur, et per annum aut ultra ut non professi in Ordine persistant, ante eorumdem professionem nova votatio in familia, in qua commorantur, suscipienda est. Id apparet ex decreto S. Congregationis (die 6 Julii 1772), quo statuitur, « ut supradicti Novitii in eisdem Conventibus, ubi degunt, et « morabuntur, tametsi in ipsis Novitiatus non existat, praemissis « tandem exercitiis spiritualibus, ac *nova exploratione* per Superio-« res locales facienda, atque *accedente capitulari consensu Religio-« sorum de Familia* cum licentia Provincialis, sub cujus jurisdic-« tione existunt, solemnem deinde professionem rite, et legitime « emittere possint, et valeant, contrariis non obstantibus, quibus « Sanctitas sua expresse derogavit ». Circa Novitiorum professionem pro Italia, ed Insulis adjacentibus die 25 Januarii 1848 a S. Congregatione, annuente Pio IX, sequentia ordinata sunt: 1. « Quicunque « ex Religiosis, et Novitiis alicujus Ordinis cognoverit Novitium sui « Instituti aliquo impedimento, vel gravi defectu praepeditum esse ad « religiosum statum assumendum, impedimentum ipsum, et defectum « Superiori Conventus Novitiatus, vel Provinciali, vel Superiori Ge-« nerali manifestare teneatur. Superiores vero denunciantis nomen « secretum retineant. 2. Prope terminum cujusque trimestris novi-« tiatus Magister Novitiorum Provinciali de agendi ratione cujusque « Novitii scripto referat. 3. Duobus mensibus ante professionem « Provincialis sive per se, sive per alium idoneum Religiosum sibi « benevolum Novitii voluntatem diligenter exploret, an coactus, an « seductus sit, quo spiritu ad statum religiosum ductus, an sciat,

« quid agat, an obligationes status religiosi et regulae agnoscat: « secreto audiat tum Magistrum Novitiorum, tum Novitios, nec non « Religiosos etiam Conversos Conventus Novitiatus circa Novitium « ad professionem admittendum. Quo facto Capitulum conventuale « ejusdem Conventus convocet, ut Capitulares per secreta suffragia « declarent, an Novitius ad professionem admitti possit. Deinceps « omnium actorum, et resultantium relationem scripto exaratam pro- « pria manu subscribat, quin tamen eos, qui secreto deposuerint, ullo « modo in aliquod discrimen adducat. 4. Hujusmodi relationem Pro- « vincialis tribus saltem Examinatoribus Provincialibus communicet, « et condicto die convocet praefatos Examinatores, et Novitiorum « Magistrum; et praestito ab omnibus superius enuntiato juramento, « Magister Novitiorum referat de Novitii agendi ratione in Novitiatu « servata, de ejus libertate, vocatione, et idoneitate ad statum reli- « giosum, et declaret, utrum ipse in Domino existimet Novitium ad « professionem tuto admitti posse. Si vero Magister Novitiorum vel « ratione distantiae, vel alia legitima causa ad locum scrutinii com- « mode accedere nequeat, transmittat super praemissis relationem in « scriptis, illamque juramento confirmet, et propria manu subscribat. « Provincialis deinceps, et Examinatores per secreta suffragia defi- « niant, an Novitius necessariis dotibus praeditus sit, ut ad profes- « sionem tuto admitti possit; super quo eorum conscientia graviter « onerata remaneat. 5. Si Novitius probatus fuerit, Provincialis de « omnibus instructum reddat Superiorem Generalem, qui ulterioribus « informationibus, quatenus necessarium judicaverit, requisitis appro- « bationem revocet, vel confirmet, prout in Domino judicaverit; quin « tamen unquam permittere possit professionem Novitii, qui ab Exa- « minatoribus provincialibus reprobatus fuerit ».

2. Judicium de Novitio ad professionem admittendo maioris est momenti, quam illud de eodem recipiendo. Hoc enim emendari potest, illud reparari nequit. Magna ergo circumspectione, ac prudentia procedere debent illi, quibus officium incumbit, ut per vota sua decernant, an Novitius ad professionem admittendus sit, nec ne. Mortaliter sane peccant, qui votum suum vel digno denegant, vel indigno tribuunt. Primi magnam committunt injustitiam tam contra Religionem, quam idoneo membro, et magno decore privant, quam erga Novitium, cujus jus, quod ad professionem habet, violant, salutemque aeternam maximis discriminibus exponunt. Secundi maxima inferunt damna sibi, quia se participes reddunt omnium Regulae transgressionum ab in-

digno patrandarum; Religioni, quae per membra inutilia, inordinata, et noxia maximopere inhonoratur; ac ipsi Novitio, quem ad statum promovent, in quo gravius peccat, et horribilius damnatur. De his bene *Mauburbus* ait: « Aliqui non timent in sepulchro Claustri « nondum mundo mortuos sepelire, quorum postea foetore tota cor- « rumpitur religio. Opus charitatis est, mortuos, non vivos, sepelire ». — Quoniam vero votatio, ante Novitiorum professionem suscipienda, tanti ponderis est, ideo sapientissime Capitulum generale anno 1637 ordinavit, ut « in loco Novitiatus saltem septem Religiosi prudentes, « spirituales, et devoti (1) collocentur ». Idem quoque Clemens VIII inculcavit; et S. Congregatio super Stat. Regular. 18 Julii 1695 Provincialibus injunxit, « ut in Novitiatus Conventibus non collocent « nisi Religiosos graves, devotos, exemplares, Regularis observantiae, « et puritatis Regulae studiosos, orationi praesertim ac mortificationi, « sine quibus non potest religiosa vita consistere, addictos etc. »

3. Ut Religiosi, dum vota ferunt, recte discernant, an Novitius ad professionem admittendus sit, an non, ejusdem *scientiam,* seu *capacitatem, morum probitatem,* et *corporis sanitatem* bene ponderare tenentur. Requiritur sane in Novitio sive Clerico, sive Laico talis *scientia,* qua recte cognoscat ea, quae promittere, et observare tenetur: hac scientia deficiente ad professionem admitti non potest, veluti nostrae Constitutiones decernunt. Caeterum Fratres haud facile scientiam, et capacitatem Novitii explorare valent, ac ideo judicio Guardiani, et Magistri acquiescere possunt. Cavendum vero est, ne Novitius ob errores quosdam commissos, aut inepte gesta statim ut stupidus habeatur, cum etiam bono ingenio praediti ob rerum novitatem, multorumque praesentiam hincinde perturbentur: nam, ut dicit *S. Gregorius* (cit. a S. Bonav. Pharet. l. 1, c. 29), « Omnibus « cujuslibet aetatis onerosa est novitas ». Neque etiam opinandum est, omnes, qui Ordini aggregantur, tam praestanti ingenio praeditos esse debere, ut Superioris, Lectoris, aut Concionatoris munere fungantur: dantur enim in Ordine etiam inferioris generis officia, ad quae peragenda etiam mediocri ingenio praediti satis idonei esse pos-

(1) Hinc imprudens vere ac improbandum consilium foret collocandi scilicet fratres professos etsi juniores in novitiatu correctionis causa. Hinc in animadversionibus S. Cong. EE. et Reg. ad quasdam Constit. legitur: « Nec expediens videtur.... culpabiles ob poenam in novitiatum mitti: id enim scandalum afferre potest ». (Bizzarri).

sunt; et ipsi Patres simplices (1) Missam devote celebrantes, Chorum diligenter frequentantes, S. Eucharistiam dispensantes etc. haud parva emolumenta afferunt. Ideo *S. Thomas* (in 4, D. 24, q. 1, art. 3, q. 2, ad 1,) ait: « Aliqui ad Sacerdotium promoventur, quibus commit- « titur tantum actus supra Corpus Christi verum, sicuti Religiosi; « et talibus sufficit, si tantum de scientia habeant, quod ea, quae « ad sacrificium perficiendum spectant, recte servari possint ». Neque obstat decretum Concilii Tridentini (Sess. 23, cap. 14), quod praescribit, ut Sacerdotio initiandi « ad populum docenda ea, quae « scire omnibus necessarium est ad salutem, ac ministranda Sacra- « menta, diligenti examine praecedente, idonei comprobentur ». Hisce enim verbis tantum requiritur, ut quis Chatechetae munere fungi, eaque docere valeat, quae scire omnibus necessarium est, et ut, prout S. Carolus in 5 Conc. Mediol. declaravit, « circa Sacramentum « Confessionis aliquam peritiam habeat », eaque cognoscat, quae SS. Missae sacrificium, et Sacramenta baptismi, et extremae unctionis concernunt: qui his cognitionis sibi comparandis impar est, ut Clericus ad professionem admitti non potest. Caeterum ipsa praxis communis Episcoporum nobis quoque ostendit, quomodo Concilii Tridentini decretum intelligendum sit. Quoad Laicos quoque requiritur, ut ad labores, statui suo convenientes, habiles judicentur; alias ad S. professionem admitti non possunt.

---

(1) Hodie tamen rigorosius exigenda litteraria peritia in omnibus candidatis clericis, quia data sacrorum ministrorum penuria, ubique terrarum debent nostrates quasi necessario sacris incumbere officiis ad salutem animarum: ac proinde quod in clericis saecularibus, id *saltem* in omnibus clericis franciscalibus hodie necessario requiri debet relate ad intellectualem capacitatem ac scientificam peritiam. « Tristissimis hisce temporibus.... necesse prorsus est, ut uterque clerus, « saecularis nempe et regularis conspirantibus animis, conjunctisque studiis in « vineam Domini excolendam sedulo incumbat » (Epistola Pii IX per S. Cong. EE. et Reg. 25 Dec. 1859). Ergo qui clericos imbecilles et imperitos admittunt, ut fiant *Patres simplices* seu *sacerdotes simplices*, nec recte, nec prudenter hodie procedunt, imo causa esse possunt quod lapsu temporis, aliqui ex hujusmodi Patribus simplicibus importunis precibus vel aliter fiant vel praedicatores, vel saltem confessarii, cum haud modico sacri ministerii dedecore et animarum periculo. Aliunde, hodierna *Patrum* mere *simplicium* admissio facillime devenire potest otiositatis, invidiae ac tristitiae fomentatio in ipsis Patribus simplicibus, superbiae in concionatoribus et in confessariis, ac vitae privatae in multis. Ergo hodiernis temporibus vel nunquam omnino, vel rarissime admittantur qui *Patres simplices* tantum futuros esse praevidentur.

4. Ad dijudicandam *morum probitatem,* in Novitio maxime necessariam, sine speciali revelatione divina certitudo infallibilis haberi nequit, sed tantum moralis quae a signis externis, seu ab exteriori Novitii conversatione desumi potest. Si enim Novitius sit in officiis suis diligens, in conversatione modestus, in loquendo cautus, in obediendo promptus, in Ecclesia devotus, in oratione assiduus, ac praesertim ita humilis, ut etiam correctiones bono animo suscipiat, et si talem se per longius tempus ostendat; dignus sane censendus est, qui ad professionem admittatur. Neque enim in illo hypocrisis supponi potest, quae se in variis occasionibus prodere solet juxta ea, quae Christus ipse de hypocritis dixit: *ex fructibus eorum cognoscetis eos* (Matth. 7, 20). Quid autem faciendum erit, si morales defectus in Novitio observantur? Cum magna tunc prudentia, et discretione procedendum est. Triplicis generis defectus distinguere oportet. Dantur enim defectus, qui ex humana infirmitate, ex inadvertentia, aut ex quadam negligentia oriuntur, uti e. g. error in legendo, levis impatientia, modica locutio tempore silentii, omissio alicujus accidentalis caeremoniae, etc. Isti defectus corrigi quidem debent, sed Novitium sacra professione indignum haud reddunt. — Dantur vero et alii defectus, qui licet in se leves sint, tamen cum deliberatione committuntur, et ex quadam non recte mortificata passione progignuntur; quales sunt si quis oculos curiose huc illuc, et praesertim ad foeminas convertat, socios suos lacessat et male tractet, extra refectionem manducet et bibat, ex horto fructus surripiat etc. Isti defectus, si saepius etiam post factas correctiones repetantur, haud parvi pendendi sunt; sed si judicio prudentum malignam quamdam passionem in corde Novitii dominantem indicant, gravem rationem praebent hunc sacra professione indignum declarandi: de tali enim Novitio jure timetur, quod per malam passionem suam, quam ne in anno quidem probationis mortificavit, in majora usque mala praecipitetur; quoniam *si in ligno viridi haec faciunt, in arido quid fiet?* — Dantur denique defectus graves, qui magnam cordis corruptionem manifestant; et tales committuntur ab illis, qui Superioribus suis praefracte obedientiam denegant, vel aliis atroces injurias inferunt, vel ob injurias acceptas diuturnos rancores, et odia ferunt, vel graves murmurationes, detractiones, et calumnias spargunt, vel vinum immodice amant, vel per inhonesta verba, aut gesta lasciviam suam produnt, etc. De hisce dici potest: *pedes eorum in malum corruunt* (Is. 59); et ideo ad s. professionem admittendi non

sunt, nisi constet, quod ex improvisa tantum occasione in tales defectus ceciderint, vel quod manifesta de illis emendatio secuta fuerit.

5. Quod *sanitatem corporis* spectat, requiritur, ut Laici sufficientibus ad officia sua peragenda viribus gaudeant, et Clerici praecipue sanis oculis (1), bonoque stomacho praediti sint. Admittendi ergo ad s. professionem non sunt valde debiles, frequenter aegrotantes, aliisve incommodis subiecti, ob quae merito praevidetur, quod nequeant vitam communem observare, et officia sua rite adimplere, et quod ideo membra Ordinis non solum inutilia, sed et molesta futuri sint. Quod si Novitio in anno probationis morbus supervenerit, non statim de ipsius dimissione cogitandum est; sed charitas potius exigit, ut pro ipsius curatione omnia media diligentissime adhibeantur. Caeterum Magistrorum est, etiam de salute Novitiorum corporea assiduam curam gerere: quamobrem corporales poenitentiae, abstinentiae, et mortificationes, quae modum excedunt, nimisque stomachi vigorem hebetare solent, non solum illis non injungendae, sed ne permittendae quidem sunt. Quod reliquos corporeos defectus attinet, sacra professione indigni censendi sunt solummodo surdi ex defectu organico, notabiliter lusci, enormiter deformes, caeterique, qui juxta canones irregulares censentur.

6. Antequam votatio suscipiatur, convenit, ut Fratres a Superiore de negotii pertractandi gravitate moneantur, Spiritus S. assistentiam invocent, et praeviam inter se consultationem habeant juxta ea, quae dicit Glossa (verb. in tract., ad cap. *Cum in veteri lege*, 52, tit. de elect.): « Hinc patet, quod tractatus debet haberi ante « electionem, et collationem ad invicem; alias quomodo eligerent, nisi « primo de aliquo eligendo tractarent »? — Qui ob requisitae scientiae defectum dubitat, seu nescit, quale votum Novitio dare debeat, potest consilium petere a suo Confessario, a Magistro, vel ab alio

(1) Vitium oculorum quod conspiciliorum (occhiali) usu tolli potest, nullum omnino importat impedimentum ad professionem. Conspicilia enim non sunt contra paupertatem. Quoad alios defectus corporales, benignius agendum cum junioribus clericis aliunde mente sanis, qui ratione aetatis, aliqua patiuntur incommoda leviora (vel majora sed *per se* transitoria). Tunc enim fratres stare possunt (et saepe quodammodo tenentur) judicio medici qui transitoriam declarat (ac proinde saltem aetatis vigore vincendam) debilitatem vel infirmitatem. Maxime ergo attendendum ad mentis sanitatem ac virtutum vigorem, voluntatis mortificationem, subjectionem, ac in bono constantiam.

viro prudenti, qui studio partium non abripiatur. Si adhibitis his cautelis nihilominus dignitas, vel indignitas Novitii dubia manet, juxta nonnulos servanda est regula juris « in dubio melior est conditio possidentis », et ideo votum Novitii professioni favens dandum est; nam ajunt, si agitur de recipiendo Candidato ad habitum, in dubio possidet Religio, illeque dimitti potest; sed si quis jam habitu indutus est, atque annum probationis sustinet, possidet ipse, et dimitti nequit ob solum dubium, cum etiam reus in dubio absolvatur. Alii vero dicunt, quod Novitius in dubio non sit admittendus ad professionem, quia jus ad hanc solum possidet sub conditione, si se certe idoneum probaverit; et quia Fratres magis bonum Religionis, quam Novitii promovere tenentur. Haec sententia proponitur etiam in libello circa hanc materiam exarato, et a Capit. gen. 1847 approbato (1).

§ 27.

II. De Professione religiosa.

TEXTUS. *Finito vero anno probationis, recipiantur ad obedientiam, promittentes vitam istam semper, et Regulam observare.*

1. Nonnulli in citatis Regulae verbis rigorosum praeceptum agnoscunt, Novitios finito anno probationis ad obedientiam recipiendi, i. e. ad sacram professionem admittendi, aut ex Ordine dimittendi; eamdemque obligationem repetunt ex verbis Concilii Tridentini, quod Sess. 25, de Regular. cap. 16, dicit: « Finito tempore Novitiatus, « Superiores, Novitios, quos habiles invenerint, ad profitendum ad-

(1) In hac tamen prudentiori sententia, fratres praesertim laici debent toties quoties sententiam Magistri vel aliorum sacerdotum prudentia ac pietate conspicuorum audire, ut si fieri possit, deponant dubium. Non ergo sufficit dubium mere negativum. Aliter injustitiae in Novitios vel in Ordinem rei esse poterunt. — *Nota:* Magister non potest uti scientia ex confessione habita ut novitium repellat. Sententia contraria est expresse damnata a S. Sede.

mittant, aut e monasterio eos ejiciant ». — Alii autem cum *Marchantio, Sanctorio, Thesauro* etc., putant, quod tum Regulae, tum Concilii praeceptum sit conditionatum, ita ut tantum obliget, si certo constat de Novitii dignitate, vel indignitate. Quod autem in casu dubii, vel ob alias graves causas professio Novitii saltem ad breve tempus differri possit, *Politius* citat *Pium V,* qui vivae vocis oraculo Capuccinorum Congregationi concessit, ut ex justis rationibus Novitiorum professio etiam finito anno probationis ad sex menses differri possit. Notandum vero est, vivae vocis oracula revocata fuisse a *Benedicto XIII.* Nihilominus multi putant, licentiam a Pio V concessam continuari, et pro sua sententia citant declarationem S. Congreg. Conc. apud *Graffium* (p. 1, l. 3, Cap. 3, n. 16). Imo *Rotarius* contendit, professionis dilationem ad annum usque protrahi posse (t. 1, l. 2, Cap. 4, punct. 3, n. 4). Caeterum, ait *Viator a Cocaleo,* « hac in re semper attendenda est determinatio « illius qui habitum concedere potest, nimirum Generalis, et Pro« vincialis » (in Cap. 2, Exp. 9, n. 6) (1).

2. Cum Regula non dicat, a quonam debeant Novitii recipi ad professionem, nonnulli cum *Hugone* putarunt, id a Guardianis, et maxime a Custodibus fieri posse, dummodo id ipsis non expresse a Ministris prohibitum fuerit. Sed communior atque solidior est sententia eorum, qui cum *Pisano* dicunt, receptionem Novitiorum ad professionem ad solos Ministros spectare. Nam si a Regula his tantum receptio Novitiorum ad probationem conceditur, multo magis ipsis solis servatur id, quod majus est, receptio scilicet ad professionem. Ipsum Conc. Trident. per Superiores, qui Novitios vel ad professionem admittere, vel e monasterio ejicere debent, non intelligit, ut ait *Bernardus Bonon.,* nisi illos, qui supremam in Ordine, vel saltem in Provincia potestatem tenent. Neque enim Novitii per solemnem professionis contractum uni conventui, aut custodiae, sed Provinciae se jungunt, et ideo ab hujus rectore suscipi debent. Non negatur

(1) Ad dubium: « Utrum absque dispensatione et periculo nullitatis, possit aliquando differri professio tam Clericis quam laicis, qui finito anno et die Novitiatus attigerunt aetatem pro professione requisitam, si ad prudens judicium P. Vicarii Generalis aut PP. Conventualium Capituli Conventualis adsint causae graves differendi professionem? » — S. Cong. Episc. et Regul. respondit: *Affirmative.* Romae, 12 Januarii 1731. — Unde, in praxi omnis difficultas excluditur, cessantque incommoda ex Auctorum diversis opinionibus exorta.

vero, quod Ministri facultatem Novitios ad obedientiam recipiendi Custodibus, Guardianis, aut aliis committere possint; ubi tamen semper convenit, ut illi de scrutiniis circa Novitium habitis certiores reddantur (1).

3. Professio religiosa non est simplex promissio, ut in voto simplici, sed est simul sui traditio ad cultum divinum, seu ad vivendum caste, sine proprio, et sub obedientia in Religione approbata, et simul traditionem acceptante. Ad professionem ergo tria vota solemnia paupertatis, castitatis, et obedientiae essentialiter requiruntur. Cur ergo in Regula tantum dicitur: *recipiantur ad obedientiam?* — Id fit, ait *Bernardinus Gandensis,* quia obedientia inter vota eminet, et ad Monachum constituendum prae caeteris ordinatur. Ideo *Joannes XXII* (Constit. *Quorumdam exigit*) inquit: « Magna qui« dem paupertas, sed major integritas, bonum est obedientia maxi« mum, si custodiatur illaesa; nam prima rebus, secunda carni, tertia « vero menti dominatur et animo, quos velut effraenos, et liberos « ditioni alterius humili jugo propriae voluntatis adstringit ». Praeterea, ut concinne observat *Philippus a Castel.,* tali modo indicatur, quod quilibet in Ordinem recipiatur non ad hoc, vel illud officium gerendum, sed ad obediendum: unde fit, ut quilibet apud se cogitare, et dicere cogatur: non sum professus, ut sim Superior, Lector, Concionator, Janitor, Coquus, etc.; sed receptus sum ad obediendum. Demum in citatis verbis duo vota paupertatis, et castitatis implicite continentur, quia additur: *promittentes vitam istam semper, et Regulam observare,* qua (c. 1) requiritur, ut Evangelium observetur *vivendo in obedientia, sine proprio, et in castitate.* — Dum autem Fratres promittunt, vitam istam, et Regulam observare, « sic, ait « *S. Bonaventura,* vovent totam Regulam, ut non omni ejus parti « se obligatorie adstringant: vovent enim se totam Regulam, pro re« gula habituros secundum mandantis intentionem, ut quaedam ad « observandum, quaedam ad habendum pro salutaribus hortamentis ». Imo communior Expositorum sententia est, quod ea solum, quae ad

(1) Notandum quod P. Provincialis gravi de causa sibi nota nec aliis aperienda, quasi ex *informata conscientia,* potest a professione excludere novitium qui habuit pluralitatem votorum. Unde consequenter dicenda improbabilis opinio, quod scilicet sufficit *licentia negativa* seu *prohibitio* P. Provincialis, ut Magister et Guardiani recipiant ad professionem novitium qui pluralitatem votorum obtinuit. Ita AA.

paupertatem, castitatem, et obedientiam stricte dictam, spectant, sub voto cadant, non autem reliqua Regulae praeccpta; ita ut qui haec graviter violat, e. g. qui feria 6 non jejunat, mortaliter quidem peccet, sed tamen non specialis peccati, contra Religionem commissi, reus constituatur.

4. Professio religiosa est perfectissimum sui ipsius sacrificium; quia profitens per votum paupertatis omnibus bonis terrenis, per votum castitatis etiam licitis in matrimonio carnis oblectamentis, et per votum obedientiae propriae voluntatis arbitrio renuntiat: et sic, uti Doctores ajunt, actum tam grandem, et heroicum ponit, qui martyrio comparari possit; quia licet professus non gladio percussus occumbat, tamen per continuam passionum suarum abnegationem, et religiosarum austeritatum perpessionem mysticum quoddam mortis genus experitur. Ideo juxta communem Theologorum sententiam, professionis religiosae effectus est remissio omnium poenarum peccatis debitarum, non ex opere operato, quia professio non est sacramentum, sed ex excellentia operis, quod est condigna satisfactio pro tota poena peccatis debita. Unde secundum *S. Hieronymum* (Epist. 8, et 25), et *S. Bernardum* (lib. de Praec. et Dispens.), professio religiosa comparatur baptismo. Adde quod Summi Pontifices profitentibus indulgentiam plenariam concesserunt. Notandum tamen est, quod professio debet fieri in statu gratiae; non enim remittitur poena nisi remissa culpa. — Alius professionis effectus est extinctio omnium votorum professionem praecedentium, sive ea sint reservata, sive non, sive realia, sive personalia, sive in novitiatu emissa: id docet *S. Thomas* (2. 2, qu. 88, art. 12, ad 1), quem unanimiter sequuntur Theologi. Praeterea professio religiosa sicut dissolvit praecedens matrimonium ratum, non consummatum, dirimitque subsequens contractum (Conc. Trid. Sess. 24, càn. 6, et 9); sic et tollit irregularitatem ortam ex defectu natalium in ordine ad sacros Ordines suscipiendos, non tamen in ordine ad praelaturas et dignitates (c. 1. de filiis presb.). Demum in professione sacrum initur pactum: nam Ordo temporalem, et spiritualem de professo curam suscipit, ipsumque alit, fovet, defendit, in viam salutis dirigit, et ad coelestem beatitudinem perducit; Ordo vicissim exigit, ut professus Regulam, et Constitutiones exacte observet, et absque ulla contradictione fideliter exequatur, quidquid ipsi dictatum fuerit sub iis Praelatis, quos Ordo ei praeficere voluerit, et in iis officiis, quae melius judicaverit ipsi convenire. — Solemnis hujus pacti, et obligationum inde prodeuntium semper memor esse

debet professus, ac cum Jobo dicere: *Gloria mea semper innovabitur, et arcus meus in manu mea instaurabitur* (29, 20). Cuilibet quoque Professo ob solemnem promissionem, qua se Deo in Ordine dicavit, idem dici potest, quod *S. Ambrosius* cuilibet Christiano ob vota baptismi acclamat: « Non est fallere, non est negare. Tenetur « vox tua non in tumulo mortuorum, sed in libro viventium » (L. de iis, qui initiantur) (1).

---

(1) SS.us D. N. Pius IX, attentis precibus Ministri Generalis Ordinis N. Capucc., haec quae sequuntur circa naturam et qualitatem votorum simplicium in encyclicis litteris S. Congregationis super Statu Regul. diei 19 Martii 1857 praescriptorum, et circa obligationes ac privilegia illorum, qui ea emittent, decreto ipsius S. Congreg. diei 12 Julii 1858 pro eodem Ordine nostro, Apostolica auctoritate statuit atque constituit: 1° Vota simplicia perpetua erunt ex parte voventis, utpote quae tendunt ad emittenda deinde vota solemnia, in quibus perfectionem et complementum accipiunt. 2° Eorumdem votorum simplicium dispensatio reservata est Romano Pontifici, cui Professi gravibus urgentibus causis preces porrigere poterunt. 3° Verum eadem simplicia vota solvi etiam possunt ex parte Ordinis in actu dimissionis Professorum, ita ut, data dimissione, Professi ab omni dictorum votorum vinculo et obligatione eo ipso liberi fiant. 4° Facultas autem dimittendi Professos votorum simplicium, de quibus agitur, spectat ad Ministrum Generalem Ordinis cum suo Definitorio generali: poterit in casibus extraordinariis idem Minister gener. cum suo gener. Defin., et praesertim pro regionibus longinquis ad dimissionem decernendam subdelegare probos et prudentes Religiosos, qui saltem tres esse debent. 5° Licet ad decernendam dimissionem neque processus, neque judicii forma requiratur, sed ad eam procedi possit sola facti veritate inspecta; tamen Superiores procedere debent summa charitate, prudentia et ex justis ac rationabilibus causis, quacumque humana affectione remota: secus eorum conscientia graviter onerata remaneat. Nemo autem ex causa infirmitatis post professionem votorum simplicium superventae dimitti poterit. 6° Professi dictorum votorum simplicium participes erunt omnium gratiarum, et privilegiorum, quibus Professi votorum solemnium in Ordine legitime utuntur et gaudent. 7° Superiores regulares, ad quos spectat, concedere poterunt hujusmodi Professis litteras dimissorias dumtaxat ad primam Tonsuram et ad Ordines minores, servatis tamen de jure servandis. 8° Anni professionis, qui in Ordine requiruntur, ut quis voce activa et passiva gaudeat, et ad officia admitti possit, a die emissionis votorum simplicium computentur; et Professi votorum simplicium suffragium habeant in actis capitularibus sui Conventus, quatenus et prout habent solemniter Professi. 9° Professi votorum simplicium dominium *radicale*, uti ajunt, suorum bonorum retinere poterunt; sed eis omnino interdicta est eorum administratio, et reddituum erogatio atque usus. Debent propterea ante professionem votorum simplicium cedere pro tempore, quo in eadem professione permanserint, administrationem, usumfructum et usum quibus eis placuerit, non tamen Ordini.

5. Variae sunt causae, quae professionem invalidam reddunt. 1. Nulla est professio, quae ante decimum sextum aetatis, aut ante finitum probationis annum emittitur. 2. Si quis exterius quidem vovet, sed interius intentionem non habet se obligandi, gravissime certe peccat, cum in re summi momenti dolose agat, ita ut ipsi dici possit: *Non es mentitus hominibus, sed Deo* (Act. 5, 4); attamen obligationem tria vota et regulam observandi non contrahit, quia intentio se obligandi in vovente necessario requiritur, et juxta Theologorum axioma vota non obligant ultra intentionem voventis; tenetur autem, quamdiu in Ordine versatur, se gerere ut professum, atque etiam poenis, et censuris subjici potest. 3. Invalida quoque est professio, ad quam quis per vim, aut metum gravem i. e. cadentem in virum constantem impellitur, ut infertur ex jure can. (c. *Praelatum*, et *Cum Dilectus. De his, quae vi vel metu*): licet autem Theologi dicant, talem professionem ex ipso jure invalidam esse, et coram Deo nullam obligationem parere; tamen Conc. Trident. Sess. 25, c. 19, praecipit, ut professionis nullitas ex hac parte a Judice ecclesiastico examinetur, et declaretur. 4. Ignorans ea, quae essentialia sunt, seu ipsam essentiam votorum et Regulae constituunt, invalide profitetur, quia nihil est volitum, nisi cognitum; sed recte observat *Bernardus Bonon.*, talem ignorantiam vix possibilem esse, cum Novitii in anno probationis saltem circa accidentalia, ut dicit idem auctor (Lect. 6, § 6), invalidam non reddit professionem; ideoque communiter absona sunt, quae a nonnullis dictitantur: professus non essem, si haec, vel illa cognovissem, etc. etc. 5. Invalida est etiam professio, quae non acceptatur ab illo, qui eam recipiendi potestatem propriam, aut delegatam habet: invalide ideo profitetur, qui gravem morbum, quo premitur, reticet (1); quia S. Constitutiones

---

10° Professi votor. simpl. remanere debent in domibus Professorii, et Studiorum, et vitam communem perfectam observare. 11° Ad valide emittenda vota solemnia post vota simplicia requiritur professio expressa, et ideo tacita omnino abrogata est. *N. E.*

(1) Haec opinio in praxi non admittenda est. Nam verba Constitutionum: « et si quis hujusmodi erit receptus, quia interrogatus id non voluerit manifestare, declaratur, quod religio ad ejus retentionem non obligatur »; in rigore juris non videntur continere clausulam vere irritantem, sed potius comminationem expulsionis quae aliunde requirit licentiam S. Sedis, ut statim notabimus. Imo certo constat *de validitate hujusmodi professionis* ex Cap. Gen. XXX, in

protestantur, Ordinem talem professionem nullatenus ratihabere. — Nonnulli Theologi putant, professionem invalidam defectu alicujus conditionis jure positivo requisitae, valere in ratione voti simplicis tum ad religionem alteram profitendam, tum ad castitatem servandam: sed cl. *Billuart* (l. c. art. 4) ait, probabilius videri, professionem quovis jure invalidam nullum habere effectum; quia professio religiosa non est simplex promissio vitae regularis facta Deo, sed est sui traditio, et donatio ad vitam regularem in certa Religione

---

quo declaratum fuit, quod tale statutum *non est irritans professionem.* Item ex Bullario Ordinis deducitur professionum validitas, et necessitas nihil hac in re faciendi absque Sedis Apostolicae facultate. Hinc ab initio Ordinis usque hodie, denegatas vidimus praetensiones talium incurabilium, si duo circiter excludantur casus omnino speciales, in quibus ex pontificia decisione praedictos speciales ac singulares casus tantum respiciente, Ordo permisit exitum, et valide et licite. Unde haec opinio professionem infirmans, teneri non potest in praxi, seu non tuta dicenda videtur. Imo dato quod clausula Constitutionum esset formaliter et evidenter irritans, et ut talis in Statutis a S. Sede probatis inserta, tunc ad legitimandum opinionis usum, necessarius foret processus canonicus servata forma Constitutionis *Si datam* Benedicti XIV, an. 1747, qui Pontifex in eadem Constitutione etiam in hoc casu saltem dubiam seu futuro ipsius pontificis examini subjiciendam indicat opinionem quae stat pro invaliditate dicens: « Item, an « professus, qui in professionis actu impedimentum aliquod, sive defectum occul- « tavit, de quo interrogatus fuit, addita declaratione ad formam Constitutionum, « quod scilicet Religio ipsum, cum huiusmodi defectu aut impedimento forsan « occultato admittere non intendebat; an, inquam, talis professus qui Religioni « dolum struxit, eiusmodi commodum ex propria fraude desumere possit, ut va- « liditatem suae professionis ex eo capite impugnare valeat?.... Haec omnia, « aliaque similia in huiusmodi iudiciis frequenter occurrentia, et in utramque « partem hactenus disputata, tum Nostro, tum aliorum, quos, ut supra diximus, « in consilium advocaturi sumus, diligenti studio, Deo adiuvante, explanare de- « liberavimus ». — Ergo in talibus adjunctis professus antecedenter incurabilis exiens ab Ordine absque pontificia licentia esset apostata. Et nota quod incurabilis infirmitas pectoris, similesque aegritudines nullatenus admissae fuerunt ab Apostolica Sede in ordine ad quaestionem de qua agitur: ac proinde iterum patet quam cauti esse debemus in admittendis casibus etiam merae possibilitatis processus canonici de incurabili morbo reticito. Hinc haec opinio invaliditati favorabilis, praesertim post insinuationem Benedicti XIV (C. *Si datam*) non potest tuto adduci tanquam solidum fundamentum, non obstante nonnullorum privatorum Doctorum auctoritate. Ergo in casu (vere extraordinario vereque rarissimo vixque possibili) expulsionis fratris incurabilis antecedenter, qui evidenter ex fraude et mendacio ad professionem admissus fuerit, omnino necessarius foret recursus ad S. Sedem (cum paucissima exitus probabilitate).

acceptante, quam donationem profitens voto facto Deo confirmat, et sigillat: ergo ex quovis capite sit invalida donatio, est pariter invalidum votum de ea emissum, nullamque obligationem etiam voti simplicis inducit. Ideo Conc. Trid. Sess. 25, c. 15, de professione ante 16 aetatis, aut ante finitum novitiatus annum dicit: quod « sit nulla, nullamque inducat obligationem ». Idem Concilium (ib. c. 19) decrevit, quod reclamans contra validitatem suae professionis « non « audiatur nisi intra quinquennium a die professionis; et tunc non « aliter, nisi causas quas praetenderit, deduxerit coram Superiore suo, « et Ordinario » (Cf. Billuart l. c. § II) (1).

§ 28.

III. De perpetuitate professionis, et de Apostasia.

TEXTUS. *Et nullo modo licebit eis de ista Religione exire, juxta mandatum Domini Papae: quia secundum S. Evangelium nemo mittens manum ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei.*

1. S. Francisco maxime cordi erat, ut vocati ad Ordinem seraphicum gratiam non in vacuum recipiant, sed digne, et fideliter in sua vocatione ambulantes vitam consequantur aeternam. Ideo cum jam dixisset, quod, qui ad obedientiam recipiuntur, debeant promittere, hanc vitam et regulam *semper* observare; addidit etiam absolutam Religionem hanc deserendi prohibitionem dicens: *et nullo modo licebit eis de ista Religione exire.* Et grave hoc praeceptum suum confirmat tum per mandatum Domini Papae Honorii III, qui Regu-

(1) Hinc causae nullitatis professionis (intellige: ***solemnis,*** nam simplex aliis solvitur modis et quidem facilioribus) non pendent ab arbitrio eorum qui nulliter professi dicuntur, neque ex eorum superioribus, sed omnino tractandae sunt juxta citatam Constitutionem ***Si datam*** Benedicti XIV, ita ut nec Superiores Ordinis nec Ordinarii possint separatim rem peragere et concludere. Aliunde semper standum est pro validitate nisi aliud in hoc duplici processu evidenter probetur.

lam confirmavit, tum per gravissimum dictum Christi: *nemo mittens manum ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei* (Luc. 9, 52). Merito igitur quilibet Fr. Minor sibi dictum putat, quod legitur (Eccli. 11, 21): *Sta in testamento tuo, et in illo colloquere; et in opere mandatorum tuorum veterasce.*

2. Theologi communiter docent, licitum esse transitum a Religione laxiori ad magis rigorosam, magisque in regulari observantia perfectam. Sed hoc principium pro Fratribus Minoribus vix applicari potest. Jam *S. Bonaventura* de hac materia tractans ita disserit: « Exitur de aliqua Religione dupliciter, vel retrocedendo, et revertendo « ad saeculum, seu religionem laxiorem, quorum utrumque post Pro- « fessionem est apostatare, et retrospicere; vel procedendo ad altiorem « gradum, frugem scilicet melioris vitae ascendendo, ut faciunt, qui « se a laxioribus statibus ad Religiones transferunt arctiores. Primus « modus exeundi est in omni Religione damnabilis. Secundus est « laudabilis, ubi est possibilis. Sed Professo ad hanc Religionem est « impossibilis; quod nisi Papa supponeret, in Regula praemittens: « *et nullo modo licebit* etc., non subjungeret: *juxta mandatum « Domini Papae; quia secundum Evangelium nemo mittens ma- « num ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei.* Si « igitur non licet exire, quia non licet retro aspicere, ergo omnis « alia Religio huic est retro; et Apostatae sunt omnes ab hac Reli- « gione post Professionem ad quamcunque aliam transeuntes ». — Ex his inferendum est, Fratrem Minorem ad nullam aliam Religionem transire posse. Sed tamen *Martinus V* (in Extrav. Com. Cap. vitam ambitiosae) declaravit, Fratribus Minoribus licitum esse transitum ad Religionem Carthusianorum, et hac in re mandato Honorii III derogavit. Postmodum vero *Urbanus VIII* (Const. *Injuncti Nobis*) decrevit, Capuccinos non posse juxta Conc. Trid. Sess. 25, cap. 19, ad Religionem laxiorem transire sine expressa Sedis Apostolicae licentia, et similiter non posse Carthusianorum Ordinem ingredi sine licentia Ministri Generalis (1) sub poena infamiae per-

(1) Imo, praesentibus temporibus transitus ad Carthusianos nullo pacto permitti solet, nisi accedat licentia S. Sedis praehabito voto utriusque Ordinis, Carthusiani scilicet et nostri. Ita praxis Curiae Carthusianorum etiam anno praesenti 1888. Unde hodie semper requiritur, saltem de facto, speciale S. Sedis indultum ut quis ex nostratibus transitum faciat ad alium Ordinem quantumvis rigidissimum.

petuae, excommunicationis, et privationis vocis activae et passivae ipso facto incurrendae. Hoc decretum confirmavit *Innocentius XII* (C. *Sollicitudo Past. Officii*); et eodem modo Capuccinis etiam transitum ad Cistercienses reformatos, quos *Trappistas* vocant, interdixit. Notatu etiam dignum est, *Clementem V* in Concilio Viennensi declarasse, quod Mendicantes transeuntes ad Religionem non mendicantium omni dignitate, habilitate, et praecedentia ita privati sint, ut hac in re a solo Papa dispensari queant; et *Alexandrum VII* ordinasse, quod Capuccinus ad aliam Religionem transiens non possit in regionibus illius Provinciae, in qua ut Capuccinus adfuit, commorari (C. *Pastoralis Officii*). Hoc decretum confirmavit *Innocentius XII* (C. *Ex injuncto*), et privationem vocis activae, et passivae illis Superioribus inflixit, qui dictum Religiosum ibi commorari permiserint.

3. Certum est, quod Summus Pontifex, sicut in aliis Regulae praeceptis, ita etiam in lege, quae prohibet de ista Religione exire, dispensare possit. Sed Sedes Apostolica vocationem divinam mutare nequit, et etiam non dispensat, nisi in quantum preces veritate nituntur. Quod si dispensatio sit vel subreptitia, quia rationes falsae et fictitiae ad illam obtinendam proponuntur, vel obreptitia quia veritas necessario manifestanda reticetur, in utroque casu dispensatio nulla est, et coram tribunali divino Religiosum ab Ordine egressum non excusabit. Ideo dicit *S. Bonaventura:* « Quod si de licentia « apostolica glorientur aliqui aliter facientes, pro certissimo sciant, « contra hanc Domini sententiam Papam nihil facere: *Nemo mittens « manum* etc. Quod si mendaciis intervenientibus aliquid contingat « per tales a Sede Apostolica impetrari, non est eis excusatio, sed « accusationis duplicatio; dum mendacio tantum Patrem circumve- « nientes suae quaerunt Apostasiae pallium ». — Eodem loco paulo inferius S. Doctor quaerit: « Quid dicendum de illis, qui ad Episcopale Officium ex his Fratribus assumuntur? » et respondet: « Si « coacti per Ecclesiam inevitabili necessitate suscipiant regimen ani- « marum, non sunt reputandi ab Ordine egressi, si quantum in eis « est, semper appetant in sinu Ordinis confoveri. Quod si non vocati « ad Episcopalem gradum, nec coacti ad hunc ascendunt, ut fugiant « aerumnas pauperum, et Ordinis rigorem, credo, eos in illius partem « cessuros, qui dixit: *Sedebo in monte testamenti, in lateribus « Aquilonis* etc. » Caeterum *Benedictus XIII* declaravit, quod Mendicantes, aut regulares, ad Episcopatum promoti, si hunc resignaverint, vel ab illo dimissi fuerint, semper teneantur ad Ordinem

redire, ex quo assumpti fuerint, nisi specialem a Papa licentiam obtinuerint extra monasterium in aliquo officio permanendi (Vid. Bullar. Ord. Praed. pag. 582). Hoc decretum adducit, et inculcat quoque cel. *Benedictus XIV* (de Synod. Dioeces.).

4. Qui Religionem approbatam post emissam professionem sine legitima Superiorum licentia deserit cum animo non redeundi, sive habitum dimittat, sive non, est *Apostata,* et ipso facto, ut dicunt Constitutiones nostrae, excommunicationem incurrit (1). Ut autem quis actu verus Apostata censeatur, requiritur 1. *ut extra septa monasterii fiat egressio;* per quae septa intelligitur totus circuitus monasterii, comprehendendo in eo luminaria portae, stillicidia, crucem, Ecclesiam, hortum etc. Qui tantummodo uno, aut paucis passibus exiret extra septa monasterii, animo vere apostatandi, etsi mortaliter peccaret, non tamen incurreret excommunicationem; quia brevi reversus non dicitur exiisse, et recessisse. Sic communiter Theologi sentiunt; sed tamen alii majorem rigorem sequuntur. *Viator a Cocaleo* ait: « Non « est necessaria remota digressio a limitibus monasterii; sed qui « ad aliquos passus ultro progreditur animo apostatandi, vel qui « socio per viam dimisso per aliquod notabile spatium fugam capit, « adeo ut ei moraliter praesens dici non possit, tum primus, tum « ultimus rei sunt Apostasiae ». — Ad Apostatam in sensu stricto constituendum, requiritur 2. ut e monasterio exeat *cum animo non redeundi, neque alium Ordinem ingrediendi:* reliqui, qui ad tempus sine licentia extra monasterium circumvagari praesumunt, *Fugitivi* nominari solent, quorum eo majus est crimen, quo deterior est causa discedendi, quo pejores sunt circumstantiae discessum comitantes, et quo diutus extra Religionem vagantur. Constitutiones nostrae tales fugitivos ut Apostatas haberi, et puniri volunt. *Julius II* (in suis stat. C. 7, part. 31) ita loquitur: « Intelligimus autem Apostatam « omnem, qui sine licentia, vel contra obedientiam suorum Praelatorum « per terras, loca, seu patrias cum habitu, vel sine, cum socio, vel « sine illo iverit, aut quomodo libet discedentem ». Neque semper excusat intentio recurrendi ad Superiores: nam Conc. Trid. Sess. 25, cap. 4, inquit: « Nec liceat Regularibus a suis conventibus recedere, « etiam praetextu ad Superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi,

(1) Per Const. *Apostolicae Sedis* haud abrogatae fuerunt censurae pro interno regimine Ordinum Regularium jam latae, et ipso jure incurrendae.

« aut vocati fuerint: qui vero sine praedicto mandato in scripto « obtento repertus fuerit, ab Ordinariis locorum tanquam desertor sui « instituti puniatur ». In quae verba notat *Benedictus XIV* (de Syn. Dioec. l. 13, c. 11, § 14): « Haec tamen intelligenda sunt, quando « recurrendi causa non est vera, urgens et gravioris momenti ». — Idem doctissimus Pontifex (l. c. § 13) citans Conc. Trid. Sess. 25, cap. 19, ait: « Regulares pro Apostatis habentur, si sese nulliter « professos contendentes Regularem habitum exuunt, e claustris di- « scedunt, nec unquam audiuntur causam suam defensuri, nisi post- « quam redierunt ad Monasterium ». Ex his haud immerito infertur, quod etiam fugitivus, se vere professum cognoscens, et temerarie habitum exuens, verus Apostata sit, et excommunicationem incurrat: imo hoc idem nonnulli de quolibet fugitivo adstruunt, quia in cap. *ut pericolosa* dicitur: « Regulares Apostatae e Claustro fugitivi, « habitu dimisso, sive retento, excommunicantur ipso facto ». Exinde in Ordine nostro consuetudo invaluit, omnes fugitivos ut Apostatas habendi, et ab excommunicatione absolvendi: quia, ait *Bernardus a Bonon.* (lect. 6, § 10), « in foro externo non attendenda est intentio, sed praesumptio ». — Excommunicantur etiam, qui Apostatas recipiunt (non autem qui cum illis communicant, nisi specialiter vitandi denuntientur); nam *Innocentius VIII* decrevit, ut recipientes, et detinentes hujusmodi fratres a suis conventibus sine licentia suorum Superiorum recedentes, sint ipso facto excommunicati, non obstantibus quibuscunque privilegiis (1).

5. Ad Apostasiam variae causae in se jam malae disponunt: praecipuae esse solent: I. *Ambitio,* quae Luciferum quoque e coelo dejecit, ac multos Religiosos apostatas fecit, dicente Deo (Ps. 100): *Non habitabit in medio domus meae, qui facit superbiam;* et iterum Eccli. 10: *Initium superbiae hominis apostatare a Deo; quoniam ab eo, qui fecit illum, recessit cor ejus.* Sane, qui praelaturas ambit, et non obtinet, contentus in Religione vivere nequit: sed corde inquietatur, et animo perturbatur, ac Religionem, in qua

(1) Probabiliter apostatae votorum simplicium non incurrunt excommunicationem. Sed gravissime peccant. Apostasia enim stricte sumpta requirit non solum fugam a religione proprie tali, sed etiam vinculum solemnium votorum. Et doctrina de censuris, nisi aliter constet, solet interpretari juxta jus antiquum quod in casu solemnia tantum vota respiciebat (Jesuitis exceptis). Possunt tamen absolvi a censuris *ad cautelam.*

se injuste contemptum, ac inique offensum putat, relinquere studet. Ideo *S. Petrus Damianus* (opusc. 21) ait: « Quicunque abbatizandi « culmen efflagitat.... monachum velut importabile onus quaerit abji- « cere; et ne Apostata videatur, sub fucato se vult colore regiminis « palliare ». II. *Inordinatus vini, aut foeminarum amor* multos jam apostatas procreavit, testante ipsa Scriptura (Eccli. 19): *vinum, et mulieres apostatare faciunt sapientes.* III. Nimia cum saecularibus conversandi libido persaepe effecit, ut Religiosi libenter, et frequenter exeant, et a Superioribus ad hoc sub vario praetextu licentiam exposcant (1). Talis autem mundana conversatio Religioso maxime est perniciosa; nam ait *S. Antonius Abbas:* « Monachus extra cellam, « aut solitudinem non est nisi piscis extra aquam ». Et alii cum *S. Ambrosio* Saeculares piscibus comparant, et Religiosos Apostolis, qui cum Christo in navi commorantes per orationes, bona exempla, et salubria monita hominum piscatores, fieri debent: illi autem, si cum piscibus in undis natare velint, pereunt; nam, experientia teste, multi jam amore mundi capti, et a Superioribus ab exoptatis conversationibus detenti, lugendi Apostatae facti sunt. Signa autem Apostasiae jam valde timendae juxta *Bonav. Dernoye* sunt: singularis oscitantia in oratione et divino officio; impatientia correctionum, et contumacia erga Superiores; melancholia juncta difficultati causas tristitiae revelandi; fuga conversationis cum Religiosis observantibus, et amicitia cum murmurantibus, et dyscolis; furtivae missiones litterarum; irrisio piarum consuetudinum, et exercitiorum religiosorum; SS. Confessionis, et Communionis temeraria omissio, aut dilatio etc. etc. Generatim loquendo apostasiam realem praecedere solet apostasia interpretativa, quae committitur, si quis equidem habitum non dimittit, nec locum mutat, sed Regulam non observat, hujusque praecepta parvi facit, et habitualiter transgreditur (2). Ideo *S. Bernardus* (S. 3 in Ps. 90) ait, cavendum esse, « ne si forte pudor neget apo-

(1) Unde lex socii sedulo servanda, et fortiter ac suaviter restituenda ubi violatur.

(2) Quasi apostatae habentur coram Deo fratres illi qui in publicis perturbationibus nolunt quidem formaliter apostatare, sed maxime peroptant ut ope gubernii fiant et maneant dispersi, ut practice solvantur a saluberrimo Religionis jugo. A fortiori damnandi, qui (quod Deus avertat) aliqualiter cooperatores et auxiliatores forent in civilibus suppressionibus. Tunc enim multipliciter rei essent ac canonicis sanctionibus subjecti. Vid. Const. ***Apost. Sedis.***

« stasiam corporis, tepor ipse non ingerat apostasiam cordis ». Et idem S. Doctor alibi (Serm. de primord. judic. et noviss.) Religiosum hujus indolis monet: « Cogita, unde veneris, et erubesce; ubi sis, et « ingemisce; quo vadas, et contremisce! »

6. Malitia, et infelicitas apostatae graphice describitur Prov. 6, 12 etc. ubi dicitur: *Homo apostata vir inutilis* pro Religione, ex qua discessit, et extra illam, ubi sine benedictione divina laborabit; *graditur ore perverso,* quatenus ut discessum suum justificare videatur, male loquitur de statu, quem deserit; *annuit oculis,* dum relictae Religionis detractores, et calumniatores audit, quibus assensu suo animum auget, et saltem signis confirmat id, quod impie spargitur; *terit pede,* quia quietis expers huc illucque cum multorum scandalo circumvagatur; *digito loquitur,* pro eo quod litteris, et scripturitionibus infatigabiliter operam dans, Curias implet querelis, postulationibus et recursibus, ut veniam, et impunitatem in propriis excessibus extorqueat; *pravo corde machinatur malum,* quia ejus spiritus tamquam mare a procella exagitatur, nec pacem, nec stabilitatem habere potest, qua de re pravis desideriis, et vetitis concupiscentiis exagitatus ad vitia explenda molitiones suas ut plurimum protendit; demum *omni tempore jurgia seminat,* ut alios quoque ad inobedientiam erga Superiores, vel etiam in apostasiam pertrahat. In fine de apostata dicitur: *huic extemplo veniet perditio sua, et subito conteretur, nec habebit ultra medicinam.*

7. Sicut medicus de aegroto, sic etiam Superiores singularem curam de Religioso habere debent, qui spiritualiter aegrotat, et ad apostasiam proclivis esse videtur. Paterna charitate repleti monita, suasiones, et preces adhibere cum omni assiduitate tenentur, ut infelicem ad meliores sensus reducant. Quod si lenia media nil proficiant, increpationibus quoque, ac punitionibus parcendum non est. Errant enim Superiores, qui putant, dissimulanda esse dyscolorum flagitia, et non carpenda, ne forte ex Ordine fugiant, et scandala pariant; inordinata enim tali indulgentia judicium Sacerdotis Heli incurrere possent. Dum autem rigores adhibent, sollicitam curam gerere debent, ut reo omnis fugae occasio obcludatur. Quod si tamen aufugiat, « gratiae, ait *Corduba* (in c. 2, q. 21), sunt Deo agendae, « non quia peccavit frater, sed quia oves suas a peste contagiosa « liberavit ». « Nam, ait *B. Humbertus* (ap. Dernoye), oportet, ut « Religio despumetur, ad hoc, ut in sua puritate servetur; ubi enim « est despumatio nulla, frequenter est impuritas multa ». « Non est

« ergo, ait *Philippus a Castel.*, signum bonum, si quae Religio « nullos Apostatas habet; quia id potius indicat, quod internae apo- « stasiae tolerentur; qui enim in ipsa Religionis navi passionibus « suis indulgere potest, non opus habet, ut cum maximis discrimi- « nibus in altum se projiciat mare ». — Ast nihilominus obligantur Superiores, ut fugitivum quaerant, ac reducere (1) et emendare satagant, atque si redierit, resipueritque, licet poenas a Constitutionibus praescriptas ipsi infligere debeant, attamen cum sincero benignitatis affectu eumdem suscipiant, exemplo boni pastoris, ac patris filium prodigum recipientis.

8. Religiosi, qui se omnino incorrigibiles ostendunt, ex Ordine ejici possunt, « ne, ut ait *Innocentius XII* (Decr. de eject. et eji- « ciend.), consortio morbidarum pecudum caeterae corrumpantur, et « remedia hucusque ad sanitatem oblata male affectis officiant magis, « quam prosint ». Illi enim promissiones Ordini factas non adimplent, ac ideo etiam Ordo pactum initum rescindere potest. Jam *S. Bonaventura* (q. 14 in Reg.) de tristi hac materia disserit, et insistens dicto Apostoli (Gal. 5, 12): *Utinam abscindantur, qui vos conturbant,* docet, Religiosos, qui nullo modo corrigi volunt, ex Ordine ejiciendos esse: nam, ait, « crudelis est miseratio, unde plures « et meliores graviter offenduntur, sicut qui furem liberaret, unde « pauperes spoliarentur; — maxime cum tales longo usu tepefacti « rarissime vere, et perseveranter emendentur, et facilis remissio « aliis audaciam praebet delinquendi ». — Equidem sub *Pio IV* Sacr. Congreg. Conc. declaravit, Religiosos dyscolos gravibus poenis affici, et etiam in carceribus detineri, nunquam autem expelli posse; attamen eadem Congregatio sub *Urbano VIII,* 1624, et sub *Innocentio XII,* 1693, ejectionem incorrigibilium sub certis conditionibus permisit, quas Benedictus XIII pro Observantibus, et Clemens XII pro Capuccinis exactius determinarunt (v. Bullar. T. I, pag. 207). Ut autem Religiosus professus ex Ordine ejici possit, praelaudati Pontifices sequentes conditiones requirunt: 1. ut sit recidivus, et jam ter, vel quater gravia crimina vel ejusdem, vel alterius speciei com-

(1) Sollicitudo Superiorum obligatoria remanet quoadusque affulget spes emendationis. Ergo si apostata fit omnino obstinatus, tunc cessat obligatio illum requirendi, et recipiendi hujusmodi contumaces, hodie praesertim ob carceris impossibilitatem. Et tunc merito fient acta ad expulsionem servatis servandis pronuntiandam. Item sedulo distinguendum est inter relapsos ex fragilitate et obstinatos in malitia.

miserit; 2. ut ter non solum paterne admonitus, sed etiam judicialiter punitus fuerit, et quidem distinctis temporibus ita, ut delicta, et correctiones sibi ter succedant; « opus enim est, ait *Portellius*, ut per intervalla fiant crimina, et cuilibet justa correptio adhibeatur, et emendatio non sequatur »; 3. ut per aliquod tempus formaliter in carcere detineatur, jejunio, ac poenitentiis subjectus; *Urbanus VIII* integrum annum poposcerat, *Innocentius XII* ad sex menses incarcerationis tempus restrinxit; 4. ut formalis processus fiat ad justas expulsionis causas agnoscendas, et a Definitorio provinciali incorrigibilis frater declaretur; ac demum 5. ut de tali declaratione Reverendissimus P. Generalis, et Em. Protector Ordinis certior reddatur; et cum ab hoc, et illo licentia obtenta fuit, potest Provincialis cum consilio nonnullorum Religiosorum maxime prudentium, et discretorum definitivam expulsionis sententiam ferre, et exequi. Ejectus vero Episcopo consignandus est, et quamdiu in exilio versatur, vota tamen et praecepta Regulae, quantum potest, observare tenetur. Qui si vere contritus, et emendatus cum litteris testimonialibus sui Episcopi in Ordinem redire cupiat, receptio non prorsus ipsi denegari potest (Cf. Ferrari Biblioth. v. Apostat. et Eject.) (1).

(1) Hodie tamen cum servari non possit lex de carceratione praevia, semper fit recursus ad S. Sedem ut procedi possit oeconomice servatis substantialibus tantum. Unde ex misericordia S. Sedis per hujusmodi singulorum casuum provisionem difficultates praecipuae evanuerunt, cessatque lex de annua inquisitione ut constat ex sequenti documento: R.mus P. Bruno a Vintia, Proc. et Com. Gen. Ord. Min. Cap. instantissime postulaverat ut Sanctitas Sua benignissime concedere et declarare dignaretur: « I. Quod in incorrigibilium ejectione Fratres Minores Capuccini non amplius tenentur ad illam partem carceris quae in rescripto Clementis XII continetur (*), neque ad votum Domini Consultoris saecularis exquirendum ad normam ejusdem rescripti requisitum. — II. Quod ad vitandam populi admirationem et alia incommoda ex hodierna civitatum constitutione, et faciliori scandalorum divulgatione, etc. exorta, frater semel expulsus non amplius recipi debeat nec possit in Ordine, absque speciali licentia S. Sedis, singulis vicibus impetranda.... » — Et S. Cong. Discip. Regular. respondit: « Ex Congressu « diei 22 Januarii 1886. — Ad 1.^m Recurrendum est in singulis casibus, e la « Congr. per la Disciplina Regolare darà la norma pel Processo Sommario. — « Ad 2.^m Provisum in primo, id est, quando gli espulsi escono dall'Ordine con « processo sommario *autorizzato dalla S. Sede*, e questa ha avocato a sè la « giurisdizione sopra l'individuo, il quale *non* può essere riammesso nell'Ordine « senza la Congregazione ».

(*) Ex tali rescripto requirebatur ut reus « in carceribus per aliquod tempus detineatur », nec non votum « D. consultoris saecularis ». Unde derogabatur juri communi de carcere per sex menses.

ARTICULUS IV.

§ 29.

De Fratrum professorum vestimentis.

Postquam S. Pater ea stabilivit, quae ad Novitiorum receptionem, probationem, et professionem spectant, statim sermonem subjungit 1. *de habitu Fratrum professorum in genere,* et dein in specie loquitur 2. *de calceamentis,* et 3. *de vilitate vestimentorum;* addit quoque 4. *libertatem,* quam circa haec repetianda concedit; atque postremo 5. *salutari monito* gravissimum hoc caput secundum concludit.

§ 30.

I. De habitu Fratrum professorum in genere.

TEXTUS. *Et illi, qui jam promiserunt obedientiam, habeant unam tunicam cum caputio, et aliam sine caputio, qui voluerint habere.*

1. Praecipuum Fratrum Minorum vestimentum est *tunica cum caputio,* quod illi assutum sit, oportet; quia alias a secunda tunica non distingueretur. Caputium vero, uti Constitutiones nostrae ordinant, quadrangulare esse debet, quale S. Franciscum, primosque ejusdem socios gestasse, antiqua monumenta ostendunt (v. Wading, ad an. 1260, n. 17). Ideo forma vestis nostrae est *tunica* talaris cum manicis, quae extensae, et caputio unitae crucis imaginem praeseferunt: hanc autem formam S. Pater praeelegit, ut praeter alia crucis Christi memoralia ipsa quoque vestis nobis continuum illius amorem refricaret, nosque incitaret ad mortificationem Jesu semper in corpore nostro circumferendam. S. Pater hic loci discrimen assignat, quod inter Novitiorum, et Fratrum professorum vestimentum intercedere

debet; hi enim tunicae assutum caputium, illi vero Caparonem gestant: de caetero in vestitu hi ab illis non distinguuntur, et ideo etiam Fratres professi, sicut Novitii, *braccas,* seu *femoralia,* et *cingulum* portare possunt, et debent, prout ab ipso S. Patris exemplo, et ab universali Ordinis consuetudine jure infertur. — Ista vero tunica tam longa esse debet, ut totum corpus a collo usque ad pedum palmas cooperiat; « sed, ait *S. Bonaventura* (Spec. discipl. « c. 25), nec aperturis quibusdam circa cingulum, vel alibi, aut cu- « riositatibus aliis quibuscunque est habitus deformandus » (1).

2. Tunica secunda, seu interior Fratribus professis non praescribitur, sed permittitur: haec vero, uti Constitutiones nostrae praescribunt, minoris longitudinis quam tunica exterior esse debet. Illi, qui hac secunda tunica utitur, non licet portare *Sudaria,* seu tunicellas ex lana confectas, quae in hoc sensu, nimirum ultra duas tunicas, tamquam tertium vestimentum ab Urbano VIII et Innocentio XI Fratribus expresse interdicuntur. Qui autem unica tunica contentus est, potest omnino licite tunicella ex lana confecta uti: cui enim majus concessum est, ei et minus conceditur. — Sudaria ex lino confecta gestare non licet. Generatim enim Monachis usus indusiorum linеorum prohibitus est, ut constat ex cap. *Cum ad monasterium. De statu monach.* Quamvis autem in nonnullis Ordinibus iste canon per contrariam consuetudinem abrogatus fuerit, tamen in Ordine nostro in toto suo vigore servatur; nam Capitulum generale 1740 recepit, et ut obligatoriam pro Capuccinis declaravit Constitutionem *Innocentii XI* (*Sollicitudo pastoralis officii*), in qua dicitur: « Declaramus omnes teneri ad non utendum pluribus vesti- « mentis, quam illis, quae Regula praescribit, nempe una tunica « cum caputio, et alia sine caputio, chorda, et femoralibus. Nam « aliud quodvis vestimenti genus ultra praedicta (excepto mantello ab

(1) Vox *deformandus* indicat quo sensu *aperturae* improbandae sunt. Unde *apertura* seu quasi bursa ex « pectorali » facta atque ubique fere in usu, nec non bursae laterales in aliquibus regionibus calidis adhibitae tolerari possunt, dummodo non *deforment* habitum, nec illum ita *aperiant* ut aliquando videri possint inferiores panni. Tunc enim non sunt aperturae proprie dictae nec fit habitus deformatio. Notandum tamen quod in hac re attendi debet ad usum uniformitatemque respectivae provinciae, nec potest singulus frater hujus rei judex fieri. Vitentur omnes singularitates et quidquid a professionis nostrae humilitate et decore alienum existit.

« initio Religionis licito), ut indusiae, seu camisiae, sudariola, tuni-« cellae et similia, sunt contra Regulam, nisi adsit vera necessitas « per praelatum approbata ». Ex hoc decreto satis clare apparet, prohibitum esse Fratribus, sine necessitate et licentia sudariis lineis uti: « qui enim, ait *Cajetanus M. a Berg.* (de paup. Instr. III, « art. III, n. 4), haec aut per longum tempus, aut saepe sine appro-« bata necessitate gestaret, certe mortaliter peccaret ». Ejusdem sententiae est etiam *Viator a Cocaleo,* qui ulterius docet, tunc ratione necessitatis sudaria linea ad tempus permitti posse, si omnino requiruntur ad sudores abstergendos vel post confectum cum magna difficultate iter, vel in gravi infirmitate, et magnis febris ardoribus, vel in arduis laboribus tempore magni aestus perficiendis. Monet autem, haec sudaria linea non posse habere formam tunicellae, sed sine manicis (1), et uncinis simpliciter extensa esse debere, iisque in Conventu, petita a Superiore licentia, uti licitum esse, non vero extra illum, quia scandalum oriretur. — Caeterum, jam tempore *S. Bonaventurae* Fratribus hincinde ob urgentem necessitatem sudaria quaedam permissa fuisse, apparet ex monito, quod hac de re S. Doctor tribuit (Spec. disc. c. 25) dicens: « Pannos quoque inte-« riores, et quae ultra communem seu Regularem formam, sive in « vestibus, sive in aliis, indulgentur, quantum necessitas patitur, « occultari (2) oportet ».

3. Usus *pallii* in Ordine seraphico antiquissimus est, et nullo modo reprehendi potest. S. Franciscus enim, sicut in omnibus, sic etiam circa vestimenta Fratrum, leges evangelio conformes tulit. Constat autem, ipsum Christum pallium gestasse; nam in ultima coena, dum legitur: *ponit vestimenta sua* (Jo. 13, 4), certe non

(1) Haec tamen tunica manicis destituta extra Italiam nullibi fere existit, nec potest circa hoc fixa norma assignari. Sive cum manicis sive absque manicis, et in conventu et extra fugienda est forma quae populi admirationem vel scandalum excitare posset.

(2) Verbum *occultari* praecedentem notam confirmat. Id est: qui lineis indusiis indiget, illis ex legitima causa et licentia uti potest. Sed habitum non *deformet,* ac proinde pars indusii collo vicinior et extremitates manicarum non appareant ex lino sed occultentur. Et in hoc non adest hypocrisis sed charitas, urbanitas ac religiosa modestia, quae in casu multiplicare non permittunt externam habitus materiam. Unde fratres in vestibus non sint sensuales nec ridiculi.

tunicam inconsutilem exuisse, sed pallium, vel vestem exteriorem, quam Judaeorum more gerebat, deposuisse censendus est, et hoc idem vestimentum externum, quo totum corpus involvi poterat, crucifixo Domino, milites acceperunt, et in quatuor partes diviserunt (Jo. 19, 23). Certe ergo similis vestiarii genus neque Christus suis Apostolis, neque S. Franciscus suis sectatoribus prohibuit. Imo ex antiquis monumentis constat, etiam S. Franciscum cum primis sociis pallio usum fuisse (1). Ac demum *Innocentius XI* (loc. cit.) declaravit, praeter duas tunicas etc. etc. mantellum, seu pallium ab initio Religionis licitum fuisse, et ideo adhuc licitum esse. Exinde nonnulli inferunt cum *Marchantio, Philippo a Castel.* etc. quod Fratres etiam duabus tunicis induti indiscriminatim, et pro arbitrio pallium portare possint. Haec autem conclusio non satis solida est. Christus enim, et Franciscus praeter unam tunicam et pallium nullum aliud vestimentum habuisse leguntur. Imo *Hugo* (in h. loc.) testatur, primos S. Patris discipulos pallio usos fuisse, ne secundam tunicam gestare cogerentur; ait enim: « Ex petiis mantellos paupertatis « zelus, et necessitas adinvenit, et in subsidium penuriae tunicarum, « quas antiqui Fratres multiplicare nolebant ». Porro *Pisanus* (Conform. l. 2, fr. 16) dicit: « Execrabatur B. Franciscus vestitos tri- « plicibus ». Innocentius XI pallii usum licitum declaravit, sed ita, prout ab initio Religionis licitus fuit, ubi ceu tertium vestimentum non permittebatur; quod ipse *Marchantius* fatetur, dum (in cit. loc. q. 2) scribit: « Nec mantelli antiquitus ab omnibus gestabantur, « sed forte ab iis, qui foris egredi cogebantur ». Sicut enim saeculares palliis solum utuntur, dum exeunt, aut dum ratione necessitatis, aut consuetudinis ad ea assumenda coguntur; sic etiam licentia Fratribus Minoribus concessa intelligenda est, ut palliis utantur, dum aut necessitas, aut convenientia, aut aliae graves rationes id exigunt. Omni jure ergo Constitutiones nostrae habitualem seu continuum pallii usum illis interdicunt, qui duabus jam tunicis induti sunt (2).

4. In citatis Regulae verbis juxta declarationem Clementis V (C. *Exivi*), *praeceptum aequipollens* continetur, et quidem imprimis

(1) In ecclesia conventus nostri Parisiensis religiosissime adservatur unum ex palliis S. P. N. Francisci.

(2) In praxi hic casus non occurrit, quia Capuccini generatim solo sudario breviori utuntur. Quilibet Minorita hac in re sese conformare studeat usui suae Congregationis, seu familiae propriaeque Provinciae.

praeceptum negativum, quo prohibentur Fratres aliis vestimentis uti, quam illis, quae a regula ipsis conceduntur. Quaestio ideo moveri solet, an liceat Fratribus, qui secundam tunicam, seu tunicellam ex lana confectam gestant, duas tunicas cum caputio habere, quarum una tempore hiemis, et altera tempore aestivo utantur? — Extiterunt nonnulli, qui talem consuetudinem illicitam putarunt, quia regula nonnisi unam tunicam cum caputio permittit. Sed qui ita sentiunt, absque solida ratione nimium rigorem sequuntur: nam adhibitis debitis cautelis praedicta consuetudo illicita dici non potest. Et sane Frater Minor ne unius quidem tunicae dominium, seu proprietatem, sed solum simplicem usum habet. Potest ergo hiemis tempore graviori et densiori tunica uti, et hanc, redeunte calore, communitati reddere, et ab hac tunicam leviorem accipere; quo in casu semper unius tantum tunicae usum, a regula sibi permissum, habet. Sollicite autem ipsi cavendum est, ne tunicam in communitate servatam ut suam, sibique ex justitia debitam consideret, et nullatenus ferat, ut in alterius usum consignetur; tali enim modo regulam violaret, et proprietarius fieret. Negandum equidem haud est, Superiores non quidem ex justitia, sed ex prudentia, discretione, et charitate procurare debere, ut, quantum fieri potest, cuilibet Fratri, mutatis temporibus, illa tunica, qua jam antea usus fuerat, reddatur; quia tum oeconomia, tum cura sanitatis, tum domestica pax id exposcere videntur: sed ipsi Fratres tunicas, quas deposuerunt, et communitati tradiderunt, uti res non suas, sibique nullo modo debitas considerare debent, et tunc regula nullo modo violabitur (1). — Alia autem quaestio movetur, an nimirum Fratri minori licitum sit, ratione magni aestus eodem tempore duas tunicas cum caputio in cella habere, quas ad exsiccandos copiosos sudores pro libitu mutare possit? Et respondetur, Superiores id ipsi permittere posse, si vera, et gravis necessitas adsit. Talis autem necessitas vix unquam supponi potest in illo,

(1) In praxi valde reprehendendi forent praelati qui subditum invitum obligarent ad vestes interiores alterius fratris induendas: fierent enim non semel pacis perturbatores ac imprudentes administratores. Repugnantia fratris in hac re maxima consideratione digna existit: et injustus esset novitiorum magister qui id exigeret sub poena dimissionis. Sanitas, mundities ac valetudo postulant ut vestes praesertim interiores ad exclusivum unius ejusdemque fratris usum destinentur. Quae omnia fieri possunt absque vel minima imperfectione, dummodo frater nullum dominium praetendat, nec tanquam dominus de vestimentis disponat, sed sub dependentia Superioris iisdem simpliciter utatur.

qui sudariis, seu tunicellis ex lana confectis utitur, quibus saepius permutatis pro abstergendis sudoribus satis est provisum. Caeterum probe notandum est, *Nicolaum III* declarasse, quod ea, quae Fratrum vestimenta concernunt, judicio Praelatorum remittenda sint, qui, attentis necessitatibus et circumstantiis etiam circa pluralitatem vestimentorum dispensare possunt: ait enim (C. *Exiit,* art. 7): « Licet contineatur in regula, quod *Fratres habeant unam tunicam* « *cum caputio, et aliam sine caputio,* et videri possit, illa fuisse « Instituentis intentio, quod necessitate cessante pluribus non utantur; « declaramus, quod possint Fratres de licentia Ministrorum, et Cu- « stodum conjunctim, et divisim in administrationibus sibi commissis, « cum eis videbitur (pensatis necessitatibus, et aliis circumstantiis, « quae secundum Deum, et regulam attendendae videntur), uti plu- « ribus: nec per hoc videantur a regula deviare, cum etiam in ipsa « dicatur expresse, quod Ministri, et Custodes de infirmorum neces- « sitatibus, et Fratribus induendis sollicitam curam gerant secundum « loca, et tempora, et frigidas regiones ». Et inferius ait: « Conce- « dimus, quod ipsi Ministri, et Custodes possint per alios hujusmodi « curae sollicitum exercere ». — « Unde, ait *Politius,* et Guar- « diani dispensare possunt cum Fratribus in portando plures tunicas « (si sic necessitas postulaverit), sicut Ministri, et Custodes praedicti. « Quoniam sicut Guardianatus officio est annexa cura de induendis « Fratribus, quoquo modo ei sit annexa, vel ex Guardianatus officio, « vel ex commissione, quae generaliter data Guardianis intelligitur; « ita similiter hoc accessorium erit Guardianatus officio annexum, ut « dispensare scilicet possint Guardiani circa plures tunicas duabus « secundum loca, et tempora; idque secundum mentem regulae, ut « fusius ostendit *Nicolaus III* (l. c.). Hanc vero Guardianorum fa- « cultatem possunt sibi Provinciales reservare: et de facto reservare « solent (1); et sic est de more, nisi in casu manifestae, et urgentis « necessitatis ».

5. Dum S. Franciscus ait: *habeant unam tunicam cum ca-*

(1) Standum est legitimae consuetudini singularum Provinciarum. Provinciales vero misericorditer ac prudenter procedant circa hanc materiam, nec Guardianos immoderate constringant sed sapienter dirigant ad communem fratrum utilitatem. Odiosae enim forent hujusmodi reservationes Provincialium, si excessivae et potestatis Guardianorum diminutivae nec non veris fratrum indigentiis contrariae.

putio, praeceptum quoque positivum proponit, quo Fratres post professionem obligantur ad dictam tunicam semper in corpore suo gestandam. Eamdem obligationem etiam canones ecclesiastici generatim Religiosis inculcant. Nam cap. *Vidua.* 20, q. 1, dicitur: « Apta Religioni professioni veste, sive in lectulo quiescens, sive in quocunque « loco consistens, constanter ea utatur »; et c. *Sanctimonialis.* d. 23, legitur: « In talibus vestibus applicetur, quibus semper usura est »; i. e., ait Glossa, « semper etiam in lecto, et in infirmitate ». Et si Moniales ad id obligantur, quis Monachos a tali obligatione liberos pronuntiabit? Extat pro his gravissimus canon, quo temere habitum deponere prohibentur. Nam (cap. *Ut periculosa. Ne Clerici, vel Monachi*) dicitur: « Ut periculosa Religiosis evagandi materia sub« trahatur, districtius inhibemus, ut de caetero aliquis quamcunque « Religionem tacite, vel expresse professus in Scholis, vel alibi temere « habitum suae Religionis dimittat. Si quis autem temerarius ho« rum violator extiterit, excommunicationis sententiam incurrat ipso « facto ». Hanc vero censuram incurrit, qui *temere* habitum dimittit. Nam si id ex rationabili causa fiat, e. g. si quis habitum deponit, ut eumdem purificet, aut a pluvia madefactum exsiccet, vel ut corpori medicinam applicet, aut balneum ingrediatur, vel si Missionarius alieno vestitu utitur, ut apud infideles, aut haereticos vitae discrimina effugiat, et verbi Dei praedicationi, quae majoris momenti est, quam delatio habitus religiosi, insistere possit, certe neque peccatum committitur, neque excommunicatio incurritur. — Qui ex animi levitate, et ex nullo malo fine, sed e. g. ad currendum, ad jaculandum lapidem etc., secluso gravi scandalo, per breve tempus habitum deponeret, juxta *Politium* (inc. 2, n. 99), « non incurreret excommunicationem; « sed tamen venialiter peccaret, cum habitus regularis temere non « possit absque culpa dimitti, saltem ex honestate, ut *S. Antoninus* « (3. P. tit. 24, c. 53) dicit ». — Qui autem ex fine graviter malo, e. g. ad apostatandum, ad furandum, ad fornicandum etc., etiam per breve tantum tempus, e. g. per horam, habitum deponeret, juxta *Bernardum Bonon.* et *Viatorem a Cocaleo,* graviter peccat, et excommunicationem (1) incurrit, cum talis certe temere habitum depo-

(1) Probabilius haec excommunicatio adhuc viget quia internum Ordinis regimen respicit. Cfr. D'Annibali, Const. *Apostolicae Sedis,* n. 211, nota 2; Conrad., p. 120. — Alii negant etsi pauciores, quia non est particularis alicujus Ordinis sed generalis.

suisse censendus sit. Aliter tamen sentit *Politius*, qui (l. c.) sic pergit: « Nec item excommunicationem incurreret, qui dimitteret habitum « ad exequendum actionem mortiferam, nisi alium assumat, ut dis- « simulatus, et ignotus vadat ad talem actum exequendum »: nam ad id praecavendum lex canonica statuta, et censura lata est, ut apparet ex verbis: « ut periculosa Religiosis evagandi materia sub- trahatur ». — Ex eadem ratione *Philippus a Castel.* putat, excom- municationem illum non ferire, qui sine tunica cum caputio per noctem in lecto recumbit, quia hic periculosa evagandi materia locum non habet. Nullatenus tamen credendum est id absque culpa fieri posse. Nam, praeter leges canonicas jam superius citatas, aliae graves rationes Religiosum obligant, ut etiam noctis tempore tunicam suam gestet. Id sane exigit honestas, prout observat *S. Bonaventura* (Instr. Nov. p. 1, c. 9) dicens: « Indecens est, religioso obrutum esse somno « sicut pecus.... cum ad hoc maxime vestiti dormiamus, ut non ha- « beamus potestatem manus huc illuc circumducendi in nudo corpore ». *S. Benedictus* ait, « habitum nocte retinendum esse, ut parati sint « monachi semper, et ut facto signo absque mora surgentes festinent « se praevenire ad opus Dei ». *Humbertus* Dominicanus (de inst. Relig. l. 4, p. 3, c. 3) inquit: « Qui jacet indutus, ad hoc valet, « ut surgat facilius, et surgendo tristetur minus ». Verum equidem est, quod in nonnullis Ordinibus (1) legibus ecclesiasticis hac in re derogatum fuerit; sed tamen id de Ordine nostro dici non potest. Ideo *Bonav. Dernoye* generatim de Fratribus Minoribus dicit: « Si « quis per totam noctem (2) ex mera sensualitate dormiret sine habitu, « peccaret mortaliter, si vero per breve tempus, venialiter ». Si quis autem graviter aegrotat, potest omnino licite habitum deponere, et etiam indusiis lineis uti, si ex medici sententia id ad recuperandam

(1) Qui tempore aestatis sine chorda dormit, nullatenus peccat. In praxi melius abstinendum.

(2) Cum hac in re plurimae diversaeque existant opiniones, nec habeamus praeceptum grave tenendi rigidiorem sententiam sed mere probativum consuetu- dinis nostrae (v. Bullar. I, p. 131), prudens confessarius ante factum fortiter insistat pro continua in lectulo habitus delatione: sed post factum non facile judicet de mortali, saltem quando id non ex consuetudine sed semel vel iterum tantum factum deprehendit. Guardiani vero licite possunt et debent punire fratres circa hanc materiam practice laxiores, nam ipsorum est externas tutari religionis mores ac vigorem contra subditos novatores et mundanos.

sanitatem requiratur. Equidem *S. Jo. Capistranus* voluit, ut Fratres etiam in infirmitatibus sacrum habitum non deponant, et Capuccinorum Congregatio eamdem austeritatem adoptandam, et servandam censuit; quam etiam S. Congregatio laudavit (v. Bullar. t. I, p. 131). Notandum tamen est, quod, si ad vitam servandam, seu sanitatem recuperandam dimissio habitus omnino necessaria foret, hanc recusare non liceret; quia non tantum voluntariis mortificationibus, sed et praeceptis positivis lex naturalis praevalet. Idem dicendum est, si Praelatus etiam extra casum absolutae necessitatis infirmo praeciperet, ut habitum dimittat: obedientia enim omni mortificationi externae est praeferenda (1).

§ 31.

II. De usu calceamentorum.

TEXTUS. *Et qui necessitate coguntur, possint portare calceamenta.*

1. Dum in Regula Fratrum vestimenta enumerantur, non pro omnibus calceamenta assignantur, sed illis tantum conceduntur, qui necessitate ad ea portanda coguntur: ex quo, ut observat *S. Bonaventura,* recte infertur, reliquis calceamenta interdicta esse. Per calceamenta autem omnia ea intelliguntur, quae pedem vel ex integro, vel ex parte contegunt, et contra molestias frigoris, humiditatis etc. defendere valent, uti sunt *tibialia, calcei, ocreae, caligae, crepidae* etc. Haec omnia sub nomine calceamentorum intelligi, atque

(1) Superiores faciles non sint in praecipiendo infirmis depositionem habitus, sed prudenter ac suaviter agant (salva lege naturali). Et caveant quantum fieri potest ne tales infirmi in extremis constituti priventur speciali consolatione ex habitus delatione proveniente: nam in illa hora dulcior fit habitum etiam materialiter deferenti, recordatio illius promissionis S. P. N. S. Francisco factae, scilicet « quod nullus in habitu posset male mori, » dummodo vita sit conformis habitui. Hinc Guardiani curent ut in infirmaria habeantur nonnulli habitus omnino mitissimi ut talibus infirmis in extremo vitae agone inservire possint, si opportunum judicetur.

ideo Fratribus Minoribus prohibita esse, Rom. Pontifices declararunt. Nam *Urbanus VIII* (C. *Sacr. Apost.*) de illis ait: « Neque alio « pedum operimento sive panneo, sive alterius cujusque materiae « existat, absque licentia uti possint ». Et *Innocentius XI* (l. c.) dicit: « Ad incedendum sine calceamentis, hoc est, absque aliquo, « quod pedem cooperiat, cujusque illud materiae sit, nisi adsit vera « necessitas a Praelato approbanda » obligantur. — S. Franciscus autem praeceptum sine calceamentis incedendi ad normam evangelicam dedit: nam Christus quoque Apostolis suis dixit: *Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta* (Luc. 10, 3). Et ideo « discipuli, ait *S. Hieronymus* (Ep. ad Aggerent.), toto orbe pere- « grini non aes in zona, non caligas habuere in pedibus: verum « (Ep. ad Eustoch.) sine calceamentorum honore, et vinculis pellium « ad praedicationem Evangelii destinantur ». — Idem testatur *S. Chrysostomus* (in Matth. 10, 10) dicens: « Apostoli cum una tunica, et « discalceati circumibant totum mundum, et superabant ». Neque dubitari potest, quod etiam Christus nudis pedibus incesserit; nam, ait *S. Bonaventura,* « non poterat Dominus habere, quod servos suos « habere prohibuerat: ipse enim *coepit facere, et docere.* Si Christus « nudis pedibus non incessisset, qualiter rationabiliter de Pharisaeo « conquestus fuisset dicens: *aquam pedibus meis non dedisti* (Luc. 7)? « — Milites vestimentis Jesu sorte divisis caligas non habuere, quas « tollerent ». (In c. 2, et Epist. de eo, quod Christus et Apostoli incesserunt discalceati).

2. Quamvis calceamenta in genere prohibita sint, licite tamen Fratres possunt portare *soleas,* seu *sandalia,* quae non sunt vera calceamenta, cum pedem non contegant, sed corrigiis firmata ejus plantae subjiciuntur. Sandalia gestare ipsi Evangelio conforme est, quia (Marc. 6, 9) legitur: *Et praecepit eis, ne quid tollerent in via;.... sed calceatos sandaliis.* Ideo etiam *Urbanus VIII* (l. c.) pro Fratribus Minoribus declaravit: « Cum calepodiis seu sandaliis « apertis dumtaxat incedere teneantur ». Usum ergo solearum, seu sandaliorum licitum esse, dubitari nequit.

3. Cogente necessitate, ab ipsa regula Fratribus licentia conceditur, non solum sandalia, sed etiam calceamenta portandi. « Ad hoc « autem, ait *Hubertinus* (in Seren. Consc. q. 53), non quaelibet « necessitas sufficit, sed illa, quae cogit, ut ait Regula ». — Non ergo commune illud incommodum dispensat, quod omnes ordinarie ob frigus, aut ob humiditatem sentiunt, si calceamenta non portant;

lex enim haec prohibens lata est ob mortificationem, quae ideo dispensandi ratio esse non potest. — Ideo autem non negatur, hincinde veram adesse necessitatem, quae ad portanda calceamenta cogit: haec autem necessitas, uti jam *quatuor Magistri, Hugo,* et alii docuerunt, ex conditione personae, et ex circumstantiis loci, temporis, ministerii, et itineris dijudicanda venit. Habito respectu ad *conditionem personae,* illis sane calceamenta permitti possunt, qui laborant podagra, vel alia gravi pedum infirmitate, vel qui ob nuditatem pedum graves capitis vertigines, aut stomachi dolores patiuntur, vel gravis morbi proxima pericula incurrunt: qui autem levia solum incommoda sentiunt, aut vanis tantum aegritudinis timoribus agitantur, nequaquam propterea licite calceamenta portare possunt. Ratione *temporis, loci, ministerii,* aut *itineris* calceamenta permitti possunt, si adsit frigus insolitum, et ita vehemens, ut nudis pedibus sustineri vix possit, vel si via, qua incedendum est, ita sit vel nive conspersa, vel luto repleta, vel spinis consita, ut quolibet fere gressu his sandalia repleantur. Sed tamen, ut hisce in casibus calceamentorum usus licitus reddatur, juxta doctrinam *S. Bonaventurae* tres conditiones requiruntur; nimirum 1. ut iter ipsum vere necessarium sit; nam juxta principium morale necessitas mediorum pendet a necessitate finis; 2. ut itineratio ad tempus magis congruum differri nequeat; 3. ut illa non possit perfici a Fratre robustiori, qui calceamentis non indigeat. — Notandum pariter est, ad cooperiendos, si opus fuerit, pedes id tantum applicandum esse, quod necessarium censetur, ita ut non ocreae portentur, si calcei sufficiunt, nec longis tibialibus tota crura involvantur, si sufficit plantas pedis coopertas habere (1). Caeterum in dubiis, an necessitas sufficiens adsit ad portanda calceamenta, Fratres judicio Praelatorum acquiescere possunt, et debent; nam *Clemens V* (Const. *Exivi*) ait: « Ministrorum, Custodum, et « Guardianorum judicio relinquimus, pro qua necessitate possint ipsi

(1) Caveat tamen Praelatus ne fratres risum, admirationem ac nauseam saecularium excitent per ridiculas calceamentorum formas. Et si unus tantum pes calceamento indigeat, cooperiatur et alius saltem coram saecularibus et in publicis coetibus, nec perforationes calceorum insolitas et similia toleret. Unde subditi tenentur stare judicio Superiorum, ne ex pseudo-zelatorum arbitrio insolitae tolerentur formae. Lex enim est *rationis ordinatio,* fitque contra mentem legis quod ridiculum est ac irrationabiliter factum. Nolint tamen praelati prudentiae carnis indulgere.

« Fratres calceamenta portare ». — Praetereundum demum non est decretum *Martini V,* qui ordinavit, ut circa calceamenta statutum Wilhelmi Farinerii observetur, quod ita sonat: « Ordinat Generalis « Minister de consensu Capituli generalis, et praecipit, quod nullus « Frater portet calceamenta sine urgenti, et manifesta necessitate, « et de licentia Ministri Provincialis speciali, quam licentiam in ejus « absentia Custos vel Guardianus, aut Vicarii eorumdem dare possunt « cum consilio Fratrum discretorum: ad quod consilium tribuendum « teneantur discreti, cum fuerint requisiti. Et qui contra fecerint, « intra octo dies per unam diem naturalem per obedientiam non bibant, « nisi aquam, et ab omni cocto abstineant praeter panem. Et ha- « beantur calceamenta pro celebrandis Missis in communi (1), qui- « bus Fratres occasione celebrandi, vel ministrandi, et non alias cal- « ceentur ». Quamvis autem hoc decretum non ubique, et ex omni parte per se obliget, magnum tamen materiae pertractatae lumen affundit.

§ 32.

III. De vestimentorum vilitate.

TEXTUS. *Et Fratres omnes vestimentis vilibus induantur.*

1. Ex historia constat, quovis tempore monachos, omni mundana vanitate contempta, simplici ac vili vestiario usos fuisse. Ideo dicitur in Jure, c. *Omnis* 21, q. 4: « A priscis usque temporibus omnis sa- « cratus vir cum mediocri, et vili veste conversabatur: audierunt « enim ex Deisona lingua, quia *qui mollibus vestiuntur, in domi- « bus Regum sunt* ». Ideo etiam S. Franciscus, qui altissimam pau- pertatem Ordinis sui fundamentum constituit, praecepit, ut *Fratres omnes,* Sacerdotes et Laici, Superiores et subditi, *vestimentis vilibus induantur.* « Quaecunque enim, ait *S. Bonaventura,* sunt in usum « verorum pauperum, sunt juxta paupertatis regulam mensuranda ».

(1) Hoc autem hodie generatim in desuetudinem abiit: et licite adhibentur sandalia, dummodo sint integra et sufficienter mundata, pedesque non sint sordidi.

Vestimentorum autem vilitas praecipue in pretio, et colore attendenda est: « in pretio, ait *S. Bonaventura,* quia paupertas nihil pretiosum « habet, et color etiam naturalis, non artificialis in veste haberi « debet: aliter frustra in sequentibus monerentur Fratres minime ju- « dicare utentes vestibus coloratis ». — Idem S. Doctor Fratribus Christum ut exemplar proponit, dicens: « Ipse Christus usus est vi- « lissimis vestitibus: unde *S. Chrysostomus* (Hom. 32 in Jo.) ait: « Antequam apparuisset Jesus, praedicabat eum Joannes, ut facile « susceptibile esset testimonium, ipso apparente, et in vili vestimento « innotescente: itaque in vili vestimento annuntiabatur forma com- « muni omnibus Christus, ut Samaritanae mulieres, et meretrices, et « publicani cum magno ausu auderent ei appropinquare, et loqui ».

2. *Clemens V* in citatis regulae verbis praeceptum aequipollens agnoscit, quod sequentibus exponit: « Vilitatem vestium tam habitus, « quam interiorum tunicarum illam intelligi debere dicimus, quae « secundum consuetudinem, vel conditionem patriae debeat quantum « ad colorem panni, et pretium, vilitas merito reputari: non enim « quoad regiones omnes potest determinatus usus, et modus in talibus « assignari. Hujusmodi etiam vilitatis judicium Ministris, et Custo- « dibus, seu Guardianis duximus committendum, eorum super hoc « conscientias onerantes, ita tamen, quo servent in vestem vili- « tatem ». — *Martinus V* (in c. 2. reg.) ait: « In vestimentis Fra- « trum paupertas, et asperitas relucere debent; non tamen adeo, ut « videntes ad horrorem inducantur, vel provocentur ad risum » (1). — Illae autem vestes merito, et absque ullo scrupulo viles circa colo- rem, et pretium censendae sunt, quae a Ministris, Custodibus, et Guardianis pro talibus judicabuntur, et concedentur, quia horum ju- dicio res ista a praelaudato *Clemente V* commissa est. Equidem si vestes pretiosae in pretio vel colore manifeste (2) apparerent, tunc eorum

(1) Secus dicendum de impiorum irrisionibus, quia sunt injustae et contra rectam rationem. Aliud enim est prudens devitatio ridicularum formarum: aliud infausta conciliatio cum modernae civitatis exigentiis Ordinibus Poenitentibus contrariis.

(2) Dicitur *manifeste,* nec res pendeat ex privatorum placito. Et in dubio semper praevalet jus Superioris cui obediendum est in negotio vestimentorum, ut in aliis. Et temerarius foret subditus qui solus praetenderet pretium et qua- litatem mutare contra communem provinciae consuetudinem, non obstante timo- ratorum et praesertim majorum Superiorum judicio.

judicio, manifeste praecepto regulae adversanti, standum non esset: quia licet praedictis Praelatis judicium de vestimentorum vilitate commissum sit, non tamen eisdem concessum, sed expresse prohibitum est, ut vestes pretiosas permittant. Quodsi dubium esset, an vere vilis secundum usum Religionis haec, vel illa vestis censenda sit, tunc dictorum praelatorum judicio secure inhaerendum est, ut bene notat *Politius*. Imo *Benedictus XII* (in Bulla: *Redemptor noster*) sententiam excommunicationis ipso facto incurrendae promulgavit in Fratres pertinaciter portantes, vel affirmantes alias difformes, vel dissimiles vestes ab illis, quae per praedictos praelatos fuerint determinatae, si infra 15 dies, postquam a praelatis fuerint requisiti, ab affirmatione, et delatione praedictarum vestium non destiterint (1).

3. Quamvis ex praecepto regulae vestimenta Fratrum vilia esse debeant, nil tamen impedit, uti *Viator a Cocaleo* animadvertit, quominus panni pro Fratrum vestiario destinati per textorum artem, et industriam meliores, et fortiores conficiantur, ita ut diutius gestari possint. Laudari enim nullatenus possunt, et potius reprehendi debent, qui ex superstitiosa quadam religione negligenter pannos, maleque conficiunt, ut viliores reddantur; ex quo fit, ut vel Fratres varia incommoda patiantur, vel Ordo duplicatas expensas subire cogatur. Superiores ergo sollicitam curam gerere tenentur, ut tales panni conficiantur, quibus, attentis locorum et temporum circumstantiis, pro necessitatibus Fratrum satis provisum sit; nec est, cur isti Regulae transgressionem pertimescant, si panno Superiorum judicio et cura confecto utuntur, qui ob praestantiorem lanae qualitatem, et textoris artem aliquantulum mollior, meliorque evasit (In c. 2, Expos. 16, n. 4). Idem praelaudatus auctor (ib. n. 2), aliam notatu dignam observationem proponit. Quamvis, ait, color panni naturalis, et non artificialis sit, oportet; nihilominus, si forte nonnisi lana alba obtineri queat, haec colore obscuro, non prorsus nigro, sed potius subcinericio, aut terreo tingenda esset: tunicae autem vetustate confectae, quae aestivo tempore portari solent, tingendae non sunt (2). — Denique

(1) Hinc qui manicas notabiliter restringunt, vel pallium solito notabiliter longius vel brevius adhibent, etc. severe compelli debent ad uniformitatis observantiam, nec licet praelatis hac in re dispensationem concedere. Non tamen statim censura innodati esse judicandi: requiritur enim pertinacia.

(2) Si in locis ubi non reperitur lana convenientis coloris, habitus licite tingi potest; idem valet si tam difformis deveniat habituum color ut sordidus

memores sint Fratres, praeceptum Regulae de vestimentorum vilitate non solum ad exteriorem, sed etiam ad interiorem tunicam extendi, atque ideo etiam in tunicellis, et sudariis pretiositatem fugiendam, et vilitatem quaerendam esse. Monet quoque *Philippus a Castel.*, legem parsimoniae etiam quoad quantitatem pannorum servandam esse; quantitas nimirum longitudinem, et latitudinem habitus concernit, quae jam a Constitutionibus nostris praescripta est: illicitum ideo est, habitum notabiliter longiorem, aut latiorem poscere.

§ 33.

IV. De vestibus Fratrum repetiandis.

TEXTUS. *Et possint ea repetiare de saccis, et aliis petiis cum benedictione Dei.*

1. Hisce in verbis non praeceptum, sed libertas a Regula concessa proponitur. Conceditur enim Fratribus, quod suas vestes repetiare possint de saccis, et aliis petiis; et hoc vel ex paupertatis amore, vel ex humilitatis studio, vel ob cogentem necessitatem. Sacci autem isti juxta communem Expositorum sententiam vel ex lana, vel ex lino, vel ex cannabe confecti esse possunt. Teste *Hubertino* (ap. Ser. Consc. q. 37), « B. Franciscus, et socii sui portabant habitus « exterius repetiatos de saccis, sicut aliqui ex nobis eos portantes « oculis vidimus ». Optavit autem S. Pater, ut omnes Fratres ejus exemplum imitarentur, et vestes suas eodem modo viliores redderent; « ut, ait *S. Bonaventura,* sacculi stultitia in Fratrum habitu osten- « datur. — Additur autem huic vestimento benedictio Dei; quoniam « qui se stultum, et despicabilem exhibet ipsi mundo, ipsi Deo effi- « citur pretiosus ».

2. Quid intelligatur per *repetiare,* duplex est Expositorum opinio. Nonnulli cum *Hugone* putant, hanc libertatem a regula concessam ita intelligendam esse, quod liceat etiam novae tunicae saccos, seu

---

appareat vel horrorem ac risum excitet. Iterum hac in re standum est legitimis Provinciarum usibus; non autem privatorum placitis.

petia addere, ut fortior reddatur, vel ut validius contra frigus tueatur. Alii vero cum *Pisano,* et *Corduba* asserunt, quod repetiare idem sit, ac resarcire tunicam, et restaurare, si forte eamdem lacerari contigerit, ut non statim nova procuretur. — *Viator a Cocaleo* propugnat, utrumque licitum esse, quia utrumque tum spiritui regulae, tum antiquissimae Ordinis consuetudini consentaneum est. Sicut enim in communi hominum aestimatione vestis subdititio panno munita, non pro duplici, sed pro simplici seu uno vestimento habetur; ita etiam tunica de saccis, vel aliis petiis repetiata nonnisi una dicenda est, atque ideo minus spiritui regulae opponitur, quam tertium vestimentum, quod S. Franciscus semper abhorruit. Ideo antiquissima in Ordine nostro consuetudo viget, etiam novas tunicas exterius petiis ex viliori quodam panno confectis muniendi, tum ut illae diutius integrae serventur, tum ut validius contra frigus tueantur. Quoad essentiam etiam idem esse videtur, an petia exterius, aut interius cum tunica conjungantur: ut vero id exterius fiat, spiritus regulae, Ordinisque consuetudo exposcit. Illicitum autem esset, petia soluta, seu in superiori solum tunicae parte assuta gestare, ut corpus commodius involveretur; quia tunc non unum cum tunica vestimentum constituerent, sed novum, et speciale efficerent. — Nemo autem dubitabit, omnino licitum esse, tunicas diuturniori usu consumptas seu dilaceratas de saccis, vel aliis petiis repetiare, cum id paupertati maxime consonum sit. Pauperes enim laceras suas vestes non ut divites statim abjiciunt et novas sibi provident, sed, quantum fieri potest, illas resarcire, et restaurare student; atque ideo *Joannes a Fano* Fratres admonet, ut paupertatis memores, si habitus diuturno usu vilior, vel etiam lacerus reddatur, non statim novum exposcant, sed illum de saccis et aliis petiis repetiare conentur, donec ad debitum usum prorsus ineptus fiat (Conf. *Gaudent. a Brix.* Conf. III, *Viator a Cocal.* in c. 2, Exp. 17).

3. Circa praesentem materiam duplex inordinatio occurrere solet. Nonnullos enim pudet, publice cum habitu, aut pallio repetiato apparere; sed, monasticam vanitatem praeseferentes, volunt, ut omnia quae gestant, cingulum, corona, tunica, sandalia etc. nitida (1) sint.

(1) Aliud est nitor, aliud mundities. Paupertas praesertim inter fratres communiter viventes, omnino concordat cum munditia. Sordiditas saepe non pauperem indicat, sed otiosum ac negligentem. Cavendum ergo a luxu et nitore indebito, sed servanda munditia.

Nolunt isti, pauperes videri, quales tamen vi professionis suae sunt, et esse debent; humilitate carent, et digni S. Francisci discipuli vocari nequeunt. — Alii e contra habitum vel tam deformiter repetiatum, vel tam sordidum gestant, ut vel risum, vel nauseam excitare valeant. Dicunt quidem, se ex humilitatis studio, et paupertatis amore id agere; sed hinc inde in horum cordibus inordinata superbia latet, qua ut valde perfecti Religiosi haberi desiderant. Istos tangit monitum *S. Augustini,* qui l. 2 de serm. Domini in monte, c. 12 ait: « Maxime advertendum est, non in solo rerum corpo- « rearum nitore, atque pompa, sed etiam in ipsis sordibus luctuosis « esse posse jactantiam et eo periculosiorem, quo sub nomine ser- « vitutis Dei decipit ». — Meminerint quoque iidem, *a Martino V* talia Fratribus vestimenta prohiberi, quae vel horrorem, vel risum procreare possunt (1). Quamobrem hincinde etiam in Capitulis generalibus interdictum est, petia nimis diversi coloris, aut absonae formae tunicis, aut palliis assuere (V. Cap. gener. PP. Obs. et Ref. anno 1612 habitum). — Tandem omnes attendant, ad modestiam religiosam vestimentorum quoque munditiem spectare: ideo Rmus. P. *Eugenius a Rumiliaco* Min. Gen. in suis Ordinationibus (ex mandato Gregorii XVI publice in Italia praelegendis, P. II, cap. 6) Fratribus praecepit, ut tunicas suas ab externis maculis, et a sordibus diligenter purgare conentur: « sicut enim nimium se nitide vestiendi « studium a vitio immune non est, sic etiam nimia negligentia in « habitus munditie procuranda indecens, et vitiosa merito reputatur ».

§ 34.

V. Monitum salutare.

TEXTUS. *Quos moneo, et exhortor, ne despiciant, neque judicent homines, quos viderint mollibus vestimentis, et coloratis indutos, uti cibis, et potibus delicatis: sed magis unusquisque judicet, et despiciat semetipsum.*

Dum homines perfectiorem vitae statum amplectuntur, externisque mortificationibus sese voluntarie subjiciunt, facillime amore

(1) Multum ad rectam hujus rei intelligentiam confert consideratio temporum, personarum ac locorum.

proprio ita obcaecantur, ut semetipsos maximi aestimantes, alios, non eumdem vitae tenorem sequentes, temerarie contemnant. Quantum autem sibi complacent, tantum displicent Deo. Exemplo sit Pharisaeus in templo, qui bona sua opera laudans, et Publicanum peccata sua confitentem despiciens, ob superbiam suam a Deo reprobatus fuit. Contra tam periculosam tentationem S. Pater filios suos praemunire cupiens, ipsos admonet, et exhortatur, ut non alios, sed potius seipsos judicent, et despiciant. Absonum enim, et tum Evangelio, tum rationi contrarium est, ex vestimentorum, ac ciborum usu de moralitate hominum judicium ferre. Nam pessimi se possunt occultare sub habitu sancto, et e contra possunt inveniri sanctissimi in vestibus pretiosis, sub quibus forte austera portant cilicia, ut sic carnem crucifigentes omnem quoque vanam gloriam vitent, prout ait *S. Bernardus*. Si autem Saeculares vestibus pretiosis et coloratis utentes judicare et despicere non licet, multo minus permissum est Fratribus, ut alios Religiosos judicent, et contemnant, qui non eadem tunica, vel eodem caputio utuntur, vel in cibo, potu, et reliqua disciplina non iisdem rigoribus subjiciuntur. Generatim enim juxta S. Patris monitum totum Fratrum Minorum studium eo tendere debet, ut oculos in seipsos convertant, proprios defectus continuo indagare, et cognoscere satagant, et propter hos non solum seipsos despiciant, sed etiam aliorum contemptu se dignos aestiment. Nam, ait *S. Bonaventura,* « verae « humilitatis professoribus convenit, seipsos despicere, et despicabiles « reputare » (1).

(1) Haec in alio rerum genere, non solum valent pro saecularibus et aliis Ordini extraneis, sed et pro ipsis consodalibus. Hinc reprehensibiles existunt fratres qui severe judicant confratres alienae provinciae, juxta mores regionis levioribus vel solidioribus, tinctis vel non, utentes vestimentis. Sunt enim fratres qui omnia aliarum provinciarum reprehendunt quae undequaque non concordant cum propriae provinciae usibus. Tales superbi sunt et in fraterna charitate ac judicii rectitudine parum solidati. Servemus ergo mutuam reverentiam, et dum in nostris provinciis innovationes rejicimus, alienas consuetudines non improbemus, nec aliorum morum censores efficiamur, sed unusquisque « judicet et despiciat semetipsum ».

CAPUT III.

§ 35.

De divino Officio, et jejunio, et quomodo Fratres debeant ire per mundum.

S. Bonaventura in principio hujus capitis declarat, praesertim tria in hoc capite contineri: « Haec pars, ait, habet tria: 1. agit *de disciplina ordinante ad Deum laudandum, et honorandum;* 2. agit *de disciplina jejunii, quae ordinat hominem ad seipsum;* 3. agit *de ordinationibus ad aedificationem proximorum, et hoc quantum ad ambulantes per mundum* ».

ARTICULUS I.

§ 36.

De Officio divino.

Cum oratio omnibus Christianis gravissime injuncta sit, dicente Christo: *oportet semper orare, et non deficere* (Luc. 18, 1), S. Pater, qui ipsemet orationis studio maxime addictus fuit, et continuum ejusdem exercitium etiam a filiis suis poposcit, certam his normam praescribere voluit, qua gravissimae suae obligationi satisfacerent. Ideo in hoc capite imprimis tum Clericis, tum Laicis divinum pensum persolvendum injungit. Agendum hic ideo est 1. *de obligatione,* 2. *de loco et tempore,* 3. *de modo Officium divinum recitandi,* 4. *de aliis cultus divini actibus ad Fratres spectantibus,* ac demum 5. *de orationibus, quae Laicis sunt injunctae.*

§ 37.

I. De obligatione divinum Officium recitandi.

TEXTUS. *Clerici faciant divinum Officium secundum ordinem Sanctae Romanae Ecclesiae, excepto Psalterio, ex quo habere poterunt Breviaria.*

In citatis Regulae verbis praeceptum aequipollens contineri, *Clemens V* declaravit; ait enim: « Declaramus, quod *Clerici faciant divinum Officium secundum ordinem S. R. Ecclesiae* sit obligatorium » (C. *Exivi*). Investigandum autem est, *quinam* hoc praecepto obstringantur, *ad quid* obligentur, et *quaenam sint causae* a tali obligatione excusantes.

1. *Clerici* in Ordine nostro ad recitandum Officium divinum ex duplici titulo obligari possunt, nimirum vel ob Subdiaconatum, quem jam receperunt, vel ob professionem religiosam, quam jam emiserunt. *Novitii* ergo, et alii Clerici sub magisterio aut in studiis constituti, qui nec Subdiaconi sunt, nec professi, non tenentur sub gravi Officium divinum recitare; quia ad hoc nec per legem ecclesiasticam, nec per praeceptum Regulae obligantur, cum juxta communem sententiam in favorabilibus tantum ut Religiosi, in onerosis autem ut Saeculares habeantur. Putarunt equidem nonnulli, quod Novitii ad Officium divinum recitandum eodem modo ut Beneficiati obligentur, quia in Ordine a benefactoribus sustentantur: sed haec sententia communiter et quidem omni jure rejicitur, quia illi non sustentantur ut Beneficiati praecise cum obligatione Officium divinum recitandi. — Negari tamen non potest, quod ex generali praecepto orationi insistendi, gratitudinem erga benefactores ostendendi, et disciplinam monasticam observandi, ad Officium divinum, et ad chorum obligati sint, et quod, si in hoc negligentes fuerint, a culpa excusari non possint (1). — Clerici autem, qui jam *Subdiaconatus* Ordinem rece-

(1) Intellige a culpa aliqua *veniali,* qua quidem non directe ex omissione Officii, sed potius ex pigritia et negligentia provenit. Et quaevis rationabilis causa excusat etiam a veniali. Nec obligantur novitii nequidem sub levi, ad private recitandum quae omiserunt in choro. Haec omnia de novitio non subdiacono intelligenda ut patet.

perunt, quamvis professi non sint, tamen per legem ecclesiasticam ad Officium divinum recitandum obligantur: quia id praescriptum est in *Concilio Basileensi,* Sess. 21, cujus decretum confirmatum est a *Martino V;* atque ideo Subdiaconos vi Ordinis ad Officium divinum stricte obligari, concors est Theologorum sententia. — Clerici autem jam *professi,* quamvis non sint in Ordinibus majoribus constituti, tamen statim post professionem ad Officium divinum recitandum sub gravi obligantur. Equidem Theologi fatentur, hanc obligationem in genere pro Religiosis professis neque ex jure positivo, in quo expressa et generalis pro his lex non legitur, neque ex jure naturali, quod equidem gratitudinem erga benefactores exposcit, cui autem aliis modis satisfieri posset; sed ex sola consuetudine ipsis Religionibus coaeva, quae censetur vim legis graviter obligantis habere, repeti posse (v. *Natal. Alex.* l. 2 Theol. dogm. c. 15, et *Billuart* tom. 7, Diss. 2, art. 8, § 2, tit. prof. relig.). Sed dum agitur de Religiosis professis in Ordine minoritico, omni jure asseritur, hos jam per praeceptum Regulae ad Officii divini recitationem obligari. Id satis clare verba s. Regulae innuunt: *Clerici faciant* etc., quae juxta *Clementem V* obligatoria sunt, non quidem pro Novitiis, sed certe pro Clericis, et Sacerdotibus professis. Absonum enim est, dicere, S. Patrem Clericos citatis verbis non ad recitandum officium divinum obligasse, sed tantum formam praescripsisse, quam, si officium recitent, observare debeant: nam S. Pater in citatis Regulae verbis duo conjungit; dicendo: *Clerici faciant* etc., ipsam substantiam, seu divini Officii recitationem, et dicendo: *secundum ordinem S. R. Ecclesiae* etc., formam seu modum recitationis praescribit. Id confirmatur ex eo, quia juxta omnes Laicis sub gravi injungitur certus numerus orationum dominicalium recitandus; magna autem absurditas est, pro his, et non pro Clericis gravem obligationem agnoscere, cum sat perspicue obligationi Clericorum alia pro Laicis substituatur. Jure ergo optimae notae Expositores in hoc consentiunt, quod Clerici statim post emissam professionem, ad Officium divinum recitandum sub gravi obligentur (1).

(1) Hodie certo constat quod fratres simpliciter professi nec in sacris constituti non tenentur ad Officium divinum. Nam Pius IX in Audientia habita a Secretario *S. Congregationis super Statu Regularium* die 6 Augusti 1858, duobus dubiis a Magistro Generali Ordinis Praedicatorum propositis, nempe « 1° An professi votorum simplicium, quae professioni votorum solemnium, juxta

2. In variis Ordinibus religiosis variis quoque modis Officium divinum persolvebatur, quod etiamnum apud Benedictinos, Cistercienses etc. observamus. S. Pater autem voluit, ut ipsius filii officium recitent *secundum ordinem S. Rom. Ecclesiae,* ut huic non solum obedientes existant, sed et conformes reddantur. Nam ait *S. Bonaventura:* « S. Franciscus optabat Rom. Ecclesiae vestigiis Religio- « nem suam idcirco pro viribus copulare, quia sciebat, eam immediate « subesse coelesti curiae, et ab ipso fuisse Domino institutam ». Fratres ergo Minores ex praecepto Regulae tenentur officium divinum recitare secundum ordinem seu ritum S. Ecclesiae Romanae, ac ideo observare quoque debent id, quod *Pius V* (C. *Quod a nobis*) circa Breviarium, seu Officium divinum romanum, auctoritate sua recognitum, ordinavit, dicens: « nihil addendum, detrahendum, aut immutandum esse ». Praecepto tamen Regulae exceptio apponitur, dicendo: *excepto Psalterio,* cujus exceptionis sensus ex historia declarandus est. *S. Hieronymus* enim, teste *Lirano* (Praef. in Psalm.), ter transtulit Psalterium; primo juxta 70 Interpretes, et hoc est quod *ro-*

Litteras Encyclicas diei 19 Martii 1857 praemitti debent, teneantur ad Officium divinum? 2° An teneantur ad observantiam Regulae Ordinis prout solemniter professi? respondendum mandavit: Ad primum, non teneri ad privatam recitationem divini Officii, debere tamen choro interesse, ut solemniter professi. Ad secundum, affirmative, firma declaratione jam data quoad votum paupertatis ». — Disputabatur tamen inter aliquos Theologos Minoritas an haec declaratio simpliciter professos Ordinis nostri comprehenderet. Hinc sequens Dubium: « An Professi votorum simplicium in Ordine Minorum, ex vi regulae teneantur ad privatam recitationem divini officii, ut solemniter professi? » Resolutio: *S. Cong. Episc. et Regul.,* re discussa, sub die 24 Martii 1882, censuit esse respondendum: « *Non teneri* ad normam Rescripti diei 6 Augusti Anni 1858 ». — Nota. Ergo ex his liquet professos votorum simplicium in foro interno ad privatam divini Officii recitationem ex ipso Regulae textu seu ex ipsamet professione minime teneri. Attamen ratione observantiae regularis exacte servandae, necnon ratione perfectionis religiosae adipiscendae, a salutifero divini Officii onere, etiam privatim persolvendo — si forte choro intervenire non potuerunt — minime dispensari debent, praetextu non obligationis in conscientia. Servus Dei non debet mensurare amorem, sed pro viribus Deo perfectissime famulari: non debet tantum peccata vitare, sed in bono abundare; non debet tantum divertere a malo, sed et bonum facere. — Magistri et Lectores debent in conscientia hac de re novitios et professos votorum simplicium monere, ne unquam ex erronea conscientia peccent. Et dum fortiter, ut decet, illos adhortentur ad Officium, caveant e ita consilium explanent ut videatur praeceptum.

manum dicitur *Psalterium,* quia jubente *Damaso* translatum, et in Ecclesia B. Petri pro usu adoptatum fuit; secundo aliam fecit translationem, non multum a prima diversam, magis tamen Hebraico appropinquantem, et haec vocatur *Psalterium gallicanum,* quia Damasus Papa ad S. Hieronymi preces hoc in Ecclesiis gallicanis cantari fecit; tertio ad preces Sophronii, qui frequenter disputabat cum Judaeis solum textum hebraeum recipientibus, fecit translationem immediate ex textu hebraeo, quae propterea vocatur *Psalterium Hieronymi* juxta hebraicam veritatem. Ita *Liranus:* sed recentiores putant, Psalterium, quod dictum est gallicanum, non ex translatione S. Hieronymi exortum, sed ex antiquissima versione itala desumptum, et a S. Hieronymo a mendis purgatum, et correctum fuisse. Certum est autem, ut idem Liranus testatur, hujus Psalterii usum inter Latinos maxime communem fuisse, et ideo S. Pater hoc elegit Psalterium, ut Fratres communiori usui Ecclesiarum se conformarent. Additur deinde: *ex quo habere poterunt Breviaria;* quae verba duplici modo exponi solent. Nam *quatuor Magistri, Hugo, Corduba,* et alii putant, per haec verba proposito praecepto conditionem apponi, ac si S. Pater dixerit, quod Fratres Officium divinum juxta R. Ecclesiae ritum recitare debeant, si possunt habere Breviaria, quibus deficientibus, alio ritu Officium divinum ab ipsis persolvendum sit. Sed *S. Bonaventura, Pisanus, Politius,* et alii omnino aliter praedicta verba exponunt, quae ita intelligenda esse censent: *ex quo,* i. e. eo quod Fratres officium divinum juxta ordinem S. R. Ecclesiae recitare debent, *habere poterunt Breviaria;* ita ut sensus sit, quod usus Breviarii Romani conceditur ex Regula non solum in communi, sed et in particulari omnibus Clericis, quoniam his omnibus ex Regula praecipitur officium divinum persolvere sive in choro, sive extra chorum, et hoc sine Breviariis effici non potest. Hanc expositionem confirmat *Nicolaus III,* qui (C. *Exiit*) in citata Regulae verba ita loquitur: « Dicit « in Regula: *Clerici faciant Officium divinum, ex quo habere « poterunt Breviaria;* ex quo patenter insinuat, quod Fratres sui « habituri essent *usum Breviarii* ». — Monet ultimo *Politius* (in cap. 3, n. 2) dicens: « cum uterque sensus conveniat litterae, et « veritatem dicat, uterque erit amplexandus » (1).

(1) Cum res sit dubia, teneto: I. Omnino constat quod singuli clerici Ordinis Minoritici licite habere possunt (imo in praxi *debent*) Breviarium ad

3. Causae excusantes a recitatione Officii divini tres assignari solent, nimirum *impotentia physica, impotentia moralis*, et *legitima dispensatio*. — *Impotentia physica* enasci potest vel ex inculpabili oblivione, vel ex caecitate, vel ex carentia Breviarii: in hisce autem casibus, qui partem notabilem memoriter recitare potest, ad hanc recitandam tenetur; nam *Innocentius XI* damnavit sequentem propositionem: « qui non potest recitare Matutinum, et Laudes, potest « autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad « se minorem ». — *Impotentia moralis* adest, si non potest recitari Officium absque gravi damno proprio, vel alieno, scandalo, aut gravi periculo, quod contingit, si quis vel graviter aegrotet, vel ita obligetur aut confessiones excipere, aut concioni habendae insudare, aut aegrotis, ac moribundis assistere, ut tempus pro recitatione Officii non supersit. Non autem omnis infirmitas, aut spiritualis occupatio ab Officii recitatione excusat; neque in tam gravi negotio nimis proprio judicio fidendum est, quod amore proprio facillime obcaecatur; sed si causa excusans dubia est, judicium Superioris inquirendum, aut hujus dispensatio petenda est. — *Dispensari* autem possunt Religiosi a recitatione Officii non solum a Rom. Pontifice, cujus dispensatio semper valida est, dummodo preces veritate nitantur; sed etiam a suis Praelatis, quia habent in suos subditos jurisdictionem quasi episcopalem, et id eis conceditur in eorum privilegiis. Ut autem horum dispensatio sit valida, requiritur, ut non solum preces veritate nitantur, sed etiam ut justa sit causa; quia Pontifex non praesu-

---

merum usum simplicem, ut semper satisfacere possint propriae obligationi. — II. *S. R. C.* 20 Martii 1706, ad dubium, « An Regulares absque speciali pri- « vilegio, sed sola communicatione privilegiorum aliorum Religionum, possint.... « recitare Officia et Missas concessas aliis Religionibus. — R. Negative in om- « nibus ». — III. « Qui caret Breviario Romano ad quod tenetur, sed casu habet aliud, ut Franciscanum, Ambrosianum, an teneatur ex isto recitare: affirmat Concina, quia hic duplex est praeceptum, unum universale de Horis persolvendis, aliud de servanda forma, unde qui non potest unum, servet aliud. Negant Salmanticenses, quia praeceptum Officii est indivisibile, id est illud recitandi sub data forma; patet ex Bulla Pii V, ubi habetur, ***hac sola forma satisfacere posse***. Attamen, prima opinio ut magis pia et rationabilis nobis sequenda videtur. Caeterum religiosus factus Episcopus potest uti Breviario suae Dioecesis; item capellani et commensales Cardinalium et Episcoporum possunt se eis conformare in Officio, ex S. R. C. Vide Liguori, Opus Mor., l. IV, nn. 158 et 161 » (Scavini Del-Vecchio, l. II, n. 195, 8).

mitur aliter ipsis concedere facultatem dispensandi. In dubiis autem semper Praelatorum dispensatio valida est censenda (1).

§ 38.

II. De loco, et tempore Officium divinum recitandi.

1. S. Regula *locum* non determinat, in quo Officium divinum recitandum sit, et de Choro habendo non loquitur; sed tamen dubitari non potest, quod Fratres ad Officium divinum in choro cantandum obligentur. Cum enim constituant Ordinem ab Ecclesia approbatum, iisdem ut caeterae Religiones legibus obstringuntur. Gravem esse hanc obligationem apparet ex Decreto *Clementis V* edito in Concilio Viennensi, quo ordinatur, « ut in Cathedralibus, Regularibus, « et Collegiatis Ecclesiis, horis debitis devote psallatur, si Dei, et « Apostolicae Sedis indignationem evitare voluerint ». — Imo *Benedictus XII* in Constitutione speciatim pro Fratribus Minoribus edita (cap. 1), sequentia, notatu dignissima, proponit: « Circa agendum « divinum Officium in eodem Ordine, auctoritate Apostolica ordinamus, « quod ante Missarum, et Horarum principia, Fratres dicti Ordinis, « quos causa rationabilis non excusat, ad Chorum conveniant praeparaturi Domino corda sua, ibique sine discursu, murmure, risu, « absque vagis, et vanis aspectibus, sub silentio, in pace, et cum « debita gravitate permaneant. Quia vero cantus ecclesiasticus divinae laudis sacrificium, fructusque labiorum canentium, non solum

(1) Unde scrupulosi debent de hac re moneri, ne ex formalibus nonnullis dispensationibus pontificiis favore privatorum obtentis, credant quod semper requiritur recursus ad S. Sedem, ac proinde haud tranquilli fiant de facultate Superiorum quantumvis in doctrina probatorum auctorum fundata. Etenim ex Suarez, multa conceduntur non quia necessaria sunt, sed quia petuntur vel propter scrupulum, vel ob dubitationem ex variis opinionibus ortam, removendam. Similia habent Diana, Avanzini, etc. — Nota. In *Summario Indulgentiarum Ordinis Seraphici* a S. Congreg. Indulgentiarum 20 Julii 1841 approbato, legitur, n. 44: « Fratres Minores et Moniales, quando sunt infirmi, possunt dicere septem *Ave Maria* et unum *Pater noster* loco Officii divini, aut quid aliud sibi assignatum a confessario suo; et si infirmitas sit gravis, et medicus ita judicaverit, ne ad hoc quidem erunt obligati, sed sufficiet sola intentio, qua velint illud recitare » (*Schneider*, Rescripta authentica S. C. Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae, II, 17, pag. 396).

« eorum, qui psallunt, sed etiam auditorum aedificatio esse debet, « eosdem Fratres hortamur in Domino, ut divinas laudes integre, « attente, honeste, et religiose persolvant, gestus leves, et cantus « dissolutos, seu fractos omnino declinent, ut tractim psallant, de- « bito modo incoepta, quae simul canenda sunt, simul continuent, « simul pausent. — Custodes, Guardiani, eorumque Vicarii diligenter « intendant, quod praescriptus modus veniendi ad Chorum, et dicendi « Officium jugiter observetur. Si vero quemquam in aliquo praemis- « sorum culpabilem compererint, debite puniant secundum delicti « exigentiam, sive culpae.... Nullusque Frater eximatur a choro, sed « omnes Fratres teneantur ire ad omnes horas canonicas, exceptis « aegrotantibus actu, et multum antiquis, super quibus Guardiani « habeant arbitrari, et Magistris, et Lectoribus, ac Baccalaureis in « generalibus studiis constitutis, et legentibus in aliis studiis, dum « actu suas continuant lectiones etc. etc. ». Quamvis haec Constitutio, uti in *Firmamentis trium Ordinum* adstruitur, revocata sit, post- quam variae Fratrum Minorum Congregationes specialia sua Statuta obtinuerunt; id tamen ex parte solum, nimirum quoad ritus, exem- ptiones etc. intelligendum est: nam quoad substantiam, ait *Viator a Cocaleo,* revocari non potuit, et ideo semper demonstrat in Choro psallendi obligationem, quae certe neque per alium Pontificem, neque per contrariam consuetudinem, neque per alicujus Congregationis sta- tuta sublata fuit.

2. Obligatio ad Chorum duplex est secernenda, *localis,* vi cu- jus in quolibet conventu Chorus haberi debet, et *personalis,* quae ipsos Fratres individuos ad interveniendum Choro obstringit. Jam juxta communem Theologorum sententiam, obligatio ad Chorum ha- bendum est *localis,* quae totam Communitatem, et praecipue ejus Praelatum afficit: quia, ut ait *Mastrius,* « quoties obligatio aliqua « cadit in corpus aliquod mysticum, seu in communitatem, capiti « talis corporis, qui est Praelatus, praecipue incumbit curare, ut « adimpleatur ». Sed ait *P. Sporer:* « Superiore deficiente, obligatio « officiorum Communitatis recidit in Subditos ». — Circa numerum Fratrum ad chorum requisitorum dissentiunt Theologi: nonnulli di- cunt, quod duo, vel tres sufficiant; sed *P. Sporer* cum aliis ait, saltem quatuor requiri, « quia in paucioribus quam quatuor decens « chorus non subsistit ». — Ast distinguendum hac in re esse vi- detur: nam in parvo conventu, ubi plures haberi nequeunt, certe etiam per duos, vel tres satisfieri potest; sed in majori conventu, si

absque legitimo impedimento plures non convenirent, et Guardianus id toleraret, hic a peccato gravi non foret excusandus, saltem ratione scandali, ut cum *P. Sporer* alii quoque Doctores dicunt (1).

3. Nonnulli ejus sunt sententiae, quod obligatio chori sit etiam *personalis,* ita ut ipsum notabiliter negligentes mortaliter peccent. Id probant: *a) Ex lege canonica* C. fin. dist. 92, ubi Clericus de-

(1) Aliud est per *tres fratres* satisfacere *posse,* aliud *teneri.* Hinc I. Bordoni, Resol. XXX, n. 8, haec sapienter notat: « Quaeres 4. An in parvis Conventibus, ubi tres, aut quatuor tantum resident, teneantur recitare in Choro? Respond. Requiruntur ad minus quatuor ad Chorum deputati, ut alternative respondere commode possint, etsi enim conventualis Ecclesia ea dicatur, in qua sunt plures, nempe duo, aut tres clerici, *Gloss. ver.* In conventuali, cap. Nobis, de iurepatr. per cap. 1, de elect., et Gloss. ver. Ecclesiis extr. com. Ne sede vac.; non tamen statim habet adnexam hanc obligationem, sed tantum ad eligendum sibi Superiorem, quod fieri commode potest, praesertim cum ius electionis in uno permanere possit, *Sigism.* dub. 24, de elect. et potest. Praelat. regul.; duo tamen aut tres commode officium recitare non possunt publice in Choro; id autem quod commode fieri non potest, reputatur impossibile in iure, ac proinde nulli subiectum obligationi, consequenter illi duo aut tres non tenentur recitare in Choro Horas Canonicas. Ut plurimum excusarem etiam quatuor, aut quinque residentes, cum huiusmodi obligatio recitandi in Choro regularibus non sit ita strictior, sicut beneficiariis collegiatis, ut probavi quaest. 2 ». — II. Item cum sententia communior teneat sufficere in omni casu assistentiam quatuor vel quinque *habilium* seu *expeditorum* ex sola absentia multorum a choro, non potest dici mortaliter peccare Guardianum majorum conventuum qui multos excusat a choro saltem si id transitorie tantum fiat et dummodo adsistant alii numero sufficiente. Et scandalum de quo agit Auctor noster in praxi difficulter judicari debet existens vel saltem grave quoad populum; nam in conventibus etiam majoribus, non raro ad paucos reducuntur qui choro assistunt, idque vel ratione confessionum et praedicationum, vel tempore quaestuationum ob absentiam clericorum, aliisque de causis legitimis: unde paucitas psallentium non statim excitat fidelium admirationem. Tamen Provinciales etiam per poenas canonicas reprimere possunt abusus Guardianorum circa hanc materiam, nec tolerare debent incuriam in chori frequentationem. — III. Denique in hac de assistentia chorali quaestione magni faciendae sunt antiquae legitimaeque consuetudines singularum Provinciarum, etiamsi mitiores existant in una quam in alia natione seu provincia. Hinc sedulo cavendum ab impositione gravis reatus absque ratione sufficienti: nec *consilium* et *perfectum* confundas cum *praecepto* et *necessario.* Errant ergo qui proclives sunt ad multiplicanda mortalia peccata cum de S. Regula agitur, principia Juris Canonici et Thelogiae Moralis in praxi quasi non curantes. Etenim *conscientia recta* non impedit sed adjuvat perfectionem animae et observantiam Regulae; *erronea* vero multorum malorum et relaxationum causa efficitur persaepe. Cfr. S. Lig., ubi de Conscientia, etc.

ponendus dicitur, qui Choro non intervenit; gravis autem poena gravem quoque culpam supponit: Clericis autem quoad chorum aequiparantur Regulares, qui ob eamdem culpam eadem poena afficiendi sunt; quamobrem *Clemens VIII* (de reform. Regul.) ait: « in eos « vero, qui negligentes, aut inobedientes fuerint, salutari poenitentia « Superiores animadvertant ». *b*) *Ex ratione;* nam lex in Choro psallendi vel nullum, vel aliquos tantum, vel omnes afficit; si nullum, ipsa lex nulla est; si aliquos tantum, ratio assignari deberet, cur hos, et non illos afficiat, qui eamdem Regulam professi sunt; ergo dicendum est, quod obligatio chori ad omnes extendatur. *c*) *Ex regula,* quae praescribit, ut officium dicatur *secundum ordinem S. Rom. Ecclesiae;* hujus autem Ecclesiae ordo, seu consuetudo est, officium dicendi in choro: ergo, ait *Corduba,* dum Regula dicit: *Clerici faciant,* hos omnes obligat ad chorum. *d*) *Ex auctoritate Rom. Pontificum;* nam *Innocentius IV* expositionem suam in tertium Regulae caput sic inscribit: « de Officio divino in Choro habendo »; et *Benedictus XII,* ac *Clemens VIII* in locis jam citatis volunt, ut omnes diligenter choro interveniant. — Sed non obstantibus his rationibus, communior et probabilior Theologorum sententia est, quod obligatio chori localis tantum, ut dictum est, non autem personalis sit. Nam *a*) Regulares quoad chorum non possunt aequiparari Clericis beneficiatis, qui praecise ad chorum habendum sustentantur; *b*) lex totam communitatem afficiens vera est lex, et per aliquos ex communitate a Praelato designandos adimpleri potest; *c*) Regula Breviarium romanum praescribit, quod multi Sacerdotes saeculares sine choro recitant; si omnia, quae secundum ordinem S. Rom. Ecclesiae fiunt, sub praecepto Regulae caderent, etiam cantus gregorianus in Officio divino adhibendus esset, quod tamen nullus admittit; *d*) Romani Pontifices in suis Constitutionibus vel de obligatione ad chorum locali loquuntur, vel interventionem in choro personalem commendant, et hanc poenis oeconomicis a Superioribus urgendam esse dicunt, quin tamen omnibus Fratribus gravem obligationem personalem imponant. — Ast admissa etiam hac sententia, non tamen omnis obligatio personalis choro interveniendi negatur, neque Fratres sine legitima causa id negligentes a culpa immunes censeri possunt. Quamvis autem haec communiter venialis sit (1), tamen

(1) Id est, quando fit absque causa rationabili seu ex pigritia, negligentia, etc. Secus, nec venialis erit per se.

ex variis causis mortalis fieri potest. Nam, ait *P. Sporer,* chorum negligens mortaliter peccare potest: 1° *ratione contemptus* expliciti, vel (1) impliciti, qualis jure praesumitur, si quis saepissime passim, et quasi habitualiter a Choro se subtrahit; 2° *ratione scandali,* quo fit, ut etiam alii se exemptos putent (2), et Choro intervenire recusent; 3° *ratione necessitatis,* si ex ejus absentia (3) chorus grave detrimentum patiatur aut omnino haberi non possit; 4° *ratione inobedientiae,* si quis choro non interveniat, quamvis ipsi ad hoc grave praeceptum a Superiore impositum fuerit. Necesse enim omnino est, ut Praelati, quibus gravis obligatio localis chorum habendi incumbit, graviter quoque subditos ad interveniendum choro obligare possint: ideo in citato *Concilio Viennensi* sub *Clemente V,* facultas concessa fuit, hac in re renitentes per excommunicationem, et alias censuras ecclesiasticas compescendi; ex quo hujusmodi inobedientiae gravitas satis dignoscitur.

4. Quamvis Fratres omnes ad officium in choro dicendum obli-

---

(1) Vide notam pag. 26, ubi de habitualibus inobservantiis.

(2) Non facile tamen in fratribus subditis habetur ratio scandali talis ut sit mortale peccatum. Secus in Superiore qui ex notabili incuria grave regulari observantiae inferret nocumentum. Cfr. Theol. Moralem, ubi de negligentia Superiorum circa leves subditorum defectus.

(3) Si fratres ad chorum efformandum *probabiliter sufficientes* (duo vel tres, juxta diversas opiniones) revera choro adsistant, non peccant graviter per se alii fratres qui absque legitima causa absunt. Neque de gravi peccato damnandi fratres qui tenentes opinionem quae stat pro numero quatuor vel quinque fratrum *validorum* ad obligationem chori inducendam, assistentiam negligerent, quia in conventu pauciores hoc numero existunt, praesertim si transitorie nec frequenter id facerent. Aliud enim est probabilis sufficientia numeri, aliud certitudo praecepti quoad ipsum numerum. Ergo cum inter opiniones probabiles, liceat modo hanc, modo illam sequi (Gury, I, n. 80): « Non licet tamen Confessario uti probabili opinione ad imponendam obligationem, quando opposita quoque est probabilis, cum ex dictis, poenitens ius habeat hanc sequendi, et Confessarius teneatur eum absolvere. Nec refert, utrum id poenitens sciat. Iniquissimum enim foret poenitentis ignorantia ita abuti, ut ipsi imponatur obligatio, quae a Deo legislatore non imponitur, et quae insuper poenitenti in perditionis laqueum cedere posset » (Ballerini, ibid.). — Hinc peccatum grave probabilius exigit praesentiam quatuor vel quinque haud canonice impeditorum, simulque voluntariam culpabilemque absentiam alicujus ex quatuor vel quinque fratribus (clericis, validis) in conventu residentibus. Laudabilissime tamen servatur chorus etiam in minimis hospitiis et residentiis, salva charitate et justitia.

gentur, a nemine tamen negari potest, legitimas hac in re *exemptiones* dari posse. Si enim *impotentia physica, impotentia moralis,* et *legitima dispensatio* ab ipsa Officii divini recitatione excusare valent, multo magis ab obligatione frequentandi chorum eximere possunt. Et sane infirmitas quaedam gutturis, aut pectoris, sive alius levis morbus, qui Fratrem vel in lecto, vel in cella detinet, hunc a choro, sed non a recitatione Officii divini eximit. Eodem modo copiosi labores, in spirituali Domini vinea exantlandi, hinc inde quidem etiam ab ipsa divini Officii recitatione, sed multo facilius a frequentatione chori excusant. Ecclesia ipsa judicium suum satis clare manifestavit, et docuit, in conflictu labores pro animarum salute suscipiendos, frequentationi chori praeferendos esse. Ideo (C. *In sancta,* dist. 92) referuntur *S. Gregorii M.* verba, qui dicit: « Consuetudo « valde reprehensibilis exorta est, ut quidam ad S. Altaris ministe« rium Cantores eligantur, quos ad praedicationis officium, et elee« mosynarum studium vacare congruebat ». In quae verba *S. Thomas* (2. 2, q. 91, art. 2, ad 2) ait: « Nobilior modus est, homines « ad devotionem per doctrinam et praedicationem, quam per cantum « incitare: et ideo Diaconi et Praelati, quibus competit per praedi« cationem, et doctrinam animas hominum provocare ad Deum, non « debent cantibus insistere, ne per hoc a majoribus retrahantur ». — Ipsi Summi Pontifices frequentationem chori maxime inculcantes, in concedendis tamen ob spirituales occupationes exemptionibus faciles erant. Ita *Clemens V* (l. cit.) ait: « Nullus, nisi actu legat, « vel praedicet (i. e., ait *Sandor,* nisi actu Lectoris, aut Praedica« toris officio fungatur), aliquo sui gradus privilegio gaudeat »: ergo Lectoribus et Praedicatoribus privilegium concedit. *Benedicti XII* verba jam (n. 1) fuere adducta. *Clemens VIII* (de reform. Regul.) ait: « Cum Lectoribus et Praedicatoribus Superiores iis tantum die« bus, quibus eos legere, aut praedicare contigerit, dispensare pos« sint ». Ipsae Constitutiones nostrae quoad Chorum tum Lectoribus, tum Concionatoribus satis clare determinatas exemptiones concedunt, quibus, in genere loquendo, Lectores et Concionatores contenti esse debent, neque sine legitima causa majores sibi vindicare possunt. Si tamen casus contingant, in quibus munia spiritualia, pro animarum salute suscipienda, cum frequentatione chori incompatibilia sint, aut saltem efficiant ut chorus nonnisi cum summa difficultate frequentetur; juxta Ecclesiae spiritum, ac Theologiae et Ascesis principia praestat, chorum, nisi ob paucitatem Fratrum necessitas ad psallen-

dum (1) cogat, omittere, quam functiones pastorales, quae differri nequeunt, negligere, aut obiter tantum perficere. Errant ergo, qui munera spiritualia e. g. confessionale etc. negligunt, ut choro intersint, ad quod hincinde per amorem proprium impelluntur, ut vel ceu exactissimi regularis observantiae amatores censeantur, vel Officium divinum alacrius persolvant, quod alias cum majori ipsorum incommodo soli recitare deberent. Magis errant, et a recto spiritu deviant, qui diligentiam in choro unice aestimant, et quasi summam religiosae perfectionis habent; sed diligentiam in functionibus spiritualibus ac pastoralibus flocci habent, vel etiam praeconceptis opinionibus, ac temerariis judiciis reprehensione dignam censent. Maxime demum errant, et Pharisaeorum modo scandalizantur, qui ex eo quod nonnullos, plurimis spiritualibus laboribus occupatos, Chorum frequentare non videant, falso omnino putant, se quoque a chori frequentatione exemptos esse, licet iisdem muneribus, et laboribus non occupentur. — Verum a culpa certe etiam liberi non sunt Lectores, Concionatores, Confessarii etc., qui se a choro a Constitutionibus sibi praescripto eximunt ob leves quosque labores, cum quibus illius frequentatio omnino compatibilis esset, vel qui tempore chori ea peragere decernunt, quae sine difficultate alio tempore perficere possent. Majori autem reprehensione digni sunt, qui exemptionibus sibi a jure concessis utuntur, non ut studiis, et laboribus spiritualibus debito modo insudent, sed ut eo magis somno indulgeant, recreationibus se dedant, inanibus confabulationibus tempus terant, atque ideo ministerium suum negligunt, et officium suum non rite adimplent. Isti privilegio suo abutuntur, et se magna poena dignos reddunt, quoniam a fine exemptionis penitus recedunt. — Ultimo addi potest, merito illum laudari, qui non obstantibus exemptionibus sibi a jure concessis chorum frequentat, dummodo imposita sibi officia rite adimpleat.

5. Quod ad *tempus* recitationis attinet, juxta antiquam Ecclesiae disciplinam, Officium divinum in nocturnum et diurnum dividebatur, atque utrumque distinctis tum noctis, tum diei horis in

(1) Facilius permittenda mera recitatio communis absque formali psalmodia, quam chori omissio. Unde prudenter agant hospitiorum praesides, et verbo et exemplo illam promoveant observantiam vel observantiae partem, quae possibilis fit absque detrimento sacri ministerii et valetudinis fratrum.

Ecclesiis persolvebatur. Postmodum usus praecipue in monasteriis invaluit, tres officii nocturni partes simul cum Laudibus media nocte persolvendi: verum et laudabilis iste mos recentiori aevo variis in Ordinibus religiosis abrogatus, sed tamen in Capuccinorum Ordine retentus fuit, et ut semper retineatur ac a Fratribus assidue observetur, Superiores summo studio invigilare debent. — Circa tempus horarum diurnarum, insistendum est consuetudini in Ecclesia, vel in Ordine legitime introductae: statuta autem tempora pro variis Officii divini partibus in choro sunt accurate servanda; nam notabiliter ea mutare esset peccatum mortale (1), nisi rationabilis causa mutationem excuset, ut docent *Suarez, Navarrus, Layman, Sporer,* etc. In privata recitatione Officii divini, se temporibus chori conformare laudabile quidem (2), sed non obligatorium est. Dummodo totum Officium a media nocte usque ad mediam noctem recitetur, vel etiam Matutinum cum Laudibus anticipetur, peccatum mortale non committitur. Vix autem a veniali excusari potest, qui sine rationabili causa notabiliter tempora mutat, vel totum Breviarium uno eodemque tempore persolvit. Melius autem est, de mane totum Officium recitare, quam totum ad vesperas relinquere, ubi quis in conventum redit animo dissipatus, aut itinere defatigatus, somno gravatus, vel ex vino tumulentus, ita ut vix Officio suo satisfacere possit: accedit, quod etiam improvisa impedimenta supervenire possint, quae recitationem Officii aut impossibilem, aut admodum difficilem reddant. Attendi igitur ab omnibus meretur egregium *Hugonis a S. Victore* dictum: « Ante horam orare providentiae est, post horam negligen-« tiae, in hora obedientiae ».

(1) Data diversa horariorum Provinciarum ratione, generatim non videtur gravis mutatio intra tempus ordinariae recitationis privatae. Patet etiam exemplo canonicorum qui in variis locis et majores et minores Horas duobus tantum temporibus recitant. Atqui obligatio chori quoad religiosos, ut notatum est, benigniorem admittit interpretationem quam chorus canonicorum. Cavendum ergo a facilitate judicandi de mortali ex negligentia temporis consueti. Tamen Provinciales non possunt tolerare arbitrarias Guardianorum mutationes quoad tempus Officii.

(2) Excipe nisi private recitans ex debilitate memoriae vel laborum varietate melius expedire judicet ut duabus vel tribus vicibus totum Officium recitetur.

§ 39.

III. De modo Officium divinum recitandi.

Quoniam divinum Officium solemnis oratio est, quae inter caeteras Deo gratissima exstat, et maximae apud eum efficaciae esse constat, merito ita persolvi debet, ut Deo placeat, prosit dicenti, et audientes aedificet. Ideo in *Concilio Lateranensi IV* sub *Innocentio III*, dicitur: « Districte praecipientes in virtute obedientiae, « ut divinum Officium nocturnum pariter et diurnum, quantum eis « Deus dederit, *studiose* celebrent pariter et *devote* »: in quae verba Glossa addit: « studiose quoad officium oris, devote vero quoad of- « ficium cordis ». — *Concilium Tridentinum*, Sess. 24, cap. 12, praecipit, « ut recitetur Officium *reverenter*, *distincte*, *et devote* ». Commemoranda sunt hic etiam verba Benedicti XII, qui (l. c.) Fratres in Domino hortatur, ut divinas laudes *integre*, *attente*, *honeste*, et *religiose* persolvant. — Ex his jam facile colligi potest, quo modo Officium divinum recitandum sit, et quaenam inordinationes in hac recitatione praecipue vitari debeant.

1. Horae canonicae praeprimis *integre*, et *studiose* quoad officium oris recitandae sunt. Peccat ergo, qui aliquid de Officio divino culpabiliter omittit: venialiter, si modicam partem v. g. aliquos versiculos, aliquam commemorationem etc. negligit; mortaliter vero, si notabilem partem v. g. unam horam minorem, aut unum nocturnum non recitat: imo mortaliter etiam peccat, qui eodem die saepius partes in se leves omittit, ita ut simul sumptae horam minorem exaequent (1). — Praeterea cum Officium divinum ex Ecclesiae praescripto oratio vocalis sit, ideo omnia non mente tantum ruminanda, sed distincte per linguam pronuntianda sunt. Equidem qui in choro, vel

(1) Sicut minuta furta simul sumpta ex Croix, Less., Ballerini, etc. debent excedere quantitatem ordinariam, ut in gravo peccatum coalescant; ita probabiliter qui saepius omittit aliquas minutas horarum Officii partes, non peccat mortaliter nisi omissiones simul sumptae aliquantum *excedant* horam minorem. Tamen minor requiritur quantitas in Officio quam in furto, quia unio parvitatum fit eadem die. Nec a peccato gravi excusari videtur qui per minutas omissiones excedit unam horam minorem et tertiam partem alterius.

cum socio recitat Officium, si dimidiam partem psalmorum, hymnorum etc. cantet, aut pronuntiet, alteram vero partem, prout etiam capitula, lectiones, responsoria, orationes etc. audiat, jam satisfacit: nam haec psallendi consuetudo, primum a *Flaviano* (ut testatur *Theodoretus*, l. 2 hist. eccl., c. 14) in Ecclesia Antiochena, et a *Damaso* (teste *Platina* in ejus vita) in Ecclesia Romana introducta, et postmodum a toto christiano orbe recepta vim legis obtinuit. — Obligationi vero suae non satisfaciunt, qui in Choro ea, quae suae partis sunt, non pronuntiant, et reprehensionem etiam merentur illi, qui in Choro non debito modo cantant, sed ex sola commoditate, quae ad se pertinent, submissa tantum voce pronuntiant, et Chorum vocis suae beneficio defraudant. — Peccant quoque, qui in choro, aut cum socio Officium recitantes, non expectant, donec altera pars versiculum finierit, sed nimia praecipitatione jam antea pergunt; quod, si passim fiat, notabilem omissionis partem constituere potest: e contra male etiam procedunt qui in choro caeteris multo lentius canunt, et versiculos, quos major pars finiit, adhuc protrahunt; quia chorum perturbant, seque periculo exponunt integritatem officii violandi, cum, quae ab altera parte recitantur, audire non possint. — Peccant denique pro quantitate materiae, qui mutilant officium syncopando, truncando, balbutiendo, verba aut syllabas absorbendo etc.; vel qui, si soli Officium recitant, tam parum linguam, dentes, et labia movent, ut etiam remotis obstaculis se non audiant (1): isti enim, licet fortassis devote meditent, praescriptae tamen orationi vocali non satisfaciunt. *Concilium Basileense* enim de iis, qui ad horas canonicas obligantur, dicit: « non in gutture, vel inter dentes, vel de-« glutiendo, seu syncopando dictiones, vel verba, sed reverenter verbis « distinctis, sive soli, sive sociati cum aliis Officium diurnum no-« cturnumque persolvant ». — Equidem qui ex naturali defectu linguae, dentium, aut labiorum verba non rite pronuntiat, a peccato excusatur: sed qui ex mala consuetudine, aut ex pigritia id facit, tenetur, ait *P. Henno*, « serio, et fortiter laborare, ut, sicut immo-« derate praecipitando illam consuetudinem sibi fecit, ita moderate, « et paulatim legendo illam relinquat ».

(1) Sufficit ut recitans se audire *possit*. « Neque enim, ait D'Annibali, I, 21, (30), necesse est ut revera seipsum audiat. » Probabilius « sufficit igitur, si ille qui recitat, conscius sibi sit, se verba pronuntiare » (Gury, II, 82).

2. Officium ex Ecclesiae praescripto etiam *devote* recitandum est. Devotio haec rectam intentionem et attentionem requirit. Equidem non requiritur semper *intentio* actualis et expressa orandi, et Deum colendi; sed etiam non sufficit intentio illa habitualis, quae ex assuetudine ad certas actiones etiam in dormientibus, ebriis, et amentibus adesse potest; sufficit autem intentio *virtualis,* quae est virtus ab actu praecedente relicta, et haec habetur in illo, qui seriam voluntatem concepit obligationi suae circa pensum divinum quotidie satisfaciendi, et hanc nunquam revocavit: hic sane, si deliberate ad chorum accedat et cantet, vel Breviarium sumat et recitet, requisitam intentionem jam habet, quamvis actu formali, et explicito non dicat: intendo obligationi meae satisfacere; intendo orare, et colere Deum. *Attentio* juxta *S. Thomam* (2. 2, q. 83, art. 13) etiam triplex secernitur; una, qua attenditur ad verba, ne aliquis in eis erret, et dicitur *superficialis;* secunda, qua attenditur ad sensum verborum, et dicitur *litteralis;* tertia, qua attenditur ad finem orationis, scilicet ad Deum, et ad rem petitam, aliave illuc pertinentia, ut sunt mysteria fidei, dona, virtutes, coelestis patria, etc., et dicitur *spiritualis.* Jam ut satisfiat praecepto horarum optima est attentio litteralis, aut spiritualis, et ad eam omnes conari convenit: attamen supposito animo, seu intentione orandi et colendi Deum virtualiter saltem perseverante, sufficit superficialis, seu quoad verba (v. *Billuart,* De Relig. Diss. II, Art. 8, n. 2). Id autem non ita intelligendum est, ac si sola attentio externa sufficeret, et interna nullo modo requireretur. Fuerunt quidem nonnulli Theologi affirmantes, eum, qui voluntarie distractus horas recitat, equidem peccare peccato irreverentiae, sed tamen satisfacere praecepto. Id autem cum *S. Thoma* negat Cl. *Billuart* (l. c. n. 3) docens, cum attentione externa etiam internam esse conjungendam. Concilia enim, et Pontifices praescribunt, ut Officium divinum devote, et attente recitetur. Oratio est elevatio mentis in Deum, et quamvis, uti cum *S. Thoma* Theologi docent, distractiones involuntariae orationis meritum et efficaciam non tollant, attamen ab oratione desistere jure censetur, qui voluntarie distrahitur, et deliberate mentem non ad Deum elevare, sed inutilibus, vanis, ac mundanis cogitationibus occupare intendit. Haud immerito igitur Clerus Gallicanus sequentem damnavit propositionem: « Horarum « praecepto satisfacit, qui voluntarie labiis tantum, non tamen mente « orat ». Tale orationis genus Deus ipse reprehendit dicens: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* (Matth. 15, 8).

Qui Officium divinum voluntarie distractus recitat, magnam sane in Dei servitio tepiditatem praesefert; et quomodo effugiet horrendum S. Scripturae dictum: *Maledictus homo, qui facit opus Dei fraudulenter* (Jer. 48, 10)? — *S. Bonaventura* ideo (Spec. Disc. c. 16) ait: « Nemo Dei se existimet servum, si Dei potissimum negligat « servitutem, quae appropriato vocabulo Dei servitium nuncupatur »: et Thomas a Kempis (Serm. 21, ad Novit. n. 9) Religiosis in recitando divino Officio negligentibus timorem incutit exclamans: « Ca- « vete, et timete, ne eleemosynae clament contra vos, quia male « sunt expensae, et Horae negligenter saepius lectae et perso- « lutae ». — Convenit igitur, ut Fratres ante Horarum recitationem mentem colligere, et praeparare nitantur juxta monitum Spiritus Sancti: *Ante orationem praepara animam tuam; et noli esse quasi homo, qui tentat Deum* (Eccli. 18, 23). Praesertim vero omnia, quae mentem distrahere possunt, cavenda et removenda sunt; nam, ait *P. Henno:* « Ille censetur voluntarie distractus, qui vel in se, « vel in causa sive positiva, sive negativa aliquid facit, aut permittit, « quod est incompossibile cum attentione necessaria, aut cum inten- « tione orandi ». Ex hac ratione cura etiam habenda est, ut chorus cum ordine procedat, et nulla perturbatio fiat. — Debent ideo Novitii, Clerici, vel juniores Sacerdotes praevie directorium inspicere, psalmos recitandos, antiphonas, ac lectiones legendas quaerere et signare, psalterii paginas debito tempore vertere, etc., ne Fratres psallentes vel ab attentione distrahantur, vel etiam ad indignationem provocentur: quod si illi hac in re negligentes fuerint, a Superioribus energice corrigendi, vel etiam cum rigore puniendi sunt (1).

3. Cum Officium divinum etiam *honeste,* et *religiose* recitandum sit, necesse est, ut omnes Fratres in choro externam quoque modestiam, et gravitatem religiosam praeseferant. Haec oculos a cu-

(1) Circa attentionem internam, notent Confessarii: « Officii recitatio, quia est actus humanus, sine intentione non fit; ideo necesse est ut quis illud recitet sciens volens. Tum, quia est *oratio,* attentione quoque opus habet; externa, inquam, nam, praeter ea quae alias dixi, *non constat adesse praeceptum de attentione interna;* atque ideo si illud recitaverit distractus, animo sciens volens, nec repetit, nec (beneficiatus) fructus restituit. Demum quia est oratio *vocalis,* verba rite ac recte proferri debent » (D'Annibali, III, 454). — Item: « Nimirum commendanda est *attentio* etiam interior, non vero sententia, quae gravem interioris attentionis obligationem imponit; neque enim fas est incertam opinionem tanquam certam obligationem imponere » (Ballerini, II, 91).

riosis aspectibus huc illuc circumvagantibus, linguam ab indecente garrulitate, manus et pedes ab inconvenientibus motibus cohibet, et totum corpus ita componit, ut praesentes non scandalizet, sed potius aedificet. Haec interdicit omnem rumorem et strepitum, quo Fratres vel in psallendo distrahi, vel ab iis, quae leguntur, audiendis impediri possunt. Haec demum exigit, ut externae caeremoniae, et praesertim inclinationes ab omnibus uniformiter, et debito modo perficiantur. — Etiam illi, qui extra chorum Officium recitant, curam habere debent, ut id nonnisi in decenti loco, et cum honesta corporis compositione perficiant: « Sane, ait *S. Bonaventura* (Spec. « Disc. c. 6), in Officio Dei est curanda ubique magnopere reverentia « et honestas, cum ubique sit ejus, cui tunc loquimur et adstamus, « Deitas et Majestas ». Externam hanc reverentiam, et honestatem tum in choro, tum extra chorum maxime inculcat etiam *Eugenius a Rumil.* (Ordinat. P. I, cap. 2, 3 et 4) (1).

§ 40.

IV. De aliis Cultus divini actibus ad Fratres spectantibus.

1. Praeter Officium divinum ad Sacerdotes spectat, etiam Missae sacrificium offerre, quod cum semper cum Officio concordare debeat, certe *secundum ordinem Sanctae Romanae Ecclesiae* celebrandum est. Conditiones vero ad recte celebrandum requisitae quinque primis alphabeti litteris designari solent. Nam 1. *Alta* voce Missa legenda est; quia in rubricis ordinatur, « quod vox audientibus ita sit ac- « commodata, ut, quae leguntur, intelligant ». Sed notandum est, quod aliqua submissa voce recitanda sint, et praecipue Canon, qui non potest sine gravi culpa totus alta voce legi, ut ait *Gavantus*.

(1) Totis viribus procuranda externa reverentia, et fortiter constanterque impediendus modus cantandi, standi, sedendi in choro, qui inurbanum ac rudiorem hominem, levioremque puerum potius quam religiosum virum manifestat. Unde res maxime pendet ex primaeva novitiatus ac studiorum educatione, nec non ex culpabili negligentia circa liberiores formas aliorum fratrum corrigendas. Maxime juvat habitualis fratrum omnium praesertim seniorum urbanitas in voce, gestu et incessu, in conventu et extra.

Hac in re ergo rubricas probe attendere oportet: nunquam autem tam alta voce utendum est, ut alii in eadem Ecclesia eodem tempore celebrantes perturbentur: excipitur tantum Missa conventualis, in qua altiori voce uti licet, quia habetur ut solemnis. — 2. *Brevis* Missa esse debet, sed ita, ut non nimis praecipitetur: rubrica enim ait, Missam legendam esse « non nimis morose, ne audientes taedio « afficiat »; sed alia rubrica praecipit, ut Sacerdos verba « proferat « non admodum festinanter »: graves Theologi mortaliter eum peccare dicunt, qui in Missa dicenda minus quadrante impendit: Benedictus XIV egregiam regulam proponit dicens, Missam ordinarie nec breviorem 20, nec longiorem 30 minutis esse debere. — 3. *Clare*, seu, ut rubrica dicit, distincte et apposite verba pronuntianda sunt; et ideo cavendum est, ne syncopentur, truncentur etc. Rigor Ecclesiae hac in re dignosci potest ex decreto S. Congreg. (anno 1631, 5 Jul.) quod dicit: « Qui prae timore vel balbutie non pronuntiat « Evangelium S. Joannis, quod dicitur in fine Missae, sed ejus loco « aliud suo arbitratu recitat, debet a Missarum celebratione suspendi, « quousque illud rite pronuntiare assuescat ». — 4. *Devote* Missa celebranda est, « ut attendatur ad ea, quae dicuntur », ait Cl. *Merati*. Ideo Sacerdos saltem per horae quadrantem se praeparare, et per quadrantem gratias agere debet; nam si hoc non faciat, quomodo devotus erit? quomodo gravissimi momenti officium rite adimplebit? quomodo se dignum reddet ad copiosas gratias percipiendas? — *S. Franciscus* (Opusc. t. 1, Epist. 12) dicit: « Rogo in Domino « omnes Fratres meos Sacerdotes, qui sunt, et erunt, et cupiunt « esse Altissimi, quod quandocunque voluerint Missam celebrare, puri, « et pure faciant cum reverentia verum Sacrificium SS. Corporis, et « Sanguinis D. N. J. C. Si quis aliter fecerit, Judas traditor ef- « ficitur ». — Infelicissimam autem hujus sortem ille praesertim experietur, qui impuro corde, et gravi labe onustus ad altare accedit: quoniam *judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini*. — 5. *Exacte* debet Missa celebrari, ut Sacerdos, ait *Merati*, « faciat omnia, quae praescribuntur in rubricis ». Oportet sane, ut celebrans minimas quoque caeremonias ab Ecclesia praescriptas accurate observet, ne paulatim in graviores, et gravissimas negligentias proruat; nam *qui fidelis est in minimo, et in majori fidelis est; et qui in modico iniquus est, et in majori iniquus est* (Luc. 16, 10). Exacta rubricarum observantia, cum sit obedientiae opus, magna emolumenta affert. Generatim dubitari nequit, Missae

sacrificium, debito modo celebratum, efficacissimum esse ad omnia bona obtinenda. Theologi autem in ipso triplicem fructum distinguunt, scilicet *generalem,* qui ad omnes homines, et praecipue ad totam Ecclesiam se extendit, *particularem,* qui competit ei, pro quo Missa applicatur, et *specialissimum,* cujus ipse Sacerdos celebrans particeps fit. — Quoad fructum particularem intentio debet esse satis determinata, et ideo opus est, ut non solum intentiones in libro accurate notentur, sed etiam ut actualiter, et praecise illae designentur, pro quibus satisfaciendum sit. — Si hoc fiat, in ipso celebrante non requiritur semper intentio actualis, sed sufficit virtualis non revocata; ergo qui e. g. intentionem in mente concepit, per hanc hebdomadam, vel istum mensem celebrandi juxta determinatam intentionem suam, vel Superioris, licet hincinde de hac, dum celebrat, non cogitet, tamen satisfacit. — Attendenda autem sunt decreta *Urbani VIII* et *Innocentii XII* statuentia, non plures Missarum applicationes recipiendas esse, quam pro quibus *infra breve tempus* satisfieri potest, nisi tribuens stipendium in majorem dilationem consentiat: modicum vero tempus definivit S. Congregatio Concilii esse *unum mensem,* ut dicit Benedictus XIV (De Sacr. Miss. l. 3, c. 24, § 14) (1).

2. Sicut pro Ecclesiis Cathedralibus, et Collegiatis Missa solemnis praescribitur; sic in nostris Ecclesiis, quae in jure canonico Collegiatis aequiparantur, *Missa conventualis* quotidie haberi debet, dummodo tot Fratres adsint, ut Collegium constituant. Nonnulli putant, etiam secundam Missam conventualem, in Vigiliis, quatuor Temporibus, et feriis Quadragesimae dicendam, esse de praecepto;

---

(1) Berardi, *Praxis Confessar.,* n. 507, V, e), haec habet: « Circa tempus, intra quod Missae adventitiae celebrari debent, regula ordinaria est ut celebrentur *infra mensem,* iuxta responsum S. C. C. (17 Jul. 1755). S. Lig. tamen (VI, 217) id restringit ad Missas pro defunctis; quoad alias enim probabile censet « nequaquam peccare sacerdotem qui dicit Missam promissam infra duos menses ». Et Gousset (II, 299) absolute dixit: « Si (quod saepe evenit) ille qui honoraria dedit, intentionem suam non manifestaverit, si nullum tempus pro celebratione Missarum constituerit, communis (in Gallia) est opinio, sufficere si intra duos menses celebrentur ». Sed in hoc locorum consuetudines (quae propter penuriam vel multitudinem Sacerdotum legitime variare possunt) considerandae erunt. Apud nos adhuc praevalet persuasio quod infra mensem celebratio regulariter exequi debeat. Dilatio autem, quae tres vel quatuor menses excedat, merito gravis censeri potest (Gury, II, 369).

alii autem id negant; et probabiliori huic sententiae subscribit etiam *Eugenius a Rumil.* in suo Caeremoniali, qui tamen addit, eam ex pio, et antiquo usu in nostris quoque Ecclesiis celebrandam esse. — Missa vero conventualis non pro singulari stipendio, sed pro Fratribus, et Benefactoribus applicari debet. Si enim ex praecepto divino, ut ait *Conc. Trid.* Sess. 23 de Ref. c. 1, Parochi, et animarum curatores diebus dominicis, et festis pro commissis sibi ovibus Sacrificium offerre tenentur: certe etiam Praelati Regulares pro suis subditis, quorum curam gerunt, Missas applicare obligantur. Ut autem idem etiam pro Benefactoribus fiat, non quidem rigorosa justitia, uti in Ecclesiis Collegiatis, in quibus cum injuncta hac obligatione beneficia erecta fuerunt, sed tamen gratitudo exigit. — Huic Missae conventuali juxta piam et antiquam Ordinis consuetudinem, omnes Fratres intervenire debent, quod etiam in Capit. Gen. 1847 (Ordin. Cap. 1, n. 4) praeceptum est. Omni jure ergo reprehendi, vel etiam corripi merentur, qui hanc Missam sine legitima causa negligunt.

3. Orationis exercitio Fratres Minores semper cum maximo fervore insistere debent; quia illud S. Pater, Christi vestigiis inhaerens, et summopere dilexit, et maxime commendavit. Quapropter (Opusc. S. P. Orac. 3) ait: « Orationis gratia viro Religioso firmiter desi-« deranda est, sine qua nihil in Dei servitio prosperabitur, nec aliquid « ab ipso consequetur ». — In quae verba *Bernardus Bonon.* (Lect. 8, § 4) ait: « Si observantia regularis in quodam Ordine « deficit, non aliunde id repetendum est, nisi ex eo, quia deficit « spiritus orationis: et ad observantiam regularem restaurandam non « magno reformationis strepitu opus est; sed spiritum orationis re-« suscitare oportet, qui omnia docet, omnia corrigit, omnia perficit ». Summo autem studio insistendum est *orationi mentali,* seu *meditationi,* quam ut praecipuum perfectionis acquirendae medium SS. Patres, et Ascetae passim commendant. « Omnis profectus, ait *S. Isi-« dorus* (de summ. bon.), ex lectione, et meditatione procedit; quae « enim nescimus, ex lectione discimus, meditationibus conservamus »: et *S. Augustinus* ait: « Quanto magis homo mala sua intelligit, « tanto amplius suspirat, et gemit; meditatio siquidem parit scien-« tiam, scientia compunctionem, compunctio devotionem, devotio com-« mendat orationem » (lib. de Medit.). Praesertim vero Religiosis quotidiana haec meditatio necessaria est, ita ut *Cajetanus* dicat: « Non Religiosi, sed ne spiritualis quidem viri nomine dignus est,

« qui saltem semel in die se ad hujusmodi non transfert ». Imo Religiosus, neglecta meditatione, facillime a recto tramite deviat. Ut enim in hoc persistat, et progrediatur, debet cor suum a rebus terrenis, ad quas natura inclinat, avellere, et variis praescriptis austeritatibus, a quibus natura refugit, se subjicere: neutrum autem prompto, ac constanti animo perficiet, nisi fervida veritatum fidei meditatione continuo roboretur; sed hujus beneficio destitutus, austeritates religiosas nimis duras judicabit, regularis disciplinae jugum excutere conabitur, et mundanarum rerum amore misere corrumpetur. Sapientissime ergo Constitutiones nostrae duas Orationis mentalis horas praescripserunt; et, ut a Fratribus non negligantur, Superiores cum maxima solertia invigilare debent.

4. De caetero praecipuae Orationes, a Fratribus persolvendae, sunt: *Officium B. V. Mariae, Litaniae Sanctorum, Officium Defunctorum, Psalmi poenitentiales, et graduales,* etc. Orationes istae certis diebus a Rubricis praescribuntur, atque ideo quaesitum est, an Fratres sub gravi ad illas recitandas obligentur? — Ad hanc quaestionem cum distinctione respondendum est. Certum enim est, omnes Fratres ad Officium divinum obligatos non solum in choro, sed etiam extra chorum, obligari sub gravi ad recitationem Officii Defunctorum in commemoratione omnium Fidelium defunctorum, et Litaniarum OO. SS. in Festo S. Marci, et in tribus diebus Rogationum. Hoc idem nonnulli etiam senserunt de Officio B. V. M. in diebus a Rubricis assignatis. Sed contrarium sentiunt, qui post Bullam a Pio V editam anno 1568 scripserunt, ut *Marchantius, Politius, Leander, Ludov. Paris., Bernardinus Gand.,* et alii, qui eidem Bullae innixi dicunt, Fratres ne in choro quidem sub gravi obligari ad dicendum statutis a Rubricis diebus Officium B. M. V., vel Officium Defunctorum, vel Psalmos poenitentiales, aut graduales, etc. Certum est autem apud omnes, Fratres ad praedicta recitanda extra chorum sub gravi obligatos non esse. Quamvis autem etiam nos Capuccini ad haec sub gravi non obligemur, convenientissimum tamen est, ut quotidie, prout S. nostrae Constitutiones praescribunt, Officium Marianum dicamus, et juxta antiquissimam Ordinis consuetudinem Litanias Lauretanas, et S. Rosarium recitemus (1), tum quia

(1) Maxime reprehendendi fratres qui saltem tertiam Rosarii partem haud recitant ex incuria, levitate, etc. Tales enim tot censores habent coram Deo, quot pii saeculares etiam laboribus excessive addicti tantam devotionem nec

tenera ad B. V. Mariam devotio juxta unanimem Doctorum sententiam utilissima est, tum quia Congregatio nostra B. V. Mariam immaculate conceptam ut Patronam sibi elegit.

§ 41.

V. De Orationibus a Laicis recitandis.

TEXTUS. *Laici vero dicant viginti quatuor Pater noster pro Matutino, pro Laudibus quinque, pro Prima, Tertia, Sexta, et Nona, pro qualibet istarum Horarum septem; pro Vesperis autem duodecim, pro Completorio septem; et orent pro Defunctis.*

1. Imposita Clericis obligatione, et praescripto modo Officium divinum persolvendi, modus nunc Fratribus Laicis praescribitur, quomodo pro suo posse, cum litterati non sint, debeant Deum collaudare: injungitur enim ipsis, ut quotidie juxta ordinem in Regula clare determinatum, septuagies sexies Orationem Dominicam recitent, quae incipit: *Pater noster* etc. Neque dubitari potest, Laicos ad hoc sub gravi obligari (1); cum enim Regula dicat primo: *Clerici faciant* etc., et dein: *Laici dicant* etc., patet, hos eadem obligatione sicut illos obstringi. In priori vero propositione juxta declarationem *Clementis V*, continetur praeceptum aequipollens: ergo etiam in posteriori, quamvis praedictus Pontifex expresse hoc non indicaverit; quia probabilius id totum, quod hic in Regula legitur, ut unum praeceptum aequi-

---

semel praetermittunt. Heu! quid dicendum foret de fratre qui pro mariana devotione non faceret quod in familiis saecularibus mediocriter piis quotidie fieri videmus? « Jamvero id perpendentes Catholicorum gentes, dum inferorum portae « quotidie audaciores fiunt in bello adversus Ecclesiam urgendo, probe sentiunt « quantopere oporteat in potentissimam Dei Matrem augere fervorem, augere « fiduciam, ut per Rosarii preces exorata, nomini Christiano et Apostolicae « Cathedrae propitia succurrat.... » (S. Rit. C. 5 Aug. 1888). Maxime item commendanda recitatio Coronae franciscanae.

(1) Laici votorum simplicium non tenentur ad onus recitandi *Pater* etc. Hac in re enim aequiparantur fratribus clericis votorum simplicium.

pollens tum Clericos, tum Laicos afficiens consideravit. *Corduba* jam ex antiquissimis Regulae Expositoribus ostendit, hanc semper in Ordine persuasionem viguisse, quod Laici sub gravi orationem sibi injunctam recitare teneantur; ejusdemque sensus etiam recentiores Expositores esse, testatur *Viator a Cocaleo*. Ideo, quae (§ 39) de modo recitandi Officium divinum dicta sunt, etiam a Laicis probe attendi debent. Possunt autem, uti *Philippus a Castel.* dicit, etiam Laici alternative, seu quasi in choro, injunctas sibi orationes persolvere; sed ita, ut omnia intelligibili voce pronuntient, non antea pergant, quam altera pars finierit, et locum, ac tempus eligant, quo alios non perturbent. Possunt etiam juxta ejusdem auctoris sententiam 24 Pat. nost. pro Matutino, et 5 pro Laudibus anticipare; et graviter peccant 8 vel 10 Pat. nost. omittentes.

2. Nonnulli putarunt, Laicos obligari, ut quoties orationem dominicam recitant, toties etiam Salutationem Angelicam *Ave Maria* etc. dicant. Ipse *Corduba* ad hanc propendet sententiam; et *Politius* ait: « Forte ex consuetudine (licet non ex Regula) aliqualiter tenentur, « cum totidem in Ordine *Ave Maria* quot *Pater noster* dici consue- « verint ». — Sed tamen communior, et solidior sententia est, Laicos ad hoc sub gravi non obligari: quia ad hoc neque per Regulam, neque per Pontificum decreta, neque etiam per consuetudinem obligantur, quae omnino laudabiliter quidem ex pia erga B. V. Mariam devotione, sed non ex animo se graviter obligandi introducta fuit. Sicut autem Clericis Officium marianum in Constitutionibus injungitur; ita convenit, ut etiam Laici praefatum Salutationum Angelicarum numerum nullatenus omittant. Has autem non praescriptis Orationibus dominicis jungere, aut inserere, sed (finita saltem una Hora) separatim dicere debent.

3. Regula Laicis etiam praescribit, ut *orent pro Defunctis* (1). In prima Regula S. Pater ipsis ad hunc finem 7 *Pater noster* cum *Requiem aeternam* injunxit: modo haec oratio ipsorum arbitrio relicta est. Consulunt autem Expositores, ut Laici quamlibet Horam, quam convenientissime per *Deus in adjutorium* etc. et *Gloria Patri* etc. incipiunt, recitando Psalmum *De profundis* etc. vel saltem

(1) Optima norma est Provinciarum consuetudo. Verum quoad conscientiam, difficulter habetur peccatum ex hoc capite: etenim nullus est laicus qui quotidie non oret pro defunctis sive in choro, sive alibi.

Requiem aeternam etc. concludant. Suadendum autem ipsis est, ut etiam alias orationes pro Defunctis persolvant, et praecipue *Viam crucis* frequenter, et devote visitent, per quam devotionem multas indulgentias pro se, et pro Defunctis lucrari possunt.

ARTICULUS II.

§ 42.

De Jejunio.

Jejunium saluberrimum esse tum ad vitia extirpanda, tum ad virtutes acquirendas, unanimi consensu SS. Patres, et Doctores profitentur. « Quid enim, ait *S. Leo* (S. 2, de jej.), potest efficacius « esse jejunio, cujus observantia adpropinquamus Deo, et resistentes « diabolo vitia blanda superamus? — Semper enim virtuti cibus « jejunium fuit ». — Imo ad pravam carnis concupiscentiam refraenandam jejunium necessarium esse, ipse Christus docet, de spiritu immundo dicens: *Hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione, et jejunio* (Marc. 9, 28). Sapientissime ergo S. Pater ordinavit, ut Fratres cum oratione etiam jejunium conjungant, de quo in isto capite leges suas promulgat. Considerare ergo oportet 1. *tempus pro jejunio Fratrum praescriptum,* 2. *modum in jejunio observandum,* et 3. *causas a jejunio Fratres excusantes.*

§ 43.

I. Tempus pro jejunio Fratrum praescriptum.

TEXTUS. *Et jejunent a Festo Omnium Sanctorum usque ad Nativitatem Domini. Sanctam vero Quadragesimam, quae incipit ab Epiphania usque ad continuos quadraginta dies, quam Dominus suo sancto jejunio consecravit, qui voluntarie eam jejunant, benedicti sint a Domino, et qui nolunt, non sint adstricti: sed aliam usque ad Resurrectionem Domini jejunent. Aliis autem temporibus non teneantur, nisi feria sexta jejunare.*

In citatis Regulae verbis quatuor distincta tempora pro jejunio, a Fratribus observando, assignantur. S. Pater enim hic loquitur *primo* de jejunio, a Festo OO. SS. usque ad Nativitatem Domini servando, *dein* de jejunio, quod nominari solet *benedictum, tertio* de Quadragesima, quae praecedit Festum Paschatis, ac *demum* de jejunio feriis sextis injuncto.

1. Certum est apud omnes, quod primum jejunium, incipiens a Festo OO. Sanctorum, et durans per 53 dies usque ad Nativitatem Domini, sub gravi omnes Fratres professos obligat. Nam etiam *Clemens V* (C. *Exivi*) inter praecepta aequivalentia hoc quoque recenset, « quod jejunare a Festo Omnium Sanctorum usque ad « Natalem Domini teneantur ». — « Quod, ait *Politius*, exclusive « secundum omnes intelligitur; nec enim ipso omnium Sanctorum « die, nec ipso Domini Natali jejunandum est, nisi (vel Festum OO. « SS. vel) ipse Natalis dies sexta feria venerit: tunc enim jejunare « debemus respectu sextae feriae, non autem respectu Quadragesimae « OO. SS. nobis ex Regula praeceptae ».

2. Jejunium, incipiens a Festo Epiphaniae, et per quadraginta dies continuandum, Fratribus, uti S. Regulae verba satis clare ostendunt, non praecipitur, sed a S. Patre duplici ratione commendatur: primo quidem, quia juxta vetustissimam traditionem hoc ipsum tempus rigidissimum Christus *Dominus* in deserto *suo sancto jejunio*

consecravit; et secundo, quia illis, qui non necessitate compulsi, sed bona voluntate moti hoc jejunium observant, magna benedictio divina promissa est, quam absque dubio S. Franciscus in coelo jejunantibus impetrabit. Istae duae rationes tales sunt, ut quemlibet Fratrem Minorem incitare debeant ad voluntarium hoc jejunium cum debito rigore, et cum sancto gaudio observandum. Congregatio Capuccinorum a suis incunabulis hoc jejunium rigorose observavit; et ut haec observantia in Ordine nostro nunquam deficiat, omnibus viribus adlaborandum est. Teste *P. Bernardo Bon., P. Matthias a Salodio,* vir omnium virtutum genere insignis, praedixit: « Quamdiu hoc je-« junium apud nos Capuccinos fideliter observabitur, Religio nostra « in regulari disciplina florebit; quia benedictio, a S. Patre promissa, « multum nos juvabit, et egregios fructus feret ». Qui benedictionem istam flocci faciens, ex mera sensualitate jejunii jugo se submittere recusat, satis ostendit, se carnis potius, quam spiritus principia sequi, longeque remotum esse ab illa mortificatione Jesu, quam S. Pater semper in suo corpore circumferebat. Per accidens, ait *Viator a Cocaleo,* posset etiam Capuccinus tempore hujus Quadragesimae publice, i. e. coram saecularibus, carnem comedens, graviter peccare, si id in magnum Religionis dedecus, aut in grave saecularium scandalum (1) cederet: ideo, ait idem auctor, qui hoc jejunium observare non vult, intra Conventus claustra maneat, nec ad prandia saecularium se conferre praesumat. Non interdicitur tamen illis, qui in alienis Ecclesiis servitia spiritualia praestare debent, ut ad evitandas, quas alias causarentur, molestias cum Parochis, aut Curatis carnes comedant; quoniam illis jam notum esse solet, hoc jejunium obligatorium non esse. Si autem qualitas ciborum Fratrum arbitrio relinquatur, convenientissimum sane est, ut cibos esuriales eligant. — In genere loquendo Superiores non possunt Subditos suos ad hujus jejunii observantiam obligare; quia in Regula expresse dicitur: *Et qui nolunt, non sint adstricti.* Attamen ex gravi causa hanc obligationem imponere possunt; « et, ait *Politius* (n. 52), si a suo Praelato ex causa « ad id sufficiente, tale alicui subdito jejunium imponatur, tenetur « subditus illud acceptare: quoniam multa sunt, ut dixit *Gerson.* « (reg. mor. 2 P.), ad quae homo non tenetur simpliciter, aut regu-« lariter, ad quae tamen ex causa, aut ex sua culpa obligari quandoque

(1) Tamen vix dari potest casus hujus scandali et dedecoris gravis. Unde caveant confessarii ab omni imprudenti judicio.

« potest. Quando autem causa sufficiens censenda sit ad imponendum « alicui tale jejunium, praelatorum est, non subditorum judicare. Et « periculosum est subditis, proprium in his sensum pertinaciter sequi « contra mandata Superiorum: et vitium singularis relaxationis, et « forte scandali erit, si quis nollet jejunare absque aliqua justa ad « id causa, tota communitate jejunante, vel abstinente a carnibus » (1). — Addit *Bernardinus Gandav.*, quod Superiores non sint obligati, ut tali carnes procurent; tum quia ad has exigendas nullum jus habet, tum quia vita communis ab ipsis Rom. Pontificibus maxime commendatur. Cum prudentia autem, discretione, et charitate hac in re procedere debent Superiores, ne majora mala producant: et in collatione non parci sint, ut etiam invitos ad jejunium cogere videantur.

3. Fratres tempore Quadragesimae ante Festum Paschatis ad jejunium obligari, in confesso est apud omnes. Nonnulli autem putant, quod solum per legem ecclesiasticam, non autem per praeceptum Regulae ad jejunandum obligentur: tum quia multa sunt in Regula ex jure divino, et ecclesiastico obligatoria, quae tamen ex vi Regulae non obligant specialiter; tum quia *Clemens V* enumerans praecepta aequipollentia, jejunium a Festo OO. SS. usque ad Natalem Domini, et feriis sextis, non autem jejunium Quadragesimae ante Pascha expressit. — Ast haec sententia merito ut falsa rejicitur, quod probatur: 1. *ex ipsa Regula,* quae iisdem verbis utrumque jejunium proponit, dicens: *jejunent a Festo* etc., et: *aliam usque ad Resurrectionem Domini jejunent:* absonum autem est, in priori, et non in posteriori propositione praeceptum Regulae agnoscere, praecipue cum haec propositioni immediate praecedenti opponatur, in qua pro jejunio benedicto nulla obligatio imponitur. Idem confirmant subsequentia Regulae verba: *Aliis autem temporibus non teneantur nisi sexta feria jejunare.* « Non enim, ait *Politius,* ista verba « intelligi possunt absolute, ac si Fratres non teneantur ad alia « jejunia a supradictis in Regula. Hoc enim esset contra determina- « tionem *Clementis V* in C. *Exivi* dicentis, per hoc nos non absolvi « a jejuniis ab Ecclesia institutis. Sunt enim alia jejunia Ecclesiae,

(1) Cum tamen gravissima sit poena impositio tot jejuniorum, rarissime evenire potest, ut haec licite pronuntietur. Melius ergo est, ut Superior exemplo, mansuetudine, etc. optatum finem prosequatur. Et in coenobiis vere observantibus difficulter invenientur fratres quadragesimam *Benedictae* haud servare volentes.

« ut vigiliae et quatuor tempora, ad quae secundum Constitutionem « praedictam ex praecepto tenemur Ecclesiae. Cum ergo praedicto « modo intelligi citata verba non possint, necessario intelliguntur, « quod Fratres non teneantur ex vi Regulae ad alia jejunia, quam « ad ea, quae in Regula expressa sunt; et quia in Regula Quadra- « gesimae OO. SS., Resurrectionis Dominicae, et sextae feriae jejunia « inducuntur, ad ea ergo ex ipsa Regula videmur adstringi ». Idem probatur 2. *ex auctoritate S. Bonaventurae, et aliorum Doctorum.* S. Bonaventura enim in citata Regulae verba ita disserit: « S. Fran- « ciscus loquitur de triplici Quadragesima, duas praeceptorie imponens, « tertiam ad devotionis excitationem suadens. Tres siquidem leguntur « 40 diebus continue jejunasse, nempe Moyses, Elias, et ipse Dominus. « Duplex autem est jejunium, scilicet moeroris, et gaudii. Jejunium « moeroris est, quo carni placentia cibaria studio poenitentiae carni « abscinduntur. Jejunium vero gaudii est, cum ipsum cor tantis est « inunctum spiritualibus deliciis, ut poena sit vacare mensis, et est « per consequens delectabile jejunare, cum jejunatur, non ut corpus « affligatur, sed ne devotio interrumpatur, qua spiritus recreatur. « Jejunium Moysis significat moerorem pro deletione culpae; jejunium « Eliae significat moerorem pro amotione omnis miseriae: primum « signat jejunium quadragesimae hiemis; secundum signat quadra- « gesimam veris: vel melius, prima Quadragesima refertur ad peccata « praeterita expianda; secunda ad futura imminentia praecavenda. « Jejunium autem Christi significat jejunium gaudii, quo non tantum « a cibis carnalibus, sed et ab omni terrena delectatione delectabiliter « abstinetur: idcirco B. Franciscus *duas Quadragesimas praeci-* « *piendo imposuit,* tertiam vero cum benedictione Dei suasit, sciens « eam devotione sola, et non aliqua coactione adimpleri debere ». Hanc S. Bonaventurae sententiam plerique Regulae Expositores secuti sunt, quod jam *Politius* testatus est, dicens: « Communiter Regulae « Expositores, tum qui ante declarationes Nicolai III et Clementis V « extiterunt, quam qui post illas; et communiter S. Patres, et Doctores « Ordinis ab initio hucusque semper intellexerunt, et docuerunt, ad « dictam nos Resurrectionis Dominicae Quadragesimam ex vi Regulae « teneri ». Idem omnino sentiunt Expositores recentiores, ut *Bernardinus Gandav., Philippus a Castel., Bernardus Bonon., Viator a Cocaleo,* etc. etc. Aliter quidem sensit, et scripsit *Cyprianus Crousers;* sed hujus sententia a Censoribus Romanis reprobata, et ex ejus opere expuncta fuit. — Falsitas hujus, et veritas prioris sententiae

confirmari potest 3. *ex auctoritate Clementis V,* quamvis inter praecepta aequipollentia jejunium Quadragesimae praecedentis Festa paschalia non exprimat: nam Summus hic Pontifex praecepta quidem aequipollentia indigitavit, et quoad numerum determinavit, sed non ex integro exposuit; verum initio insinuato, in textu legenda relinquit, prout e. g. de oratione Laicis vere praecepta verba non fecit. Inferius autem Clemens V aperte loquitur de « duobus temporibus annotatis in Regula — a Festo OO. SS. usque ad Nativitatem Domini, et maximae Quadragesimae, in quibus jejunare tenentur ». Praeterea idem Pontifex declaravit, « quod, ubi in Regula reperitur haec vox: *teneantur,* habet vim praecepti ex Regula ». Atqui in Regula ponitur hoc verbum « *teneantur* »; quia, ut supra dictum est, in oppositione ad jejunia OO. SS. Quadragesimae, et feriae sextae dicitur: *aliis temporibus non teneantur jejunare:* juxta ipsam declarationem Clementis V in Quadragesima Resurrectionis ex praecepto Regulae obligamur jejunare. — Ex certa hac sententia, uti observant *Philippus a Castel., Bernardus Bonon.* et *Viator a Cocaleo,* duo magni momenti corollaria sequuntur: *primo,* quod professi, licet vigesimum primum aetatis annum non compleverint, ad hoc jejunium obligentur; et *secundo,* quod dispensationes, et indulta pontificia pro Quadragesima concessa non afficiant Fratres Minores, nisi specialiter (1) declaretur,

(1) Indulta Fratres Minores non excludunt, quando hanc vel similem clausulam habent: « etiam Regularibus utriusque sexus *speciali voto haud obstrictis* ». Secus si dicatur: « *statutis vel regula haud obstrictis* ». Speciale votum habent, ex. g. Minimi. — In materia qualitatis ciborum, omnes Minores prae oculis habeant sequentem declarationem S. Officii: — « Beatissime Pater, — P. Fr. Bernardinus a Portu Romatino Minister Generalis Ordinis Minorum, praemisso osculo SS. Pedum, humillime supplicat S. V. quatenus, ad tollendas suorum Fratrum ubique terrarum existentium animi anxietates, simulque ad subveniendum eorum infirmitati, declarare, aut concedere dignetur: Indulta quae ab Episcopis, in respectivis Dioecesibus, quoad jejunium S. Quadragesimae et alia jejunia infra annum omnibus fidelibus injuncta, promulgantur, comprehendere etiam Regulares, non obstante quod Episcopi in praefatis Indultis de Regularibus nullam mentionem faciant (prout usuvenit in fere omnibus dioecesibus extra Italiam), et quamvis in aliquibus dioecesibus ea conditio Indulto utentibus imponatur, quae a Regularibus impleri nullatenus potest, erogandi scilicet, et apud Curiam Episcopalem deponendi aliquam pecuniae summam in pia opera impendendam. Pro qua gratia... — *Feria IV die 20 Decembris 1871. — S. Congr. S. Officii respondere censuit, Regulares speciali voto abstinentiae a carnibus non adstrictos, gaudere Indulto circa observantiam ciborum tempore Quadragesimae et per annum pro fidelibus promulgato ab Ordinariis locorum nomine S. Sedis Apostolicae. — I. Pelami, S. Rom. et Univ. Inquisitionis Not.* ».

ad ipsos quoque dispensationem pertinere; quia si dispensatur in lege ecclesiastica, non ideo in praecepto Regulae dispensatum esse censeri potest. — Hujus jejunii initium antiquitus varium erat, quod testatur *Petrus Blesiensis* (Serm. 13), dicens: « Jejunium quadragesimale « Regulares Coenobitae incipiunt a Septuagesima, Graeci vero a « Sexagesima; Clerici nostri auctore *Telesphoro,* a Quinquagesima, « universus exercitus christianae militiae, juvenes et virgines, senes « cum junioribus, ab hac Quadragesima ». *Telesphorus* nimirum (cap. *Statuimus* dist. 5) dicit: « Statuimus, ut septem hebdomadas plenas « ante S. Pascha omnes Clerici a carne jejunent; quia sicut discreta « esse debet vita Clericorum a Laicorum conversatione, ita et in jejunio « debet esse discretio ». Hoc idem in specie Fratribus Minoribus praescribitur in Statutis Farinerii, et hujus Statuti observantiam nominatim *Julius II* inculcavit. Ideo in variis Fratrum Minorum provinciis usus invaluit, ut jejunium, seu saltem abstinentia a carnibus feria secunda post Quinquagesimam inciperetur. Notant tamen Theologi, quod ad id non obligemur; quia lex a Telesphoro lata jam dudum abrogata fuit, et hoc idem dicendum est de Statuto Farinerii a Julio II inculcato: quamvis enim contraria consuetudo in varias provincias introducta fuerit, non legitur tamen, quod Capitula generalia praedicti Statuti vel transgressionem punierint, vel observantiam ut obligatoriam praescripserint. In Capuccinorum Congregatione haec observantia diu viguit, in nonnullis Provinciis etiamnum viget, et maxime sane commendanda est, ut pro peccatis intemperantiae, quae illis diebus committi solent, aliqua satisfactio praestetur, atque saecularibus bonum exemplum praebeatur.

4. S. Pater etiam praecepit, ut Fratres per integrum annum qualibet *sexta feria* jejunent: « quia, ait *S. Bonaventura,* illa die « voluit Dominus crucifigi ». Hoc jejunium feria sexta praescriptum *Clemens V* expresse praeceptis aequipollentibus adnumeravit. Qualibet ergo sexta feria Fratres non solum ad abstinentiam a carnibus, ut reliqui Christiani, sed etiam ad rigorosum jejunium, uti in diebus Quadragesimae obligantur; in quo omnes Expositores regulae consentiunt. Idem jejunium etiam observandum est, si Festum Nativitatis Christi in feriam sextam incidat; nam S. Franciscus solemnem hunc diem equidem in Regula pro secundo, et tertio, non autem pro primo Ordine a jejunio exemit, ac ideo Fratres Minores frustra sibi de exemptione blandiuntur. Accedit, quod Canon ecclesiasticus, qui saecularibus facultatem tribuit feria sexta, in quam incidit Natalis Do-

mini, carnes comedendi, illos excipit, qui voto, vel regulari observantia ad jejunium sunt adstricti. Obligationem Fratrum, in Natali Domini incidente in feriam sextam jejunandi, communis Doctorum consensus, ipsaque Ordinis consuetudo confirmat.

5. Ex Regulae verbis: *aliis autem temporibus non teneantur nisi sexta feria jejunare,* nonnulli intulerunt, Fratres ad alia, e. g. in vigiliis, et quatuor temporibus, non obligari: quia licet S. Franciscus non potuisset Fratres suos a legibus ecclesiasticis eximere, id tamen potuit, et voluit Honorius III regulam confirmando. Ast errant (1), qui ita sentiunt. Sensus enim citatorum regulae verborum est, Fratres *vi regulae* non ad alia jejunia teneri, quin ideo obligatio aliunde proveniens negetur; neque putandum est, in alio sensu Honorium III regulam confirmasse. Rem extra omne dubium posuit *Clemens V* qui (C. *Exivi*) in citata verba ait: « Ex hoc voluerunt « aliqui dicere, quod dicti Ordinis Fratres non tenentur, nisi ex « condecentia ad alia jejunia, quam ad ista; declaramus debere in- « telligi, eos non teneri ad jejunium aliis temporibus, praeter quam « in jejuniis ab Ecclesia constitutis: non est enim verisimile, quod « vel Institutor Regulae, vel etiam Confirmator absolvere ipsos in- « tenderit a servandis illis jejuniis, ad quae de communi statuto « Ecclesiae obligantur caeteri Christiani ». Ad haec vero mere ecclesiastica jejunia Fratres non rigorosius quam caeteri Christiani obligantur; et in eisdem, nisi expresse excipiantur, ut reliqui, indultis pontificiis uti possunt.

§ 44.

II. Modus in jejunio observandus.

Lex jejunii, a S. Patre juxta antiquam et universalem Ecclesiae consuetudinem lata, duo praecepta in se continet: quia praescribit tum abstinentiam a cibis prohibitis, tum abstinentiam a secunda refectione. Et quia S. Pater circa hanc duplicem abstinentiam specialem normam non praescripsit, jure infertur, Fratres in jejunio servando Ecclesiae consuetudinem sequi posse, et debere.

(1) Honorius III nullo pacto id voluit, nec vel minimum hujus rei existit fundamentum quod tam absurdam opinionem faciat vel levissime probabilem.

1. In jejunio ecclesiastico quovis tempore abstinentia a carnibus praecepta fuit, quod SS. Patres passim testantur: ergo etiam Fratribus in jejuniis a Regula praescriptis esus carnium graviter est interdictus. *Concilium Trullanum* (can. 56) in tota Quadragesima praeter carnes etiam ova, et lacticinia prohibuit: hunc canonem a Romanis Pontificibus approbatum, ed adoptatum esse, apparet ex Ecclesiae Romanae persuasione, et praxi. Unde merito damnata est ab *Alexandro VII* haec propositio: « Non est evidens, quod con-« suetudo non comedendi ova et lacticinia in Quadragesima obliget ». Dubitari ergo non potest, quod Fratres in jejuniis graviter praeceptis etiam ad abstinentiam ab ovis, et lacticiniis obligentur. Sed tamen circa hanc abstinentiam generalis regula dari non potest: quia in variis locis, et provinciis diversimode observatur; e. g. in Vigiliis, et quatuor Temporibus abstinendum est ab ovis, et lacticiniis in Statu Pontificio, non autem in Lombardia; imo in Germania ob penuriam olei etiam in Quadragesima ova et lacticinia passim permittuntur. — Ideo, quod attinet ad abstinentiam ab ovis et lacticiniis, unusquisque debet observare legitime introductam consuetudinem loci, in quo versatur. Unde *S. Hieronymus* (Ep. ad Luc.) de jejuniis loquens ait: « Unaquaeque provincia abundet in suo sensu, et praecepta majorum leges apostolicas arbitretur ». Et *S. Augustinus* (Ep. 86) scribit: « In his rebus, de quibus nihil certi statuit Scriptura sacra, « mos populi Dei, vel instituta majorum pro lege tenenda sunt ». Communis est etiam Theologorum sententia, circa abstinentiam ab ovis et lacticiniis regionis consuetudinem servandam esse. Huic autem etiam Fratres Minores se conformare posse, testatur *Corduba* dicens: « Quadragesimales cibi sunt illi, in quibus secundum jus ca-« nonicum jejunatur in diebus jejunii ecclesiastici, considerato more « Ecclesiae, Dioecesis, seu regionis, in quo morantur Fratres ». — Equidem in nostro Capitulo generali anno 1618 decisum fuit, in jejuniis a Regula praescriptis ab ovis et lacticiniis abstinendum esse; sed tamen Ministris Provincialibus facultas data est, ut cum consensu Definitorum ob penuriam olei usum butyri permittant. Exinde concludit *Bernardus Bononiensis*, quemlibet Fratrem consuetudinem suae Provinciae observare posse, et debere. Et *Philippus a Castel.* ait: « Cum obligatio circa praedictam abstinentiam a consuetudine « dependeat, pro praxi — in jejunio mere ecclesiastico attendatur « praxis Cleri, et Saecularium timoratorum: in jejunio vero a Re-« gula praescripto servetur usus Provinciae, etiam a piis Religiosis « receptus ».

2. In diebus jejunio consecratis unica tantum refectio licita est. Qui ergo lege jejunii obstringuntur, nullatenus cibis esurialibus pro libitu vesci, sed una tantum vice his usque ad satietatem christianae temperantiae conformem refici possunt. Unica haec refectio prioribus Ecclesiae saeculis hora nona, i. e. tertia pomeridiana, extra Quadragesimam sumebatur, et intra Quadragesimam usque ad vesperas differebatur. Saeculo decimo tertio mos obtinuit, ut omnia jejunia indistincte solverentur hora nona, seu tertia pomeridiana. Pedetentim mos invaluit, in diebus jejunii, circa meridiem refectionem sumendi; et haec consuetudo modo universalis facta est, vidente et annuente matre Ecclesia hominum infirmitati indulgente. Hanc consuetudinem etiam Fratres Minores tuto sequi possunt: quinimo Regulares tempus refectionis una hora parva, seu tribus horae quadrantibus anticipandi privilegium habent, quod primo ab *Innocentio VIII* Monachis Cassinensibus concessum, dein a *Clemente VII* ad omnes Regulares extensum, longaque consuetudine firmatum est, ut dicit *Viator a Cocaleo*. Notabiliter autem horam jejunii absque rationabili causa praevenire, juxta communiorem sententiam mortalis est culpa, ut dicunt *Cajetan., Navarrus, Sylvius, Marchantius, Politius, Billuart,* et alii. Quod si quaeratur, quae anticipatio censeatur notabilis, respondet *Sylvius,* anticipationem mediae horae certo esse levem, anticipationem duarum horarum esse certo notabilem, anticipationem unius horae esse probabiliter notabilem. Hoc ultimum vero durum videtur Cl. *Billuarto,* qui ideo notat, majorem vel minorem causam requiri pro majori, vel minori anticipatione, et eo majus, vel minus esse peccatum, quo plus, vel minus causa accedit ad sufficientiam, vel ab ea recedit.

3. Diu ignota fuit in Ecclesia *coenula vespertina*, quae dicitur *collatio,* quia originem sumpsit a nonnullis Monachis, quibus etiam in Quadragesima permissum erat, ante Completorium et Officium Defunctorum sumere potum cum frustulo panis, aut alterius cibi in refectorio, ubi lectio aut collatio spiritualis habebatur: de caetero cum antiquitus permitteretur refectio, quae sumenda erat in Quadragesima hora vespertina, et in aliis jejuniis hora tertia pomeridiana, non erat locus collationi. Quando autem anticipata est hora refectionis a vespere, et tertia pomeridiana ad meridiem, mox coenula vespertina seu collatio per consuetudinem introducta fuit ex indulgentia matris Ecclesiae hanc relaxationem in sua lege tolerantis. Ideo unanimiter Theologi hanc collationem non solum pro Saecularibus, sed etiam pro

Regularibus licitam dicunt, et hanc licentiam etiam ad Fratres Minores spectare, cum Expositoribus ipsa praxis timoratorum ostendit. Sed circa *qualitatem*, et *quantitatem* ciborum sumendorum in collatione, Theologi maxime dissentiunt. Circa *qualitatem* quidam permittunt solum panem cum vino; sic *Viator a Cocaleo* dicit: « Inter « Capuccinos mos viget (1), in collatione praeter portionem vini, et « frustulum panis nihil sumendi »; alii cum pane fructus arborum crudos, poma, pira, uvas, etc. permittunt; et etiamnum Capuccinorum Provinciae dantur, quae hanc sententiam sequuntur; quidam pisciculos paucos, non coctos, sed fumo duratos, aut aceto maceratos licitos dicunt; alii etiam coctos, item legumina cocta, imo et jusculum coctum permittunt, dummodo ova, et lacticinia non misceantur; alii demum cum *Cajetano, Bonav., Marchant., Sporer,* etc., docent eosdem cibos, qui in die jejunii licite sumuntur in prandio (2), licite etiam sumi in collatione, dummodo servetur debita quantitas. — « In tanta opinio- « num varietate, ait cl. *Billuart,* rectius docere mihi videntur, qui di- « cunt, standum esse consuetudini regionis, in qua quis vivit: quia cum « collatio ortum habeat a consuetudine, etiam consuetudine modus ejus « regi debet ». Juxta hanc regulam etiam Fratres Minores quoad qualitatem ciborum legitimam suae Provinciae consuetudinem, quam etiam timorati Religiosi observant, tuta conscientia sequi possunt. — Circa *quantitatem* non minus dissentiunt Auctores, quam alii ad unam panis unciam cum dimidia restringunt, alii ad duas, alii ad tres, quatuor, quinque, sex extendunt: alii vero assignant pro quantitate collationis leve, aut semiplenum jentaculum, alii quartam, alii quintam, alii sextam partem ordinariae refectionis. — Sed his sententiis ut arbitrariis rejectis, Cl. *Billuart* ait: « Duo sunt attendenda, juxta quae regi debet « quantitas collationis. Primum est consuetudo cujusvis regionis *inter* « *timoratos* recepta: non enim est una in omnibus; sic in frigidio- « ribus regionibus plus concedi solet, quam in calidioribus: secundo, « inspicienda est conditio personae jejunantis; plus enim concedi debet « seni seu debili, quam adolescenti, aut robusto: plus voraci, quam « fame carenti. Sicut enim juxta *S. Thomam* quantitas cibi non

(1) *Cocaleus* certo deceptus fuit hujusmodi usum nonnullarum provinciarum universalem dicendo et quidem circa finem elapsi saeculi.

(2) Id vix dici potest, etiam quando abstinentia rigorose servatur. Secus in aliis casibus saltem generatim: imo nunquam, quando adest dispensatio ad carnes in unica comestione. Caute ergo procedendum circa usum talis sententiae.

« oportuit eadem taxari in refectione propter diversas hominum com-
« plexiones, ex quibus contingit, quod unus majori, alter minori cibo
« indiget; ita nec oportuit eadem omnibus taxari in refectiuncula,
« quae permittitur etiam ad indigentiam naturae aliqualiter suble-
« vandam » (Diss. II, de jejun. Art. V, § 4) (1).

4. Potus proprie dictus, qui nimirum ex sua natura, et principaliter ordinatur ad refrigerationem et digestionem, licet aliquo modo nutriat, ut sunt aqua, vinum, cerevisia, sicera, etc., juxta S. Thomam secundum se non frangit jejunium. Sed lac, mel, chocolates etc., non censentur potus; quia licet non dicantur manducari, neque proprie potari, sed sorberi, potius tamen secundum se ordinantur ad nutritionem, quam ad refrigerationem et digestionem, et sic sunt magis cibus, quam potus, et ideo frangunt jejunium. Quantum ad caffee, quamvis aliquo modo nutriat, cum tamen secundum se sumatur principaliter ad refrigerationem et digestionem, videtur habere rationem potus, nec solvere jejunium, nisi forte multum lactis et sacchari immisceatur, et sumatur in magna quantitate. — Etiam potum chocolatis die jejunii tolerat Pontifex *Benedictus XIV:* vix tamen admittit majorem longe cyathum, nec omnino tolerat saepius eadem die iterare (Instit. Eccl. 15, § 10). Quamvis autem potus secundum se non frangat jejunium, attamen per illum graviter peccari potest ratione scandali, praecipue a Religioso, coram Saecularibus in die jejunii immoderate (2) bibendo (Cf. *Billuart,* l. c. § 5).

---

(1) Circa *quantitatem* ciborum teneto tutissimas normas S. Lig. — Cfr. modernos ejusdem S. Doctoris expositores.

(2) Generatim gravis erit solus excessus potus, qui etiam extra tempus jejunii judicatur causa gravis scandali. Iterum ergo cavendum ne graventur conscientiae reatibus scandali dati, nisi res solidis nitatur rationibus, attentis circumstantiis locorum ac personarum. Cfr. Theol. Mor. ubi de voluntario indirecto sive in causa.

§ 45.

III. Causae a jejunio excusantes.

TEXTUS. *Tempore vero manifestae necessitatis non teneantur Fratres jejunio corporali.*

Jejunium tum ab Ecclesia, tum a Regula praescribitur ut opus poenitentiae et mortificationis, et praecipue ordinatur ad carnis concupiscentiam reprimendam, et ad corpus in servitutem spiritus redigendum. Jejunium autem, ut saluberrimos istos effectus producat, corpori quaedam commoda subtrahere, vel etiam incommoda adferre debet. — Merito igitur ipsi quoque Saeculares reprehenduntur, qui propter incommoda, quae ex natura et fine jejunii sentire coguntur, se ab hoc excusatos et dispensatos putant: multo majori autem reprehensione digni sunt Religiosi, qui eosdem fere sensus produnt, ob levia quaeque incommoda dispensationes quaerunt, vel seipsos excusant et dispensant, atque in servando jejunio ita se gerunt, ut de hujus rigoribus nihil sentiant. Nimis sane manifestum est, quantum isti a vocatione sua recedant, cujus tenore multo magis quam Saeculares, semetipsos abnegantes, et crucem tollentes Christum sequi, ac ad exemplum seraphici Patris mortificationem Jesu semper in suo corpore circumferre deberent. Non autem ideo negatur, justas dari posse causas, ob quas etiam Fratres Minores a praescriptis sibi jejuniis excusentur. Ipse S. Pater id innuit dicens: *Tempore vero manifestae necessitatis non teneantur Fratres jejunio corporali.* In quae verba *S. Bonaventura* ait: « Tempore manifestae necessi-« tatis, scilicet propter infirmitatem gravem, vel propter virtutem in « labore inevitabili adeo deficientem, quando scilicet labor incumbens « de necessitate aliter perfici non potest, *non teneantur Fratres « jejunio corporali* ». In eadem verba *quatuor Magistri* dicunt: « Con-« tingit necessitas comedendi aliquando ratione aetatis, aliquando « ratione infirmitatis, vel debilitatis, aliquando ratione laboris, ali-« quando ratione sustentationis ». Eaedem fere causae, ut excusantes a jejunio ecclesiastico, assignantur: declaratione autem aliqua indigent, ut etiam Fratres a jejunio excusent; quia Regula ad hoc *manifestam necessitatem* requirit.

1. Quod *aetatem* attinet, certum est, illos ad jejunium ecclesiasticum non obligari, qui vigesimum primum aetatis suae annum non compleverunt; sed ad jejunium a Regula praescriptum, omnes post emissam professionem tenentur, licet ne vigesimum quidem annum attigerint (1). — Pro senibus nullum tempus ab Ecclesia determinatum fuit, in quo jejunii obligatio cesset: inter Theologos vero nonnulli putant, quod jam sexagenarii, alii quod saltem septuagenarii a jejunio eximantur; quia in tali aetate calor naturalis valde decrescit, ex quo fit, ut ab ipsis in una refectione sufficiens nutrimentum sumi non possit. Sed quia senes dantur, qui in prandio multum comedere valent, multi Theologi dicunt, regulam generalem pro ipsis dari non posse, sed eorumdem dispositionem et vires attendi debere (2). In dubio senex etiam sexagenarius a jejunio ecclesiastico eximi potest, quia pro ipso stat senectutis praesumptio; sed eximi nequit a jejunio praescripto a Regula, quae manifestam necessitatem requirit. Ita sentiunt *Marchantius* et *Anacletus;* hic enim, citatus a *Philippo a Castel.,* dicit: « Ad excusandum in jejuniis Ecclesiae non requiritur

(1) Unde per se « ad jejunia illa, quae in Regula tanquam obligatoria exprimuntur, tenentur Fratres a die suae professionis, in quacumque aetate sint constituti », ait Montalvus. Dixi *per se,* quia debilitas ex sola aetate proveniens, saepe non est verum impedimentum ad professionis emissionem vel observantiam in genere. Sic v. g. novitius qui Ordinem ingreditur aetatis anno 15, si corpore ita crescat, ut probabiliter sanitatis jacturam sit passurus, si per aliquod tempus frequenter jejunet, hac sola de causa non potest a professione repelli, dummodo praevideatur probabiliter quod postea potens erit ad jejunium servandum. Regula enim valide, licite ac meritorie promittitur etiam ab illo novitio, qui aliquod praeceptum non poterit *statim perfecte* servare.

(2) Non est improbanda opinio illorum, qui ad eximendum a jejuniis Regulae, *minorem* requirunt necessitatem, quam ad eximendum a jejuniis Ecclesiae. Sed melius tenenda sententia media, seu illorum, qui eamdem exigunt necessitatem in jejunio Regulae ac in jejunio Ecclesiae. — *Senes sexagenarii* et validi, ante factum omnino inducendi sunt ad jejunia seraphicae Regulae; sed post factum non facile debent de mortali accusari. Nam DD. non concordant in hac re etiam quoad Minoritas. — Berardi, *Praxis,* n. 536, in genere ait: « Religiosi et *quilibet jejunia perpetua voverint,* juxta plures, excusantur et ipsi anno sexagesimo (nisi explicite aliud intenderint) ». Minorita Montalvus addit: « Cum ut in plurimum sexagenarii post tot labores in Regularibus observantiis peractos in magna debilitate censentur, ratione annexae necessitatis, quae quidem manifesta esse solet, ab obligatione jejunii exempti putari queunt ». Idipsum tenent varii Expositores cum Kasemberger Recollecto. Communior tamen sententia in praxi consulenda senes non excusat *per se.*

« nisi probabilis necessitas; sed in jejuniis Regulae (1) requiritur ma-« nifesta, ut patet ex verbis: *tempore manifestae necessitatis* etc. ».

2. *Infirmitas* praesens vel imminens in tantum excusat a jejunio, in quantum est, aut saltem creditur, juxta experti et timorati medici, aut eo deficiente alterius viri prudentis et probi judicium, vel incurrenda, vel aggravanda, vel non sananda, si servetur jejunium. Obligatio enim vitam et sanitatem conservandi est certa, et provenit ex ipsa lege naturali, quae praevalet praecepto humano positivo, quale est jejunium, quod imponitur sive ab Ecclesia, sive a Regula ad mortificationem quidem naturae, non vero ad ejus destructionem. Si autem necessitas, quae infirmum a jejunio excuset, non sit manifesta, requiritur judicium medici, aut viri prudentis; quia infirmi solent esse in hac materia plus aequo vel indulgentes, vel scrupulosi: imo requiritur judicium medici experti, et timorati; quia frequentes sunt medici solo titulo tales, et ita ad urbanitatem informati, ut omnibus promiscue exemptionem a jejunio petentibus nonnisi annuere noverint, quorum sane judicium tuto non sequuntur infirmi. Notandum quoque est, non omnes infirmos eximi a toto jejunio, sed quosdam a toto, quosdam a parte, prout scilicet exigit ratio infirmitatis; et ideo quosdam posse manducare carnes, non tamen plures refectiones sumere; vel e contra plures refectiones sumere, sed non carnes; quosdam posse jentaculum sumere, alios pinguiorem collationem; quibusdam sufficere invertere ordinem refectionum, collationem meridie, coenam vesperi sumendo. Hoc ultimum infirmis, non autem aliis sine gravi causa, aut manifesta necessitate permitti potest. Nonnulli quidem id licitum

(1) In praxi hoc minus probabile videtur, ut ex supra dictis inferri potest. ***Necessitas*** enim hic accipi debet pro gravi incommodo, et verbum ***manifesta*** non significat necessitatem graviorem seu incommodum gravius, sed cognitionem ipsius incommodi: unde cognitio seu manifestatio rei non respicit ejus gravitatem sed notitiam. Aliunde jejunia S. Regulae dici non possunt venerabiliora ac solidiori innixa fundamento quam jejunia Ecclesiae: secus laederetur reverentia sanctissimis Ecclesiae praeceptis debita. « Principaliter igitur cavenda et dolenda est transgressio praeceptorum Dei; deinde inviolabilium praeceptorum Sanctae Ecclesiae; deinde illorum, quae sub voto voluntario sibimet quisque fecit necessaria, ut regulares observantiae, maxime quae sub praecepto sunt statutae » (*S. Bonav.* De sex alis Seraphim, cap. III). Adest enim manifesta necessitas excusans a jejunio Regulae, cum timetur grave incommodum probabiliter ex jejunio sequuturum. Haec omnia dicta sint quoad conscientiam: praxis vero timoratorum semper consulenda postulat, ut in dubio humiliter exquiratur et sequatur sententia et decisio Superiorum.

putarunt, quia veteris Ecclesiae disciplinae congruum est; sed solidiores Theologi jure reponunt, non veterem sed novam Ecclesiae disciplinam a nobis servandam esse: addunt tamen, non tam gravem causam requiri, ut quis praedicto modo tempus refectionis invertat, prout ut secundam refectionem sumere possit (1).

3. Juxta communem Theologorum sententiam, a jejunio ecclesiastico excusat omnis *labor* honestus cum jejunio incompossibilis, etsi non necessarius, modo non sit in fraudem jejunii susceptus (v. Bill. l. c. — 1, 11). Laborem etiam a jejunio a Regula praescripto eximere posse, cum quatuor Magistris testatur *S. Bonaventura,* qui autem ad hoc, ut ex citato loco apparet, laborem necessarium et ita gravem requirit, ut virtus corporis ad illum perficiendum deficiat. Laici ergo per ordinarios sibi impositos labores a jejunio non eximuntur (2); bene vero per labores extraordinarios admodum graves, et per majorem diei partem continuatos eximi a jejunio possunt ita, ut non quidem carnes comedere, sed tamen pluries refici licite queant, dummodo ipse labor necessarius, seu ex obedientia ipsis praescriptus fuerit. Quoad Sacerdotes dubitari nequit, quod hincinde ob labores spirituales, quibus ex obedientia incumbunt, a jejunio vel ex parte, vel ex toto eximantur. Sed difficile est, pro his regulam generalem statuere, quorum exemptio tum a quantitate laboris, tum a conditione personae dependet; et ideo judicio prudentum relinquenda est. Cl. *Billuart* de lectoribus, scriptoribus, confessariis, et praedicatoribus ita disserit: « Qui ex illis mediocriter, ut fieri solet, studio incumbunt, nullatenus « eximuntur a jejunio; qui acrius, plus vel minus, secundum quan« titatem studii, et conditionem personae eximuntur, ita ut quandoque « sumere possint pinguiorem collationem, quandoque coenam, quan« doque jentaculum, quandoque totaliter eximantur, quantum scilicet « ad unitatem refectionis: sic v. g. qui a mane ad vesperam confes-

(1) Dicendum cum *Gury,* n. 505: *Si coenula meridie, refectio autem vespere* sumatur, jejunium « non frangitur essentialiter, et proinde si fiat sine causa, non excedit peccatum veniale. Verum etiam ab hoc veniali excusat causa rationabilis, et loci aut conditionis consuetudo. Imo multis in locis ex consuetudine hodierna fieri potest coenula hora decima matutina, et refectio vespere ».

(2) In novissimi *Capituli Generalis Ordinationibus,* n. 23, datur haec optima norma pro praxi: « Fratres sive Sacerdotes sive Laici, sola ratione ordinarii et consueti laboris, a jejuniis de praecepto eximi non debent. Pro laboribus extraordinariis vero prudenti Superiorum judicio relinquitur, quod quidem judicium tuta conscientia sequi possunt ».

« siones exciperet, qui tota quadragesima quotidie, aut fere quotidie « concionem haberet cum magno studio et labore, puto, quia est in- « gratae memoriae etc., qui diu noctuque ad componendum, aut do- « cendum libros evolvit, totaliter a jejunio exemptum quoad absti- « nentiam a pluribus refectionibus non secus ac caementarium arbitror. « Sicut enim labore corporali spiritus vitales exhauriuntur, ita labore « spirituali spiritus animales, qui non sunt minus ad vitam neces- « sarii ». Quoad Fratres Minores autem Sacerdotes, ipsi coram Deo judicare debent, quaenam exemptio a jejunio ipsis vere necessaria sit, ut labores spirituales officio suo competentes rite perficere possint (1). — Sicut labor, sic etiam *itineratio* a jejunio eximere potest; sed ad hoc requiritur 1. ut iter sit necessarium, seu ex obedientia susceptum, 2. ut pedibus conficiatur, et 3. ut per 15 milliaria italica, seu per 5 circiter horas continuetur: attendenda tamen est etiam conditio personae, quae, si valde debilis sit, etiam per brevius iter ita defatigari potest (2), ut repetita refectione manifeste indigeat. Generatim cum zelo debet esse conjuncta discretio, ne Fratres vel absque necessitate prae-

(1) Ut confessarii recte judicent de hac materia, haec habet *Ballerini* ad n. 512: « Quoad ista omnia, aliaque id genus, revocari semper debet praemissa S. Thomae sententia, non esse intentionem Ecclesiae, dum jejunia praecipit, ut pias ac magis necessarias causas impediat. Adde itidem, intentionem Ecclesiae non esse, ut in hisce obliget cum notabili incommodo. Quisquis ergo vel concionari (etiam semel), vel scientias tradere (sive paratas lectiones habeat, sive non), vel confessiones excipere (etiam ad brevem horam) jejunando non possit sine notabili incommodo, mens Ecclesiae non videtur, ut propter jejunium haec exercitia intermittat. Sapienter autem addit *(ibid.)* S. Thomas: *Videtur tamen in talibus recurrendum esse ad Superioris dispensationem, nisi forte ubi est ita consuetum, quia ex hoc ipso quod Praelati dissimulant, videntur annuere.* Quae quidem non ad merum consilium pertinent, quando inspectis omnibus adjunctis causa non appareat sufficiens ad excusandum, licet sufficiens ad dispensandum videatur ».

(2) Merito ergo in genere notat Gury, n. 511: « quod si vel perardua foret via, vel tempestas immitis, vel viator debilis itinerique non assuetus, excusari posset itinere duarum leucarum ». Idem dicendum de eo qui multum defatigatur ex valde longo itinere in via ferrea seu curru vaporifero, etc. Sed generatim Superiorum non vero subditorum erit judicare, ut vitari possint pericula ex conscientia nimis laxa vel nimis scrupulosa, et tunc Superiores prae oculis habeant benignitatem cum prudentia et charitate, subditi vero humilitatem cum religiositate et subjectione. Ex Berardi, etc. pia peregrinatio suscipi potest, quamvis propter illam jejunium servari non posset. Superior tamen, qui id leviter ac frequenter permitteret, saltem imprudens foret ac reprehensibilis.

cepta jejunia frangant, vel ea cum tanto periculo servent, ut postea infirmi vel quasi semimortui domum redire cogantur; *habemus enim Pontificem, qui* scit *compati nostris infirmitatibus* (Hebr. 4, 15).

4. Ratione *sustentationis* a jejunio eximitur, qui nihil omnino habet, quod comedat, nisi cibos tempore jejunii prohibitos; vel qui refectionis hora tantum non habet, quod ad necessarium victum totius diei sufficiat; vel qui ex praecedenti inedia ita debilitatus est, ut jejunium ferre non possit: in hisce sane casibus manifesta necessitas adest, et jus naturale praecepto positivo praevalet.

5. Ex dictis apparet, etiam Fratres Minores in casu manifestae necessitatis a jejunio eximi. Non decet autem, ut Fratres ipsi de hac necessitate judicent, qui facillime per amorem proprium obcoecantur; sed hoc judicium Superioribus relinquere debent, ad quos spectat respectu suorum subditorum judicare, et etiam in causis dubiis dispensare, prout eis secundum Deum expedire videbitur, ut ait *S. Thomas* (4 dist. 15, quaest. 3, art. 2). « Et ideo, ait *Politius* (n. 61), « male faciunt Praelati, dum petentibus Subditis dispensationem in « causa dubia solvendi jejunium, aut praeveniendi horam, remittunt « eos ad conscientias proprias: debent enim pro qualitate rei dispen- « sare in re dubia, cum ad praedicta habeant facultatem ».

ARTICULUS III.

§ 46.

De Fratribus itinerantibus.

Ordinatis Fratribus ad Deum per divinas preces, et ad seipsos per mortificationem carnis ex jejunio, nunc eos ordinat S. Pater ad aedificationem proximorum. Ut enim, dum e monasterio exire, ac per mundum itinerare coguntur, alios non scandalizent, sed potius aedificent, 1. ipsis *salutaria monita inculcat,* 2. *equitationem prohibet,* ac demum 3. eos docet, qua *salutatione* in domibus uti debeant, et qua *libertate* frui possint.

§ 47.

I. Monita salutaria pro Fratribus itinerantibus.

TEXTUS. *Consulo vero, moneo, et exhortor Fratres meos in Domino Jesu Christo, ut quando vadunt per mundum, non litigent, neque contendant verbis, neque alios judicent: sed sint mites, pacifici, modesti, mansueti, et humiles, honeste loquentes omnibus, sicut decet.*

1. Quicunque Ordinem religiosum ingrediuntur, mundo vale dicunt, ut in sacra monasterii solitudine Deo perfectius serviant. Convenit itaque, ut Religiosi, quantum fieri potest, mundi conversationem fugiant; contrarium enim agentes merito a SS. Doctoribus Israelitis comparantur, qui a servitute aegyptiaca liberati improba voce clamarunt: *Revertamur in Aegyptum!* (Num. 14, 4). SS. Patres, et Ascetae solitudinem maximis encomiis extulerunt, et vanam cum Saecularibus conversationem pro Religiosis summopere perniciosam declararunt. — Egregia sunt, quae hac de re *Thomas a Kempis* scripsit: « Ille vere Religiosus est, ait (S. 14 ad Nov., n. 10), qui « saeculo sponte renuntiat, et corde ad saeculum non regreditur ». Alibi (Dial. Nov., c. 4, n. 4) dicit: « Raro diu bonus permanebit, « qui saecularibus personis libenter se immiscet »; praecipue « tamen « juvenibus, et novellis nocet visitare amicos saeculares, et patriam « requirere nativam, quam reliquerunt ». Iterum (S. 11 ad Nov., n. 4) exclamat: « Heu quanti foris vagando perierunt! quanti suae curio- « sitati serviendo nihil sanctitatis retulerunt! ». Ac demum ait: « Trahunt desideria sensualitatis ad spatiandum; sed cum hora tran- « sierit, quid nisi gravitatem conscientiae, et cordis dispersionem « reportas? Laetus exitus tristem saepe reditum parit, et laeta vi- « gilia serotina triste mane facit »: ita loquitur l. 1. de imit. Chr., capite 20, a Religiosis iterum iterumque legendo. — *S. Bernardus* Religioso acclamat: « Sede solitarius sicut turtur; nihil tibi et turbis, « nihil cum multitudine caeterorum, etiamque ipsum *obliviscere po-* « *pulum tuum, et domum patris tui; et concupiscet rex decorem* « *tuum* (Psal. 44). O sancta anima, sola esto, ut soli omnium serves

« teipsam, quem ex omnibus tibi elegisti. Fuge publicum, fuge et « ipsos domesticos, secede ab amicis et intimis, etiam et ab illo, « qui tibi ministrat. An nescis, te verecundum habere sponsum, et « qui nequaquam suam tibi velit indulgere praesentiam praesentibus « caeteris? » (Serm. 40, sup. Cantic.). — S. Franciscus quoque fugam mundi, et solitudinis amorem Fratribus maxime commendavit, solitus dicere: solitarium a tribus periculis praecaveri, mala videndi, mala audiendi, et mala loquendi (Opusc. S. Fr., Apoph. 45, sent. 2): ideo etiam ad insinuandum Fratribus medium pacem et puritatem cordis conservandi, frequenter in ore habuit veterum Monachorum dictum: « Fuge, tace, et quiesce » (l. c. sent. 6). — Ex dictis inferendum est, quantum fieri potest, raro Fratribus exeundum esse e conventu: nisi enim vel obedientia, vel charitas ad exeundum compellat, vix sine spirituali detrimento redibunt. Errant sane, qui putant, quod per inutiles suas visitationes, vanasque conversationes Saecularibus placeant, eorumque aestimationem et amorem sibi concilient; cum, experientia teste, plerumque contrarium contingat juxta antiquum adagium: Esto rarus, si vis esse charus.

2. Cum autem Fratres non mere contemplativam, sed mixtam vitam agant, et tum mendicare, tum praedicare, et alias sacras functiones perficere debeant; certum est, saepe obedientiam, vel charitatem, necessitatem, aut convenientiam postulare, ut e conventu exeant. Ideo S. Pater magna sollicitudine Fratres docet, quid vitare, et quomodo se gerere debeant, *quando vadunt per mundum*. Ipsi enim maxime cordi erat, ut nonnisi bonum exemplum omnibus praebeant; quoniam sciebat, ab hoc Fratrum spirituale, et temporale bonum dependere, prouti publice professus est sequentia notatu dignissima verba proferens: « Commercium, ait (Opusc. S. P., Collat. 5), « est inter mundum et Fratres. Debent enim ipsi mundo bonum « exemplum, debet eis mundus provisionem necessitatum. Quando « autem ipsi retraxerint bonum exemplum fide mentita, retrahet « mundus manum justa censura ». — Ne igitur Fratres tale spirituale, et temporale detrimentum incurrant, *consulit* ut amicus, *monet* ut frater, *exhortatur* ut pater *in Domino Jesu Christo,* i. e. per reverentiam, obedientiam, et charitatem, quam Jesu Christo, Domino et Salvatori suo debent, *ut,* quando e conventu egrediuntur et inter Saeculares conversantur, non *litigent* inter se disceptando, vel « alicui injuriam inferendo » (ut ait S. Bonav.), *neque contendant verbis* in via, aut in domibus Saecularium vanas disputationes instituendo,

aliorum opinionibus sine gravi causa contradicendo, et (addit S. Bonav.) « pertinaciter suam sententiam affirmando, aut judicialiter litigando »: *nec alios judicent,* « dubia scilicet in pejorem partem interpretando, ut sic servetur innocentia exterior et interior » (idem); nam *charitas non cogitat malum* (1. Cor. 13), et Christus ait: *Nolite judicare, ut non judicemini* (Matth. 7, 1); cujus dicti Fratres per mundum incedentes, et forte varia, quae ipsis displicent, videntes continuo memores sint oportet: *sed sint mites,* i. e. moribus non impetuosi, nunquam indignationem quamdam manifestantes, non nimis elata voce loquentes, sed sanctam affabilitatem erga omnes ostendentes: sint *pacifici* ita, ut ad pacem servandam libenter juri suo cedant, et alterius voluntati obtemperent: sint *et modesti* « per custodiam (ait S. Bonav.) sensuum, et verborum, et operum », praesertim vero oculorum, quos tum in via, tum in domibus Saecularium sollicite coercere, summi est momenti: sint *mansueti,* ut etiam injurias, despectus, irrisiones, et contumelias patienter sufferre discant; neque perturbentur, si petita ipsis eleemosyna denegatur: sint *humiles* « nullum honorem appetendo, et omnem gloriam humanam fugiendo; « nec hoc sufficit (pergit S. Bonav.), nisi definitionem humilitatis in « se studeant adimplere, quae talis est: Humilitas est virtus, qua « homo vera cognitione sui sibi ipsi vilescens, appetit tractari ut « hujusmodi, et non sublimis gubernari »: sint demum *honeste loquentes omnibus, sicut decet,* « omnem scilicet hominem, ait *S. Bo-* « *nav.,* pro sui status gradu reverendo », nec stultiloquia, aut turpia, aut vanas nugas, quae Religiosum dedecent, et juxta *S. Bernardum* in ore Sacerdotis blasphemiae sunt, aut murmurationes, aut detractiones proferendo; sed, inquit *Politius* (n. 63), « Fratrum sermo sit « semper sale conditus, ad aedificationem aut utilitatem audientium ». Haec monita S. Evangelio omnino conformia, semper et ubique Fratres observare tenentur, praecipue vero dum in conventu, vel extra hunc cum saecularibus conversantur, ne contrarium agentes cum magno Religionis dedecore, ac cum suo et aliorum detrimento scandala praebeant (1).

(1) Ad haec monita S. P. N. S. Francisci perfecte observanda expedit, ut in omni actione et verbo Fratres memores sint de nobilitate religiosi status, de obligatione, qua tenentur honorem et decorem Religionis defendere ac promovere, de necessitate practicae urbanitatis mutuaeque reverentiae coram fratribus, ut sic ite humanitati verborum ac gestorum assueti, quasi spontaneo humani sint ac

3. S. Pater, dum modum praescribit per mundum incedendi, non loquitur de Fratre in singulari, sed de Fratribus in plurali, ut ostendat, ait *Rudolphus* (lib. 2. Hist. Seraph., fol. 166), quod Fratres nunquam soli, sed semper cum socio e conventu exire debeant. Voluit enim S. Franciscus Christi imitari exemplum, qui discipulos suos *misit binos ante faciem suam in omnem civitatem, et locum* etc. (Luc. 10, 4). Spiritus S. jam in V. T. hoc idem commendavit dicens: *Melius est duos esse simul, quam unum; habent enim emolumentum societatis suae: si unus ceciderit, ab altero fulcietur. Vae soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem se* (Eccles. 4, 9 etc.) Idem ipsa ratio suadet; nam si Frater socium, non a se electum, sed, ut convenit, a suo Superiore prudenter denominatum, ubique comitem habet, in sermone et in omni conversatione magis cautus erit, aut si nihilominus inordinate se gerat, facilius corrigi, et puniri, ac emendari poterit. — Ex hac justissima causa tum in nostris Constitutionibus, tum in pluribus Capitulis generalibus praeceptum est, ut Fratres semper cum socio exeant, et se nunquam ab hoc separare audeant, nisi gravis causa ex judicio Superiorum aliud requirat (1). Jam S. Franciscus idem Fratribus praeceperat; nam (Op. S. Fr., Collat. 22) haec memoratu digna ipsius verba leguntur: « Incedite per vias bini et bini cum humilitate, cum gravitate, et « maxime sine garrulitate, cor vestrum ad Deum elevatum tenentes. « Procul absint nugae, et otiosa verba. Talis sit conversatio vestra « cum saecularibus, ut audientes et videntes vos, devotionem conci- « piant ad Deum laudandum: nam ad hoc vocati sumus, ut vulne- « ratos curemus, alligemus confractos, et erroneos revocemus ».

---

modesti coram saecularibus. Scandalum generant ac odiosissimi fiunt fratres qui, dum extraneorum opera facile laudant; labores, praedicationes, vel scripta confratrum vilipendunt, praesertim coram saecularibus, pessimum de amore Ordinis ac fraternae charitatis exemplum praebentes. Frater qui sedulo curat reverentiam ac urbanitatem erga confratres, facillime servat monita seraphica coram saecularibus, et quidem ex habitu virtutis.

(1) Sic gravis haec causa habetur praecipue in via ferrea, ne multiplicentur expensae, et saepe quoad sacrum ministerium. In locis vero conventuum, praesertim ad visitationes saecularium rationabili de causa peragendas, et quoad itinera quae Fratres pedestres conficiunt, generatim difficilius excusari potest inobservantia legis socii: unde Superiores totis viribus curent verbo et exemplo, ut lex socii perfecte adimpleatur. Vide Decis. ultim. Cap. Gener. de auster. regul. n. 25.

§ 48.

II. Prohibitio equitandi.

TEXTUS. *Et non debeant equitare, nisi manifesta necessitate vel infirmitate cogantur.*

1. Christi vestigia sequens, qui pedester semper (praeterquam in die Palmarum, mysterium et prophetiam de asina et pullo adimplens) creditur incessisse, suis Pater sanctus equitationem Fratribus interdicit: *et non debeant equitare, nisi* etc. Quibus verbis non jam eos ab obligatione equitandi liberat, sed ipsis prohibitionem equitandi promulgat; nam juxta *S. Bonaventuram* « dicit *non de-* « *beant equitare,* quod idem est ac dicere: *debeant non equitare* ». — *Equitare* autem in sensu grammaticali strictissimo significat: *ire in equo,* seu *insidere equo, et ab isto portari;* et hoc per citata Regulae verba prohibitum esse, omnes consentiunt. Verba autem legum non semper in solo sensu grammaticali stricto, sed potius (ut dicitur *L. libror. ff. de Leg.*) juxta communem usum, et sensum hominibus vulgarem intelligenda sunt. Communiter vero *equitare* dicitur, non solum qui equo, sed etiam qui alii animali e. g. mulo, asino etc. insidet, et ab isto portatur: ita jam suis temporibus hanc vocem intellectam fuisse, testatur *Hugo* dicens: « vulgo « equitare dicuntur, quicunque animalis cujuslibet evectione utun- « tur ». Quamobrem dicendum est, a Regula prohibitum esse, sive equo, sive alio animali uti ad itinera instituenda (1).

2. *Ex optimo fine* S. Franciscus Fratribus suis praeceptum dedit, ut ab equitatione abstineant. Nam, ait *Hugo,* « ex hoc prae- « cepto Fratribus humilitatis, austeritatis, et minuendae sollicitudinis « forma datur ». Ergo ad triplicem finem praeceptum hoc Regulae inhibitivum dirigitur: voluit enim S. Pater, ut Fratres non equitando, sed pedibus incedendo, exerceant *humilitatem,* dum vanam illam

(1) Aliqui attendentes ad finem legis seu exclusionem superbiae, pompae, commodi, etc. dicunt, plaustrum a bobus tractum non esse contra regulam. Cfr. Sanctor., Ant. Caj.

pompam fugiunt, qua nobiles et divites in itineribus suis excellere solent; *poenitentiam et mortificationem,* dum recusatis equitationis commodis, itineris pedestris defatigationes et incommoda sustinent; ac demum *paupertatem,* dum omnes haud necessarias expensas declinare student. Negari ergo non potest, hoc Regulae praeceptum, si ejus finis spectetur, convenientissimum, et sanctissimum esse. Imo dantur et alia, quae hujusce praecepti aequitatem clare ostendunt. Nam si equitatio haud prohibita esset, quoties Fratres ad pecunias recurrerent, ut iter suum commodius instituant? quoties saltem benefactores peterent, ipsis molesti fierent, atque eorum eleemosynas ex aliis rationibus toti communitati magis necessarias, pro sua tantum commoditate impenderent? — Praeterea si equitatio licita esset, mox in Fratrum Minorum conventibus equi, vel muli invenirentur, etiam cum recursu ad pecuniam alerentur, sellae et currus compararentur; quibus peractis quoties ob eorumdem usum inter Fratres dissensiones, rixae, et invidiae nascerentur? (1). Accedit, quod Fratres, sine pecunia itinerantes, si adventarent in curribus, et equis, difficillime hospitium invenirent; et si invenirent, hospitalitatem ex religiositate exercentibus maximo oneri essent. Denique dantur Fratres circumvagationum amantes, qui, licet pedibus incedere, et varia itineris incommoda sustinere debeant, nihilominus recreationis ergo de loco ad locum currunt, amicos et propinquos visitant, curiosa quaeque videre gestiunt, etc.: quid fieret, si itinera sua licite in equis, et curribus cum omni commoditate perficere possent? — Ex his, aliisque rationibus *Philippus a Castel.* non satis admirari potest sapientiam seraphici Patris equitationem rigorose prohibentis.

3. Nonnulli cum *Marchantio* putant, per citata Regulae verba Fratribus tantum prohiberi equitationem, quae fit equis insidendo; ipsos autem licite posse curribus insidere, et ab equis trahi, quoniam qui curru vehitur, non dicitur equitare. Sed hanc sententiam omnino falsam, et a Regula etiam prohibitum esse, ab equis vel aliis animalibus in curru vehi, solidis rationibus probatur. 1. *Ex ipsis Regulae verbis,* quae dicit: *non debeant equitare;* quamvis enim nonnulli dicant, *equitare* in sensu grammaticali idem esse ac *ire in*

(1) Haberi potest, ubi necessarium fit, animal aliquod ut asinus ad aquam e puteo ordinario hauriendam, vel ad alios necessarios usus, praesertim quando conventus multum distat a civitate. Sed caute agendum, ne excogitentur falsa motiva.

equo, attamen attenta vocis origine potius idem est, ac *equo uti,* vel juxta alios *equum ictare* (verb. ant.), seu ictibus incitare, quod utrumque fit, sive quis equo insideat, sive per equum in curru vehatur. Et in hoc utroque sensu vocem « *equitare* » tempore S. Francisci usurpatam fuisse, testatur cum aliis *Hugo* jam antea citatus. Imo nostris quoque temporibus praedicta vox hincinde in utroque sensu sumitur: et sane, ait *Bernardus Bonon.,* ille, cui facultas datur equitandi, seu equo utendi, potest vel huic insidere, vel ab hoc in curru trahi; ergo utrumque hoc interdicitur, si facultas equitandi denegatur. 2. *Ex fine Legislatoris,* qui, uti dictum est, equitationem prohibuit, ut Fratres pedestres itinerantes humilitatem, poenitentiam, et paupertatem exercerent. Nullo modo ergo concipi potest, ipsum voluisse tantum praecavere, ne Fratres equis insideant, usum vero curruum ipsis permisisse: nam majus sane commodum habet, qui curru vehitur, quam qui equo insidet, et illud nobilibus ac divitibus magis quam hoc solemne est, et plures plerumque expensas requirit. Ad intentionem autem Legislatoris respiciendum, et juxta hanc leges explicandas esse, praescribitur in Jure: nam regula Juris (Cap. *Humanae aures* 11, caus. 22, q. 5) dicit: « Non « debet aliquis verba considerare (intellige, nude et simpliciter), sed « voluntatem, et intentionem (legislatoris); quia non debet intentio « verbis deservire, sed verba intentioni ». Et (De Regul. in 6) dicitur: « Certum est, quod is committit in legem, qui verba legis « complectens contra legis nititur voluntatem ». 3. *Ex consensu Doctorum* usum equorum, et aliorum animalium Fratribus a Regula prohibitum esse declarantium. *S. Bonaventura* enim dicit: « *non de-* « *beant equitare,* et per consequens nec bigare, nec quadrigare, quae « majoris sunt sumptus » (1). Hoc idem docent antiquissimi Regulae Expositores, nimirum *quatuor Magistri, Hugo, Serena Conscientia,*

(1) In toto hoc capite haec verba « majoris sunt sumptus » sedulo considerari debent. Hinc caeteris paribus minus difficilis fit *dispensatio* (debitis de causis concedenda), quando modus equitandi per se minoris est sumptus, seu minoris pompae in se, quam ubi agitur de expensis gravioribus, deque communibus curribus, quibus etiam pauperes operarii uti solent ordinariis de causis. Humilitas currus desumitur ex communi loci vel regionis aestimatione: hodie in variis Europae partibus, soli divites *equitant* in sensu grammaticali stricto, et quidem potius ad ostentationem et luxum, quam ratione necessitatis; caeteri autem publicis in rhedis itinera conficiunt.

Ivo, Corduba, Ximenes etc. Eamdem sententiam propugnant etiam recentiores Expositores, ex *Reformatis P. Bonaventura Dernoye, P. Gabriel a Vicentia,* et *P. Philippus a Castell.* qui Marchantium ob sententiam oppositam graviter insequitur; et ex *Capuccinis Politius, Sanctes, Ludovicus Paris., Bernardinus Gandav., Bernardus Bonon., Viator a Cocaleo,* et alii. 4. *Ex persuasione, et praxi totius Ordinis* in varias Congregationes divisi, qui Conventualium coetu excepto, graves poenas illis infligendas statuit, qui vel equitant, vel curru vehuntur. Sic in Statuto 23. *Observantium* poena carceris statuitur pro eo, qui equitare, bigare, vel quadrigare praesumpserit: in Statutis *Reformatorum* c. 5, n. 35, legitur: « Nullus « Fratrum audeat vel alio jumento, vel lectica, vel curru uti »; et hoc Statutum non observantes inhabiles ad omnes dignitates declarantur, et vocis passivae et activae jure privantur, ut testatur *Gabriel a Vicent.* In Constitutionibus *Capuccinorum* (c. 8) ille in Discretum eligi prohibetur, qui pedester iter ad Capitulum perficere nequit (1): et in Capitulo Generali anno 1702 sub *Augustino a Tisana* Min. Gen., voce activa et passiva privantur, qui equitantes, aut curru vecti iter suum instituunt; et similes prohibitiones, et poenarum sanctiones in pluribus Capitulis generalibus, et provincialibus leguntur. Cum autem nonnisi pro gravi culpa gravis poena imponi possit (2), omnino dicendum est, continuam et universalem in Ordine persuasionem viguisse, tum equitare, tum bigare, et quadrigare graviter a Regula prohibitum esse. 5. *Ex decretis Roman. Pontificum,* qui in eodem sensu Regulae verba declararunt, et, ut Fratres uti ab equitando, ita et a bigando abstineant, praescripserunt. Sic *Martinus V* (C. *Non est novum,* in c. 3, Reg.) ait: « De jejunio illa « observentur, quae in Regula continentur; idem fiat de non equi- « tando, praeterquam in casu necessitatis, attentis etiam verbis Divi « Bonaventurae, quod non debeant equitare, nec bigare, neque qua- « drigare, nisi manifesta necessitate, scilicet prolixi, vel impediti

(1) In provinciis et regionibus, ubi viae ferreae vel navigabiles ita multiplicatae existunt, ut facilis sit accessus ad Capitulum, seclusa equitatione in Regula prohibita, licite eliguntur discreti Sacerdotes, qui pedestres iter ad Capitulum perficere non possent.

(2) Haec propositio cum aliqua restrictione intelligi debet. Nam multa Regularium Statuta non obligant ad culpam, sed ad poenam, ac proinde dici non possunt obligatoria in rigore conscientiae.

« itineris, vel negotii urgentis, vel infirmitate cogantur ». Idem fere declararunt *Julius II, Innocentius XI* (C. *Sollicitudo pastoralis*), et *Innocentius XII* (C. *Alias a felici*), a quo etiam statuitur, illos in praelatos eligi non posse, qui pedestres itinera perficere non possunt. Demum *Benedictus XIV* (C. *Injuncti nobis* — in specie pro Capuccinis edita) dicit: « Neque ullo modo, ullave causa, prae-« terquam causa verae, et actualis infirmitatis cisio (vulgo calesse), « vel alio commodo (i. e. curru) seraphicae Regulae quovis modo « contrario uti valeant sub poenis.... scilicet suspensionis ab exercitio « concionandi per triennium, si concionatores sint, aliarumve poe-« narum arbitrio dictorum Superiorum, si non sint concionatores, « privationis vocis activae et passivae per sexennium » (1). — Adductae rationes satis probant, Fratribus haud licere curribus vehi ad iter commodius perficiendum.

4. Juxta communem tamen Expositorum sententiam licitum omnino est Fratribus, navim conscendere, et navigando de loco in locum transferri. Ipse *S. Bonaventura,* cum dicit: « *non debeant equitare,* et per consequens nec bigare, nec quadrigare », nullatenus addit nec navigare. Nam qui navigat, juxta communem hominum sensum nullo modo *equitare* dicitur, et intentio Legislatoris non potest, ut recte observat *Bernardus Bon.,* ultra extensionem possibilem vocis, quam in lege adhibet dilatari. — Etiam fini legis navigatio non ut equitatio opponitur: navigare enim tum divites, tum pauperes solent, et navigatio non ex sola commoditate, sed ex necessitate introducta est, quia sine illa ad multa loca perveniri non potest; ideo etiam Christus, et Apostoli saepius navigasse leguntur. Navigatio ergo Fratribus per se licita est, dummodo non, ut monet *Sanctes,* propter recursum ad pecuniam, vel ob alias rationes illicita fiat. Addunt Expositores, navigationem etiam tunc licitam esse, si navis per equos trahitur; quia id per accidens fit, et essentiam navigationis non mutat, quae semper ab equitatione prorsus distinguitur.

5. Quamvis S. Regula equitationem prohibeat, in casu tamen manifestae necessitatis, aut infirmitatis illam permittit; ait enim: *non debeant equitare, nisi manifesta necessitate, aut infirmitate cogantur,* i. e., ait *S. Bonaventura,* « nisi manifesta necessitate

(1) Ad has poenas incurrendas requiritur tamen sententia criminis declaratoria, non vero condemnatoria. Cfr. Reiffenst., S. Lig. l. 1, n. 148, etc.

« prolixi, vel impediti itineris, vel negotii urgentis, vel infirmitate « cogantur »; et hanc S. Doctoris explicationem approbavit, et servandam Fratribus proposuit *Martinus V* in citata jam Constitutione. Possunt itaque vel ex parte *itineris*, vel ex parte *negotii*, vel ex parte *personae* causae existere, quae Fratres a servando hoc praecepto excusent, ac efficiant, ut licite equitare, aut curru vehi possint. Ut autem ratione *itineris* causa excusans habeatur, requiritur, ut ipsum iter suscipiatur ex manifesta necessitate seu ex juxta causa, ob quam sine gravis officii laesione omitti nequeat; nam sine manifesta necessitate itineris non datur manifesta necessitas equitandi. Illa posita, Fratri Minori equitatio saltem ex parte licita fieri potest, si iter sit *valde prolixum*, e. g. per plures hebdomadas, aut menses continuandum, ita ut non sine summa difficultate, aut non sine magno detrimento corporis, aut spiritus, aut non sine graviorum officiorum neglectu pedibus confici possit. Imo etiam ratione brevioris itineris equitatio licita fieri potest, si via per quam incedendum est, ita sit aqua, aut luto, glacie, vel nive repleta, ut Frater Minor sine maxima difficultate, aut sine gravi infirmitatem contrahendi periculo illam pertransire nequeat: ut vero in tali casu equitare, aut curru vehi licite possit, requirunt Expositores, ut itineratio ad tempus magis congruum differri nequeat. — Causam excusantem praebere etiam potest *grave negotium* in alio loco peragendum, ad quem quis debito tempore pedibus incedendo pervenire non potest, e. g. si quis in magna distantia, statuta die jam imminente, concionem habere, vel confessionem graviter aegrotantis excipere debeat etc. Idem dicendum esse videtur de illo, qui necessarium iter suscipere, sed intra breve tempus in locum suum reverti debet ad gravis momenti negotia peragenda, quae ex gravibus rationibus alteri committi nequeunt, quod e. g. circa Lectores contingere potest. — Denique ex parte *personae* equitatio licita redditur, si quis senio confectus, aut aegrotans, aut valde debilis necessarium iter suscipere debeat, et pedester non sine maxima difficultate, et salutis periculo perficere possit: is ex ipsius Regulae indulgentia equitare, aut curru vehi potest. Imo cum Regula disjunctive loquatur, et licentiam equitandi concedat ob manifestam necessitatem, *aut* ob infirmitatem, *Corduba* putat, infirmum etiam sine manifesta necessitate, sed ex sola recreatione equitare posse, ut a sua infirmitate facilius reconvalescat. Plerique tamen etiam pro infirmo, ut licite equitare, vel curru vehi

possit, necessitatem, seu rationabilem causam (1) exposcunt, qualis habetur si e. g. infirmus pro aeris mutatione se in aliam regionem, vel ad balnea conferre debeat, vel si eidem ad recuperandas vires equitatio, vel bigatio a medico praescribatur. — Caeterum an causa sufficiens adsit, nec ne, ad equitationem licitam reddendam, non ad Fratres spectat dijudicare, sed ad Praelatos, qui in causis dubiis etiam dispensare possunt. Jam *Julius II* ordinavit, ut circa *manifestam necessitatem, aut infirmitatem* Superiorum judicium inquiratur, et licentia petatur, « nisi in itinere, aliqua superveniente ne-« cessitate, ubi tunc alicujus praedictorum non possit haberi judicium, « Fratres ad equitandum cogantur ». Idem *Julius II* decrevit, quod Praelati majores, Visitatores graves, Praedicatores solemnes, si ob Visitationes, aut Capitula, vel propter salutem animarum magna itinera instituere debeant, possint curribus uti, imo ad hoc impellendi sint, quia de eorum sanitate toti Ordini multum interest: quibus dictis declarat, id non esse Regulae relaxationem, sed genuinam applicationem: « cum et de vita communi et regulae obser-« vantia sit, Fratres, et maxime tales, in tali necessitate posse equi-« tare, ut apertius exprimit regula ». Monet autem *Philippus a Castel.*, qui citata Julii II verba refert, hanc concessionem revocatam, seu modificatam esse per Bullam *Innocentii XII,* anno 1695 editam, in qua statuitur, Fratres omnes nullo modo licite equitare posse, nisi in casu manifestae necessitatis, aut infirmitatis, prout regula dicit, nulla facta Praelatorum, Visitatorum, aut aliorum distinctione: addunt etiam *Bernardus Bon.* et *Viator a Cocaleo,* nequaquam conveniens esse, ut illi, qui caeteris bono exemplo praelucere debent, sine gravibus causis majoribus privilegiis circa regularem observantiam utantur. — Si quis in die jejunii longius iter suscipere debeat, ubi dein duo praecepta concurrunt, videlicet abstinendi tum a duplici refectione, tum ab equitatione, non jam curru uti potest, ut jejunare valeat; sed juxta Expositorum sententiam debet ab equitatione abstinere, quia haec lex prohibens praevalet, et, si necesse fuerit, potest secundam refectionem sumere. Juxta

(1) Ambae sententiae concordare videntur, ex eo quod infirmus *per se* habet ordinarie rationabilem equitandi causam, ut *melius* et facilius convalescat, et moderatae infirmorum recreationes non dici possunt sine causa institutae. Verum infirmi non sint hac in re nimis exigentes; sed Superiores benignissime agant, et scrupula deponant charitati contraria.

communem autem sententiam, si duo iter instituant, et unus ex ipsis curru licite uti possit, etiam alter eodem privilegio gaudet; quia bonum societatis majoris est momenti, quam citata lex regulae prohibens: ideo sat vulgare adagium dicit: Socius gaudet jure socii. — Denique notandum est, quod circa equitationem levitas materiae admitti debeat, e. g. qui per duo milliaria italica (i. e. per $^1/_2$ — $^3/_4$ h.) equitaret (1), secluso scandalo venialiter tantum peccaret, nisi id saepius in eodem itinere repetat, ita ut equitationes repetitae moraliter unitae magnum quid constituant, uti docet *Philippus a Castelluc.* Idem cum aliis Expositoribus monet, quod qui equitatione manifeste indigent, asino potius quam equo juxta exemplum S. Patris utantur, aut vili tantum currui insideant, ut aliquo saltem modo humilitatem, austeritatem, et paupertatem exerceant (2).

6. Tempore S. Francisci itinera tribus modis perficiebantur, nimirum vel pedibus incedendo, vel equitando, i. e. equo, aut alio animali utendo, vel navigando. Nostris temporibus alius modus usu venit, itinera celerrime conficiendi per vias ferreas, in quibus currus non per equos, sed vaporem agitantur. Quaestio ideo mota est, an etiam iste modus in praecepto equitationem prohibente contineatur, et an ergo Fratribus ab ipsa Regula usus curruum vaporiferorum interdictus sit? — Non desunt, qui hoc affirmant. Sed, re solide perpensa, negative respondendum, atque asserendum esse videtur, usum curruum vaporiferorum vi Regulae Fratribus Minoribus non interdici. Nam juxta certum axioma lex non obligat ultra intentionem Legislatoris; quia omnis illius obligatio ab hujus libera, et seria voluntate dependet, debito modo promulgata subditis, quos intendit ad observantiam obligare: id ergo in lege non comprehenditur, quod nec *in intentione,* nec *in verbis* Legislatoris ullo modo continetur. Atqui Sanctus Franciscus unum modum iter instituendi i. e. equitationem prohibens, nullatenus *intentionem,* seu liberam, et seriam voluntatem habere potuit in sua prohibitione comprehendendi alium iter instituendi modum sibi prorsus incognitum; quia juxta inconcussum Philosophorum principium « nihil est volitum, nisi cognitum ». Pro-

(1) Juxta alios, materiae parvitas extenditur ad quatuor vel quinque milliaria. Cfr. Amen., etc.

(2) Optima norma generatim erit usus Provinciae a Praelatis rite probatus: nam quae in una regione luxum sapiunt, in altera humilia reputantur, et vice versa.

hibitio ergo curruum vaporiferorum, cum in intentione Legislatoris non comprehendatur, etiam in ipsius lege vetante non continetur; neque ullo modo licet, praeceptum regulae unum itinerandi modum prohibens privata auctoritate ad alium modum extendere, quem prohibendi ipse Legislator nullam intentionem habere potuit: alias enim nova obligatio imponeretur, quod non licet Doctori privato, cui merito dici posset: *quis te constituit judicem super nos?* Nonnulli quidem asserunt, S. Franciscum, quia charismatibus caelestibus abundabat, prophetico spiritu praesentem itinerandi in viis ferreis modum praevidere, eumdemque prohibendi intentionem habere potuisse: ast si hoc, quod probari nullo modo potest, verum certumque esset, omnino dicendum foret, S. Patrem hunc modum, etiamsi potuisset, tamen noluisse prohibere; quia *talibus verbis* in praecepto suo usus est, quae prohibitionem curruum vaporiferorum non comprehendunt. Dicit enim in Regula: *non debeant equitare*, i. e. non debeant equo uti, atque ideo nec huic insidere, nec ab hoc in curru trahi licite possunt. Sed qui in via ferrea per vaporem in curru trahitur, neque in sensu grammaticali, neque in sensu vulgari dicitur *equitare;* quia equus ad trahendum nullo modo concurrit. Potest ille quidem dici, *curru vehi, bigare*, vel *quadrigare* etc.: sed hoc non per se, et directe a Regula prohibetur, sed tantum propter equi, vel alterius animalis usum. Quod ipse *S. Bonaventura* optime innuit dicens: « *non debeant equitare,* et per consequens nec bigare, nec quadrigare »; quia hoc sine usu equi, aut alterius animalis fieri non potest. Sublato hoc usu, uti contingit in curribus vaporiferis, non potest cum *S. Bonaventura* consequentia inferri, quod non liceat Fratribus bigare, quadrigare, curru vehi etc.; sed dicendum est: quia sola equitatio prohibetur, ergo per consequens licitum est Fratribus bigare, seu curru vehi, in quo equitatio deficiente equo nullo modo occurrit. Hoc idem confirmatur ex comparatione cum navigatione. Hanc omnes Regulae Expositores Fratribus licitam dicunt, etiam in casu, quo via regia patet, per quam pedibus incedendo ad eumdem locum pervenire possent; id vero non ex alia ratione propugnant, nisi quia *navigare* in nullo sensu est *equitare,* et ideo illud in praecepto Regulae equitationem prohibente non continetur. Quis vero non videt, eamdem rationem pro curribus vaporiferis militare, cum haec unica distinctio intersit, quod hi per vapores in terra, naves autem per ventos, aut vapores in aqua agitentur? De tali vero distinctione nec verbulum in praecepto Regulae occurrit, et ubi lex non distinguit, neque nos

distinguere debemus. Sicut ergo navigatio, ita etiam itineratio per currus vaporiferos a Regula non prohibetur. — Oportet vero, ut audiatur et altera pars, et ut rationes, seu objectiones, quas contrariae sententiae patroni in hujus defensionem proferunt, perpendantur, et adaequatis responsionibus diluantur.

Obj. 1. Ad legem rite intelligendam, ut Canonistae dicunt, non ad nudam litteram, sed praecipue ad intentionem legislatoris, seu ad finem legis respiciendum est. Finis autem praecepti de non equitando est, ut Fratres itinerantes humilitatem, austeritatem, et paupertatem exerceant, ad quod generatim tenore Regulae tota vita Fratris Minoris dirigi debet. Huic autem fini opponitur usus curruum vaporiferorum, in quibus more nobilium et divitum iter cum maxima commoditate instituitur, et nec humilitas, nec austeritas, nec paupertas exercetur: ergo hic usus fini praecepti de non equitando, atque ideo Regulae contrarius est, et omni jure ab hac interdictus censetur.

Resp. Ad argumentationem istam enervandam varia responderi possunt: nam, a) juxta *S. Thomam, S. Ligorium,* et communem Theologorum sententiam, finis legis non cadit sub praecepto; e. g. si Frater Minor *pedester* iter cum illustri comitatu suscipit, lente, et cum omni commoditate incedit, et frequenter in hospitiis divertens opipare vivit, certe nec humilitatem, nec austeritatem, nec paupertatem exercet, et tamen nemo dicet, quod praeceptum de non equitando graviter violet, quamvis manifeste contra spiritum, seu finem praecepti agat. b) Non negatur, quod S. Regula vitam Fratrum Minorum, sicut ad observandum Evangelium, sic etiam ad exercendam humilitatem, austeritatem, et paupertatem dirigat. Sed ad hoc exercitium Fratres vi praecepti non obligantur, nisi in quantum hoc ipsa Regula exprimit. Nam *Nicolaus III* dicit: « Fratres ex pro-« fessione suae regulae ad ea tantum evangelica observanda consilia « adstricti sunt, quae in ipsa Regula praeceptorie, vel inhibitorie, « seu sub verbis aequipollentibus *exprimuntur* » (C. *Exiit,* art. I). Idem declaravit *Clemens V* (C. *Exivi*). Nullatenus ergo dici potest, Fratres abstinere debere a curribus vaporiferis, ut exerceant humilitatem, austeritatem, et paupertatem, nisi probetur, quod probari nequit, cum equitatione etiam currus vaporiferos stricte, et expresse prohibitos esse. c) Adde quod vehicula in viis ferreis sint tam humilia, vilia, et abjecta, ut non modo ruricolae, et infimae plebis homunculi, sed etiam pecudes, boves, sues etc. in illis trahantur: unde dici nequit, quod statui Fratris Minoris non conveniant. Imo

hic etiam per vias ferreas itinerans humilitatem, et paupertatem exercere potest, si non primos recubitus ambiat, in quibus nobiles et divites inveniri solent; sed, quod et omnino convenit, ultimos recubitus eligat, in quibus plebeii, et pauperes reperiuntur.

Obj. 2. Si duo sibi opposita habentur, cum unum prohibetur, alterum praecipitur; e. g. si prohibetur quies, praecipitur motus, et si prohibetur motus, praecipitur quies: atqui in Regula prohibetur equitatio, quae opponitur itinerationi pedestri: ergo illa prohibita, haec praecipitur, ac ideo non licet genere quodam vecturae uti, quae, qualiscunque sit, in equitatione, ut species in suo genere, prohibetur.

Resp. In hac argumentatione propositionem majorem distinguere oportet. Haec nimirum vera est, si duo sibi ita opponantur, ut inter haec medium, seu tertium quiddam non detur, ac unius negatio sit alterius affirmatio, uti est inter motum et quietem. Sed si inter ea, quae sibi opponuntur, medium seu tertium quoddam datur, unius negatio non est alterius affirmatio, neque dum unum prohibetur, alterum praecipitur: e. g. albedo et nigredo sibi opponuntur; sed si color albus prohibetur, non ideo color niger praescribitur, quia alii colores dantur; aut si dixero: *non mentiaris,* non sequitur: ergo *dic veritatem*, quia datur medium, nimirum *silentium.* — Eodem modo si dicitur: *non equitabis,* haud sequitur: *pedester ingredieris;* quia inter *equitare,* et *pedibus incedere* medium datur, scilicet *navigare,* aut *vaporifero curru vehi.* Falsum ergo omnino est, quod equitatio sit supremum genus, in quo omnes de loco ad locum transeundi modi itinerationi pedestri oppositi prohibeantur; quod si ita esset, et si in dicta prohibitione praeceptum positivum pedibus incedendi contineretur, etiam navigatio prohibita esset saltem ibi, ubi ad desideratum locum pedibus incedendo perveniri potest. Absona quoque est distinctio, quam nonnulli ineunt dicentes, praeceptum positivum, quod confingunt, solummodo viam terrestrem, in qua sola equitatio locum habet, non autem viam per aquas concernere. Haec enim distinctio in Regula nullo modo innuitur, et ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus; ac omnes Expositores navigationem licitam dicunt, non quia fit in aquis, sed quia in nullo sensu equitatio dici potest. Ideo quovis tempore Fratres Minores, etiam timorati, sine scrupulo itinera sua in fluminibus per naves aut rates instituerunt, quamvis per viam terrestrem facile ad destinatum sibi locum pervenire potuissent. Ex eadem autem ratione etiam alius iter instituendi modus licitus est, qui eodem modo equitatio dici non potest.

Obj. 3. Cui prohibetur minus, prohibetur et majus; sed Fratribus Minoribus prohibetur id, quod minus est, scilicet equitare, bigare, quadrigare; ergo prohibetur etiam, quod majus est, nimirum curru vaporifero vehi, in quo cum maxima commoditate, et celeritate iter perficitur.

Resp. Propositio major distinguenda est: vera enim est, si dicitur: cui minus prohibetur in una specie, prohibetur et majus *in eadem specie;* falsa autem est, si dicitur: cui minus prohibetur in una specie, et majus prohibetur *in alia specie;* sic e. g. Hebraeis prohibita fuit caro suilla; non autem dici potest: ergo eis prohibita fuit etiam caro vitulorum, caponum, et avium pretiosior, et sapidior. Accipe aliud exemplum: nobis a Regula prohibentur calceamenta, et tamen nobis non prohibetur id quod majus est, sed permittitur, ut in lecto pedes cum corpore tegiminibus involvamus, quia tegimina non sunt calceamenta. Eodem modo prohibetur a Regula quaelibet species equitationis; sed ideo non prohibetur navigatio, et itineratio in curribus vaporiferis, quoniam utraque ad species equitationis non pertinet, licet forte itineranti majora commoda praebeat.

Obj. 4. *Benedictus XIV* cisium, et omne aliud commodum prohibuit, nulla facta equitationis mentione: sed currus vaporiferus est commodum; ergo a Summo Pontifice interdictus.

Resp. *Benedictus XIV* cisium, vel aliud commodum (i. e. currum) « quovis modo Regulae contrarium » prohibuit: sed currus vapore, et non equis agitatus, Regulae nullo modo est contrarius: ergo nec a Summo Pontifice interdictus, qui observantiam praecepti de non equitando inculcare, non autem hac in re novam legem ferre voluit: sic enim decretum pontificium in ipsa Capuccinorum Congregatione, pro qua emanavit, intellectum fuit.

Obj. 5. Si admittitur, currum vaporiferum a Regula prohibitum non esse, magna inconvenientia sequuntur. Fratribus ansa praebetur ad illicitum recursum ad pecuniam: circumvagationum amantes itinera sua, spiritum penitus dissipantia, multiplicant: Saeculares autem scandalizantur, dum vident Capuccinos quoque modo non pedibus incedere, sed curribus vehi.

Resp. Haec objectio non vilipendenda est, sed seriam considerationem meretur: varia autem sunt, quae ad illam reponi possunt. Nam: a) Inconvenientia, abusus, et inordinationes etiam in rebus sanctissimis, e. g. in Confessione, et Communione contingere possunt, quin tamen hae ideo prohibitae fiant. b) Inconvenientia multa etiam

ex itineratione Fratrum pedestri sequi solent: quoties enim itinerationem imprudenti modo accelerantes, aut calore et sudore repleti bibentes, aut per pluviam, et nivem incedentes sanitatem laedunt, et ad negotia sua inhabiles fiunt? Quoties nimia in domibus Saecularium conversatione tempus terunt, benefactoribus molesti fiunt, et spiritum penitus dissipant? Quoties ineptis locutionibus, et conversatione haud satis religiosa Saecularibus scandala praebent? Et utinam per varia loca transeuntes non majorum flagitiorum pericula incurrerent! Haec inconvenientia cum illis comparari debent, quae in curribus vaporiferis obtingere possunt, ut judicium prudens ferri queat. c) Si asseritur, usum currus vaporiferi per se a Regula prohibitum non esse, nullatenus tamen negatur, illum illicitum et a Regula interdictum fieri, si absque justa causa ad pecuniam recurrendum sit. Eodem modo nullatenus Fratribus permittitur, ut recreationi suae nimium indulgentes in curribus vaporiferis inutiles itinerationes suscipiant: imo ne hujusmodi abusus fiant, Superiores invigilare debent, sine quorum licentia ne deambulationes quidem pedestres, et multo minus itinerationes in viis ferreis suscipi possunt. Ipsi Ministri Generales jam curruum vaporiferorum usum interdixerunt, ne Fratres nimium circumvagantes *sanctae orationis, ac devotionis spiritum extinguant, cui debent caetera temporalia deservire.* Scandalum vero Saecularium praecaveri potest, si isti debito modo instruantur, quod Fratribus equitatio, non autem usus curruum prohibeatur, qui ab equo non trahuntur. Ex dictis patet, usum curruum vaporiferorum a Regula prohibitum non esse. — Sunt equidem, qui hanc sententiam ut falsam respuunt, et ut laxam reprehendunt; atque putant, se veros Regulae amatores, et regularis observantiae promotores esse, dum contrariam propugnant, praeceptum Regulae etiam ad currus vaporiferos extendentes. Sed isti animadvertere deberent, quod verus zelus non in rigore, sed in doctrinae veritate consistat, quod non liceat sine certa lege hominibus officia imponere, et quod per talem rigorem peccata non minuantur, sed multiplicentur. Ipsi Sancti docuerunt, dum de obligationibus imponendis agitur, ad benignitatem potius, quam ad rigorem inclinandum esse. *S. Gregorius Naz.* in verba Eccle. 7, 17. *Noli esse nimis justus* (Orat. 26) inquit: « Hanc « igitur (justitiam) defectus, et excessus quoque labefactant, non se- « cus ac additio aliqua, aut subtractio. Nemo igitur sit sapientior, « quam conveniat, nec lege exactior: — aut rem ita se habere proba, « aut si nequis, ne condemnes: quod si res dubia sit, vincat huma-

« nitas et facilitas ». In eadem Ecclesiastes verba *S. Bernardus* (Serm. 4, in Ps. 90) ait: « *Noli nimium justus esse,* non quod « justitia bona non sit, sed quia adhuc infirmi sumus, oportet, ipsa « bona gratia temperari, ne forte elationis aut indiscretionis vitium « incurramus ». *S. Raymundus* dicit: « Non sis pronus judicare « peccata mortalia, ubi tibi non constet per certam Scripturam »; quibus verbis addit *S. Antoninus* (n. 2, tit. 1, c. 2): « quia talis « proclivitas aedificaret ad gehennam ». *Jo. Gerson* docet: « Theo- « logi non debent esse faciles ad asserendum, aliqua esse peccata « mortalia, ubi non sunt de re certissimi ». Ac demum *Benedictus XIV* (Notif. 13) ait: « Non debent imponi ligamina, si non « adest lex clara, quae illa imponit » (*) (1).

(*) S. Congr. Episc. et Regul. a Patribus Observant. consulta, utrum ipsis usus currus vaporiferi liceat, mense jun. 1863 respondit: *Affirmative ex rationabili causa de licentia Superioris, prout in rhedarum usu, salvo quoad locum spiritu humilitatis.* (*N. alterius E.*)

(1) Ordinationes novissimi *Capituli Gen.*, n. 26, haec habent: « Maxime commendamus religiosis, ut memores nostrae Regulae de non equitando, et sequentes exempla Christi et S. P. N. Francisci, itinera pedestres conficiant; quoad usum viae ferreae, S. Congr. super Statum Episc. et Regul. sub die 21 Julii 1876 declaravit, illum fratribus Minoribus licitum esse *ex omni rationabili causa,* cum licentia tamen Superiorum et, ut eadem Congregatio jam anno 1863 die 19 Junii declaraverat, salvo *quoad locum spiritu humilitatis* ». — Ad *Dubium* « An ad obtinendam a Superiore facultatem itinerandi in viis ferratis, in vim resolutionis diei 19 Junii 1863 sufficiat rationabilis causa, vel concurrere taxative debeant infirmitas aut manifesta necessitas? » — *Sacra Congr. Episc. et Regul.,* causa cognita die 21 Julii 1876 respondere censuit: *Affirmative ad primam partem: Negative ad secundam.* — Exinde colliges: I. Licitum esse Franciscanis Fratribus iter facere in viis ferratis: neque in ullo modo comprehendi sub Regulae prohibitione ceu equitatio. II. Currus enim vaporis impetu adactos, haud aequiparari posse equitationi vel rhedis, de quibus loquitur Franciscana Regula, cum ad istarum speciem nullimode pertineant. III. Super currus vaporiferos itinerandi facultatem suis fratribus tollere nequivisse S. Franciscum vel ex eo etiam erui, quod eidem ignotus fuerit ejusmodi iter instituendi modus. IV. Patere enim, nihil esse volitum nisi cognitum; neque legem obligare posse ultra legislatoris intentionem: dum omnis obligatio legis a seria legislatoris voluntate dependeat, debito modo subditis patefacta. V. Praeterea S. Franciscum haud jussisse suos fratres pedestres ire; sed tantum edixisse, quod non debeant equitare, nisi manifesta necessitate vel infirmitate cogantur. VI. Proindeque cum de nova obligatione agatur, memoria repetendum esse Benedictum XIV docuisse: Non debent imponi ligamina, si non adest lex clara quae illa imponit; et l. 47 ff. de obl. et act. ubi de obligando quaeritur, propensiores esse debere

§ 49.

III. Modus in hospitiis conversandi.

TEXTUS. *In quamcunque domum intraverint, primum dicant: Pax huic domui. Et secundum sanctum Evangelium de omnibus cibis, qui apponuntur eis, liceat manducare.*

S. Pater hisce verbis Fratres docet, qua *salutatione* in domibus Saecularium, a quibus hospitalitatis gratiam recipiunt, uti debeant, et qua *libertate* circa victum, qui ipsis subministratur, frui possint.

1. Quoniam Christus Apostolos, quibus redivivus apparuit, salutavit dicens: *Pax vobis,* ut sic eis charitatem, benevolentiamque suam ostenderet; S. Franciscus voluit, ut etiam Fratres, dum in domum quamdam ingrediuntur, ut hospitalitatis gratiam perficiant, eadem salutatione utantur, dicentes: *Pax huic domui!* — « Optando « autem pacem, ait *S. Bonaventura,* optamus liberationem a malo, « et promotionem in bono ». Utrumque juxta legem fraternae charitatis cuilibet proximo, et praecipue benefactoribus optare debemus: quod autem praedicta salutatio ore proferatur, est S. Patris consilium, non praeceptum, uti cum *Serena Conscientia* dicit *Viator a Cocaleo.* — Cum citatis autem regulae verbis conjungenda est alia admonitio S. Patris, qui (Opusc. S. P. Collat. 22) ait: « Sicut pa- « cem annuntiatis ore, sic in cordibus vestris pacem, et amplius « habeatis ». — « Ut enim Fratres aliis pacem precentur, ait *Ber-* « *nardinus Gandav.,* debent et ipsi pacem habere cum Deo per « puritatem conscientiae, cum seipsis per inordinatarum passionum « mortificationem, et cum proximo per humilem, mansuetam, mo- « destam, et affabilem conversationem ». Circa hanc autem conversationis affabilitatem, praeter superius (§ 47, n. 2) notata, duo alii

---

nos ad negandum. VII. Tandem colligere fas esse, quod si Franciscanis Religiosis haud prohibeatur iter facere in vaporiferis curribus neque ad id, prout in rhedis, requiratur vel infirmitas, vel manifesta necessitas; requiri omnino causam rationabilem cum Superiorum prudenti licentia, ne scandala ex inordinato usu enascantur.

scopuli vitandi sunt. Fratres enim cavere *primo* debent, ne se Saecularium negotiis immisceant, aut omnia curiose indagent, quae in eorum domibus, et familiis contingunt; quia per tales intempestivas interrogationes tum benefactoribus molesti fieri, tum etiam propriam conscientiam inquinare possunt, dum forte inordinationes auditas vel ex culpabili conniventia reprehendere non audent, vel ex turpi adulatione laudare praesumunt. Eodem modo *secundo* cavere debent Fratres, ne secreta sui Ordinis manifestent. Hanc regulam jam in Religionis primordiis caute observarunt Fratres Minores, ita ut hac de re exprobrati fuerint a nonnullis, qui dicebant, Fratres tam studiose facta sua abscondentes suspicionibus ansam praebere, quod apud ipsos varia indecentia contingant. Sed *Doctor Seraphicus* Fratrum suorum defensionem suscepit, et ut eorum reticentiam contra calumniatores vindicaret, (Determ. quaest. in Reg. q. 21) respondit: « Tria solent celari et abscondi: primum est, singularia bona, ne « de singulari gloria excellentia proveniat, et meritum depereat; « unde Salvator ait: *Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram « hominibus* etc. (Mat. 6). Item vitia et peccata, ne percipientes « scandalizentur, et qui peccantem scandalizat, duplici reatu obli- « gatur juxta illud: *Vae mundo a scandalis* (Mat. 18). Item quae- « dam solent abscondi ab intelligentibus, qui ea judicarent mala ex « sua stoliditate, cum tamen coram Deo licita sint, vel etiam meri- « toria, non propter hypocrisin, sed ne illi exinde infirmentur; et « ita non propter se tantum, sed magis propter illos occultant Re- « ligiosi facta sua, ne noceant illis; quia non possunt omnia corda « videre, et omnibus satisfacere, quare hoc, vel hoc fiat, cum saecu- « lares rudes sint, et proni saepius de Religiosis sinistra suspicari ». Juxta hanc *S. Bonaventurae* doctrinam caveant Fratres, ne multa de sui Ordinis praestantia garriant, aut de suis, suorumque Fratrum dotibus, meritisque glorientur; talis enim jactantia et Deo, et hominibus displicet, et pro honore contemptum producere solet juxta adagium satis notum: « propria laus sordet ». Multo magis cavere debent Fratres, ne graviores inordinationes, quae forte in Ordine contigerunt, aliis manifestent: talia enim manifestantes et deterrimam detractionem committunt, et maximum scandalum praebent, et praeter poenas tum a Constitutionibus, tum a Capitulis generalibus statutas, maledictionem divinam incurrunt, quia impio *Chamo* similes sunt; cum econtra prudentes Religiosi, indecora sui Ordinis reticentes, probis Noemi filiis *Semo*, et *Japheto* merito comparentur, et

cum his divinam benedictionem mereantur. Neque tantum de gravioribus inordinationibus tacendum, sed etiam sollicite cavendum est, ne unius aut alterius Religiosi leviores defectus propalentur, et contemptui aut risui exponantur; quia id quoque charitati opponitur, et funestos effectus producere solet. Denique magna saepe imprudentia est, Saecularibus ea patefacere, quae religiosa exercitia, solitas mortificationes, aut punitiones, victum, vestitum, et in genere regularem disciplinam concernunt; quia in Saecularibus, qui res monasticas debito modo ponderare nesciunt, facillime sinistra judicia producuntur (1).

2. S. Pater Fratribus itinerantibus quoad usum ciborum, qui ipsis in hospitiis porriguntur, libertatem quamdam concedit, dicens: *secundum S. Evangelium de omnibus cibis, qui apponuntur eis, liceat manducare.* « Dicit notanter *liceat,* ait *S. Bonaventura,* non « necessitatem imponendo, sed secundum indulgentiam permittendo; « ut sciat se contra regulam nihil facere, si quis voluerit sublimius « ambulare », i. e. etiam in itinere a licitis cibis lautioribus abstinere. Libertas autem Fratribus concessa convenientissima dicenda est, tum *propter S. Evangelium,* quod dicit: *manducate, quae apponuntur vobis* (Luc. 10); tum *propter paupertatem,* quae non habet unde cibos provideat speciales, atque ideo Fratres cogit, ut more pauperum cibos ex charitate sibi oblatos grato animo manducent; tum demum *propter benefactores,* quibus alias Fratres speciales cibos poscentes valde molesti fierent. — Ne autem hujus libertatis concessae abusus contingat, caute S. Pater dicit: *liceat secundum S. Evangelium;* quod etiam obedientiam erga Ecclesiam (Mat. 18), atque ideo indirecte regulae quoque observantiam, quam Summi Pontifices urgent, imo et temperantiam praecipit dicens: *Attendite autem vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula, et ebrietate* etc. (Luc. 21, 34). Itaque sicut si venenosa et mortifera apponerentur fercula, non liceret illa comedere; sic etiam Fratribus licitum non est in diebus jejunii cibos vel ab Ecclesia, vel a Regula prohibitos manducare, nisi gravis necessitas eos excuset, in qua praecepta hu-

(1) Haec, ut alibi diximus, maxime pendent a prudentia, zelo ac vigilantia Magistrorum et Guardianorum. Ubi educatio juvenum recte instituitur ad religiositatem, urbanitatem, et discretionem omnino procurandam, raro eveniunt, quae hic fugienda dicuntur. Discretio intra conventum est tutrix discretionis ac modestiae extra coenobium.

mana cedunt juri naturali. Temperantia autem etiam in lautioribus mensis ab omnibus Christianis, et multo magis a Fratribus Minoribus servanda est, qui si in cibo, aut, quod deterius est, in potu modum excederent, peccato intemperantiae peccatum quoque scandali adjungerent (1). Magna ergo circumspectione Fratribus opus est, dum in domibus Saecularium lautioribus mensis assident, in quibus a convivis varias intemperantias committi vident. *S. Bonaventura* pro talibus circumstantiis monet: « Ubi est ferculorum superfluitas, non « est evangelicae sanctitatis, superfluitatem usu suo, vel abusu ve- « rius approbare, sed magis necessitate accepta dissimulare prudenter, « quod nequit sine scandalo reprehendi ». Idem fere monet *Politius* dicens: « Ubi lauta et abundans est mensa, talem superfluitatem « Fratres non se ingurgitando approbare, sed magis sobrietate ser- « vata necessitati solum, et non gulae satisfacere debent, ut sic quod « verbis prudenter dissimulant, reprehendant exemplo ». Notandum tamen est, quod in talibus circumstantiis imprudentes reprehensiones, non autem bonae admonitiones, quae prudenter fieri possunt, nec fraternae correctiones, quae juxta praeceptum evangelicum fieri debent, prohibeantur: imo prudentia exigit, ut Fratres, etiamsi mensa minus lauta ipsis praeparetur, non mundani moris gratias, sed cum sincero humilitatis et paupertatis spiritu profiteantur, nimia esse illa, quae ipsis concessa fuere; et ut generatim pro omnibus sibi oblatis debitas gratias agant.

(1) Ut peccati scandali major minorque reatus recte judicetur, attendendum ad conditiones locorum ac personarum.

CAPUT IV.

§ 50.

Quod Fratres non recipiant pecuniam.

Quicunque ad normam Evangelii Ordinem religiosum instituerunt, unanimi consensu ordinarunt, ut omnia illius membra voto paupertatis ligarent, nihilque proprii in hac terra possideant. S. Franciscus autem, altissimae paupertatis praeco, ulterius processit, et Fratribus suis omnem etiam denariorum et pecuniae usum interdixit: qua in re nonnisi exemplum Christi secutus est, qui Apostolis suis ad praedicandum missis dixit: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris* (Mat. 10, 9). Divinus vero Redemptor hoc praeceptum Apostolis suis ex sanctissimis rationibus dedit: 1. ut eos praemuniret contra avaritiam, et eradicaret concupiscentiam pecuniae, quae maximam tyrannidem in hoc mundo exercet; nam (Eccle. 10, 15) dicitur: *Pecuniae obediunt omnia;* et (5, 9) *avarus non implebitur pecunia.* Ideo *S. Ambrosius* (de offic.) scribit: « Dominus ad discipulos ait: *Nolite possidere aurum,* « *neque argentum,* quo velut falce in humano pectore succidit pul- « lulantem avaritiam ». Et in eumdem locum *S. Chrysostomus* dicit: « Radicem malorum confestim evellens ait: *non possideatis* « *aurum neque argentum;* non dixit: non accipite vobiscum, sed « etiam si possibile sit aliunde accipere, fugite periculosam hanc « aegritudinem ». 2. Ut exerceret eos in confidentia ad Deum, et vicissim divinam in eis virtutem monstraret; debebant enim Apostoli prae caeteris omnem suam sollicitudinem projicere in Eum, qui pascit volatilia coeli, et vestit lilia campi, et qui scit, quibus homines indigeant; et vicissim, ait (l. c.) *S. Chrysostomus,* « eosdem « Apostolos Christus docuit divinam suam virtutem, quando nihil « ipsis defuit, cum eos ad praedicandum sine sacculo et pera, nudos « et discalceatos misit ». 3. Ut amota sit materia luxus; quia communiter loquendo ad superflua vitae commoda sibi comparanda, de-

nariis aut pecunia opus est. 4. Ut nemo suspicari posset, Apostolos praedicando temporale lucrum quaerere; nam, ait *S. Hieronymus* (in Mat. 10, 9), « si Apostoli aurum, argentum, et pecuniam pro se « haberent, et acciperent, non viderentur causa salutis hominum « praedicare, sed lucri: propterea Christus vitae necessaria amputat, « ut Apostoli, Doctores verae religionis, qui instruebant omnia di- « vina providentia gubernari, seipsos ostenderent nihil cogitare de « crastino ». 5. Demum ut Apostoli ab omni terrena sollicitudine sejuncti indivisa cordis intentione praedicationi verbi Dei insudarent; quapropter *S. Chrysostomus* (in Mat. 10, 9) dicit: « Orbi terrarum « Deus Doctores missurus erat, propter hoc Angelos eos ex homini- « bus constituit, ab omni absolvens hujus vitae sollicitudine, ut una « sola retineantur cura, quae est cura doctrinae ». — Jam ex similibus rationibus, et praecipue ad terrenarum rerum affectum e corde penitus evellendum, S. Franciscus Fratribus suis denarios et pecuniam prohibuit, ut vitam vere evangelicam et apostolicam agerent. Quam legem considerans *S. Bonaventura* (in cap. 3 in fine) ait: « Haec est radix sapientiae beato Francisco divinitus inspirata, ne « vepribus et spinis pene in universa terra existentibus terror spi- « narum et veprium veniat in horto suo; quia de spinis uvae mi- « nime colliguntur ». — Ut autem gravissimum hoc caput S. Regulae rite exponatur, 1. *ipsa denariorum, et pecuniae prohibitio declaranda,* 2. *de recursu ad amicos spirituales,* ac 3. *de Substituto,* et *de Syndico apostolico* agendum est.

ARTICULUS I.

§ 51.

De denariorum, et pecuniae prohibitione.

TEXTUS. *Praecipio firmiter Fratribus universis, ut nullo modo denarios, vel pecuniam recipiant per se, vel per interpositam personam.*

Quantum S. P. Francisco cordi fuerit, ut Fratres a denariorum, et pecuniae usu semper alieni maneant, clarissime patet ex energico modo, quo praeceptum hoc eminens in citatis regulae verbis proponit.

Ait enim: *Praecipio,* i. e. non solum consulo ut amicus, nec tantum moneo ut Pater, sed verum mandatum do ut Legislator; et quidem *firmiter,* i. e. cum plena auctoritate, et immutabili voluntate gravem obligationem impono non uni tantum et alteri, sed *Fratribus universis,* sicut Laicis, ita et Clericis, et sicut Subditis, ita et Superioribus, ac etiam ipsis Ministris tum Provincialibus, tum Generalibus, *ut nullo modo,* et sub nullo praetextu, nec directe, nec indirecte, nec publice, nec occulte *denarios, vel pecuniam,* i. e. nummos, aut his aequivalentia *recipiant* in proprietatem, aut in usum *per se,* i. e. propriis manibus, *vel per interpositam personam,* quae ab ipsis denominata sit, ipsorumque vices agat. — Ad hoc praeceptum rite intelligendum investigandum est, 1. *quid per denarios, et per pecuniam intelligatur,* 2. *quid sit recipere pecuniam per se, vel per interpositam personam,* et exinde deducendum est 3. *quid in hac materia Fratribus penitus prohibeatur,* et 4. *quid, adhibitis debitis cautelis, ipsis licitum esse possit.*

§ 52.

I. Quid per denarios, et per pecuniam intelligatur.

1. Nomine *denariorum* juxta omnes intelliguntur nummi, seu monetae ex auro, argento, cupro etc. publica auctoritate confectae et signatae, ut in emptione et venditione, aliisque contractibus pro solutione dentur, vel accipiantur. Sub eodem denariorum nomine comprehenduntur etiam chartae, seu papyri ad eumdem finem ab auctoritate publica impressi, et nummorum loco in societate civili adhibiti, e. g. Banc-Noten (1).

2. Quid per *pecuniam* in citato Regulae loco intelligatur, non una est omnium sententia. Nonnulli cum *Marchantio* putant, denarios, et pecuniam voces synonymas esse, idemque indigitare; tum

(1) Sigilla postalia (vulgo *francobolli, timbres-poste, Briefmarken*) habent rationem pecuniae, si adhibeantur uti moneta, v. g. ad emendos libros; secus, si exclusive ad epistolas mittendas, quia haec primario et per se destinantur ad epistolas, et per accidens tantum aliquoties accipiuntur uti pretium emptionis. Constat ex praxi timoratorum, ex notione denariorum ac pecuniae, etc.

quia juxta communem loquendi consuetudinem, a qua S. Franciscus haud credendus est recessisse, eumdem significatum habent: tum quia in Regula non dicitur « denarios, *nec* pecuniam », sed « denarios, *vel* pecuniam »; tum quia *Nicolaus III* et *Clemens V* per pecuniam idem quod per denarios intellexisse videntur. — Haec autem sententia sat communiter (1) a Regulae Expositoribus ut falsa rejicitur, quia tum genuinae vocis pecuniae significationi, tum constanti seraphici Ordinis traditioni opponitur. Ideo isti dicunt, per pecuniam in Regula expressam intelligi omnem rem, quae pretio aestimatur, et quae a Fratribus accipitur, non ut ab ipsis usu consumatur, sed ut sub aestimatione pretii cum alia re commutetur. Nam pecunia juxta *Varronem* derivatur *a pecudibus,* quae antiquis temporibus ab hominibus ad alias res sibi procurandas tradi solebant; unde factum est, ut postmodum quaelibet res, tali permutationi inserviens, pecunia diceretur. Ideo etiam *Aristoteles* ait: « Pecunias ea omnia di-« cimus, quorum aestimationem nummus metitur » (4. Ethic. c. 1). Hoc idem sensit *S. Augustinus,* cujus verba in Canone (c. 1, *Totum,* q. 3) referuntur, in quo legitur: « Totum, quidquid omnes « possident in terra, omnia, quorum Domini sunt, pecunia vocatur, « servus sit, vas, ager, arbor, pecus etc.; ideo autem pecunia dicta « est, quia antiqui totum, quod habebant, in pecoribus habebant ». — Nullatenus ergo dici potest, eamdem esse denariorum, et pecuniae significationem: sed jure antiquissimi Regulae Expositores denarios, et pecuniam in sensu declarato distinxerunt. *S. Bonaventura* (in cap. IV) ait: « Dicitur pecuniae vocabulo large, quidquid tempora-« liter possidetur; et alio modo dicitur pecunia stricte, quod est « mensura commutationis rerum ». *Quatuor Magistri* (in c. 4) ajunt: « In praesenti capitulo quarumdam rerum, quae nomine denariorum « designantur, omnino usus et proprietas prohibetur. Sed secundum « jura pecunia est, quidquid appretiatur numerata pecunia etc. Vi-« detur ergo hic prohiberi receptio denariorum, et quarumlibet rerum, « quae acciperentur ad pretium rerum venditarum etc. ». — *Hugo de Dina* (in c. 4) ait: « Pecunia dicit aliud, quam denarius; omnis « enim denarius pecunia, sed non omnis pecunia denarius est ». Hoc

(1) Voces « sat communiter » et « falsa » forsan minus accurate adhibentur; nam sententiam Auctoris non admittunt varii Expositores, qui argumentis haud levibus contrarias solvunt rationes. In praxi opinio Auctoris videtur prudentior. Cfr. Karemb., Marchant., Crousers, Matthaeuc. *Schol. paup.,* etc.

idem docent *Corduba*, *Pisanus*, *Politius*, *Sanctes* etc. Imo Capitulum generale Fr. Min. Obs., anno 1470 habitum, declaravit: « Nomine pecuniae intelligitur omnis res, quae procuratur, vel reci- « pitur, non ut Fratres utantur ea immediate, sed eo animo, ut « commutetur in aliam, vendatur, vel distrahatur ». Denique, quamvis *Nicolaus III* et *Clemens V* nomen pecuniae promiscue sumpserint, etiam denarios sub illo intelligentes, quia, ut ait *Hugo*, « omnis dena- « rius pecunia est »; satis manifeste tamen declararunt, Fratribus non solum denarios, sed etiam pecuniam, in sensu declarato, prohiberi: prior enim (C. *Exiit*, art. III) dicit: « Nec utensilia, nec alia — eo « animo, ut ea distrahant, sive vendant, recipiant »; posterior autem declaravit, omnia ea, quae usui Fratrum non inserviunt, eamdem rationem cum denariis habere; ait enim (C. *Exivi*, art. 10, n. 3): « Circa equorum vero, et armorum oblationes, illud decernimus in « omnibus, et per omnia observandum, quod per declarationem prae- « dictam in pecuniariis noscitur eleemosynis definitum ».

§ 53.

II. Quid sit recipere denarios, vel pecuniam per se, vel per interpositam personam.

1. Res tribus potissimum modis *recipi* dicuntur: vel enim recipiuntur in proprietatem, et non in usum, quod fit e. g. dum quis domum emit, aut aedificat, quam tamen non inhabitat; vel recipiuntur in usum, et non in proprietatem, quod contingit, si quis in domo quadam, cujus non est dominus, domicilium suum figit; vel recipiuntur tum in proprietatem, tum in usum, quod in illo evenit, qui domum a se emptam, vel aedificatam inhabitat. Jam vero uti cum *quatuor Magistris* communiter Expositores dicunt, Fratres tribus praedictis modis *denarios* recipere prohibentur; non enim solum denariorum proprietatem, seu dominium habere non possunt, sed ipsis etiam omnino illicitum est, denarios in suum usum recipere ita, ut eis utantur ad sibi necessaria propria auctoritate procuranda. S. Regula enim in genere denariorum receptionem interdicit, ac ideo *Clemens V* hoc praeceptum exponens ait: S. Franciscus voluit « Fratres « suos super omnia a denariis, seu pecunia esse totaliter alienos....

« Nam ubi aliquid alicui generaliter prohibetur, quod expresse non « conceditur, intelligitur denegatum ».

2. Sicut denariorum, sic etiam *pecuniae receptio* in Regula prohibetur. Licitum equidem omnino est, exceptis denariis, quaerere, et recipere res eo animo, ut his pro victu, vestitu, aut aliis necessitatibus Fratres ipsi utantur. Illicitum autem est, easdem, vel alias res quaerere, aut recipere eo animo, non ut ipsi Fratres illis immediate utantur, sed ut sub aestimatione pretii illas commutent, eisque ceu mediis utantur ad alias res, in pretio aequivalentes, sibi procurandas; tali modo enim res illae rationem *pecuniae* habent a Regula interdictae. Hoc autem sequentibus praecipue modis fieri potest: 1. quando aliquid quaeritur, aut accipitur, ut sub aestimatione pretii detur pro alia re, aut commutetur in aliam ejusdem pretii, e. g. si cui daretur lana alba sub aestimatione pretii, ut possit haberi nigra ejusdem valoris; tunc lana alba esset pecunia (ast si lana alba daretur simpliciter, et absque aestimatione pretii, tunc non esset pecunia, ait *Bonav. Dernoye*): 2. quando aliquid quaeritur, vel recipitur, ut detur pro mercede, vel pretio iis, qui suam operam collocaverunt in fabricis, aut aliis servitiis Fratrum, e. g. si recipiatur frumentum, aut butyrum, ut sub aestimatione pretii pro solutione mercenariis danda impendatur; tunc sane in frumento, aut butyro ratio pecuniae invenitur (id vero non contingit, si ex frumento, aut butyro quaesito, et recepto victus praeparatur, qui sine aestimatione pretii laborantibus in conventu tribui solet, ut recte observat *Bernardinus Gand.* pag. 245): 3. quando aliquid quaeritur, vel recipitur cum intentione illud vendendi, ut pecunia ex illius venditione acquisita pro aliis necessitatibus Fratrum expendatur; tunc jam ipsa intentio efficit, ut id quod recipitur, rationem pecuniae habeat: 4. quando Fratres aliquid quaererent, aut reciperent, quo omnino uti non possent, e. g. equos, arma et similia; tunc talia haberent rationem pecuniae, si per illa vellent alia sibi procurare, uti expresse declaravit *Clemens V* (l. c.): 5. quando Fratres ea, quae in horto progignunt, aut dono accipiunt, aut proprio labore conficiunt, pretio aestimant, et ad alias ejusdem valoris res sibi procurandas adhibent, e. g. si tabacum plantant, vel aliunde accipiunt, non ut ipsi eo utantur, aut ipsum aliis Fratribus eo indigentibus distribuant, sed ut, quantum ejus pretium aestimatur, tantum sacchari, caffee, aut similium sibi procurent, omni jure contra Regulae vetitum pecuniam recipere dicuntur. Aliud autem dicendum est, si Fratres res quasdam

quaerunt, et recipiunt, non ut ipsi iis utantur, sed quas benefactoribus vel in signum gratitudinis, vel ad eorum benevolentiam sibi conciliandam offerunt, e. g. munuscula spiritualia (1), herbas ex horto etc.; cum enim hic nulla aestimatio pretii occurrat, profecto etiam in his ratio pecuniae a Regula interdictae nulla invenitur.

3. Quaestio movetur, quid sit denarios, vel pecuniam recipere *per se,* vel *interpositam personam? — Quatuor Magistri* ajunt: « per se pecuniam recipere est, pecuniam ad convertendam in suos « usus accipere ». Putant ergo, quod *per se* idem sit ac *pro se:* sed talis sententia admitti nequit; nam si ita esset, Fratribus liceret, pro aliis pecunias accipere, et expendere, ac etiam familiarum oeconomos seu administratores fieri, quod tamen illicitum esse, ex inferius dicendis apparebit. Melius ergo cum *Corduba* et aliis *Politius* dicit: « Per se recipere pecuniam (intelligendo semper sub « nomine pecuniae etiam denarios), secundum Regulam et declara- « tiones, est usum habere pecuniae: hoc est per seipsum (propria « manu, seu in persona) ad nutum, absque alia aliqua dantis aucto- « ritate, sed propria, pecuniam in aliquos usus sive proprios, sive « alienos convertendam recipere ». — Recipere autem pecuniam *per interpositam personam* est sua auctoritate aliquem substituere ad recipiendam pecuniam in usus proprios convertendam, seu juxta proprium arbitrium expendendam. Igitur contra Regulam agit, non solum qui ipsemet pecuniam mendicat, et recipit, sed etiam qui hominem a se designatum secum ducit, sua auctoritate efficiens, ut illi a benefactoribus pecuniariae eleemosynae consignentur (2). In Jure enim legitur: « Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per se « ipsum » (Reg. 72 de Reg. Jur. in 6): sic e. g. Nobilis domum emisse dicitur, quamvis ejus nomine administrator emptionis contractum inierit.

---

(1) Si vero frater (propria auctoritate) recurreret ad amicum spiritualem, ut solvat pretium emptionis hujusmodi munusculorum, v. g. numismatum etc., tunc fieret illicitus recursus.

(2) Ergo nullo pacto licet quidquid in dicto homine seu saecularis fratris socio sapit substitutionem non dantis sed ipsius fratris, ut deducitur ex Clem. V, Const. ***Exivi.*** Vid. infra, § 54, n. 4 in fine.

§ 54.

III. Quid circa denarios, et pecuniam Fratribus penitus prohibeatur.

Fratres Minores juxta praeceptum Regulae jam declaratum circa denarios, et pecuniam non solum nullum *dominium,* nullamque *proprietatem* obtinere, sed ne *usum* quidem habere, neque ullam *auctoritatem, seu administrationem civilem* exercere licite possunt. Haec omnia in Constitutione pro Observantibus edita declaravit *Innocentius XI* dicens: « Aliarum rerum necessariarum possunt Fratres « Minores hujusmodi habere usum, licet non dominium: denariorum « autem nec dominium, nec usum. Et proinde quaevis contrectatio « pecuniae, seu denariorum, quae non sit pure naturalis, seu quae « sit quovis modo politica (cujuscunque Domini sint denarii, seu « pecunia), Fratribus Minoribus est omnino prohibita ». Ex his principiis statutis varia consectaria deduci possunt, et magna ex parte ab ipsis Pontificibus deducta fuerunt, quae ostendunt, quid circa denarios et pecuniam Fratribus penitus prohibeatur.

1. Fratribus penitus prohibitum est, *denarios mendicare,* aut etiam *ultra oblatos per se,* i. e. propriis manibus *recipere.* Nam *Clemens V* (C. *Exivi,* art. 4) dicit: « Quocirca quaestus omnis pe- « cuniae, ac oblationum pecuniae receptio in Ecclesia, vel alibi.... « haec, inquam, omnia sint eis simpliciter interdicta ». False sentiunt, qui putant, denarios recipi posse, dummodo charta sint involuti, vel in marsupio aut in aliquo vase contenti: errant hi Pharisaeorum more legem explicantes, quam tamen graviter violant; quoniam revera denarios contra Regulae praeceptum recipiunt, cum modus accidentalis substantiam rei non mutet. — Idem dicendum est de illis, qui dum ipsis denarii offeruntur, in ipso conventu locum, in quem reponantur, assignant, ex quo eos deinceps per se, vel per alium pro suo tantum arbitrio denominatum sumunt, et in suum, aut conventus usum expendunt. Graviter pari modo delinquunt, qui scienter et voluntarie permittunt, ut in caputium, aut in pallium, aut in saccum etc., nummi immittantur, quos dein per se, vel per alium a se denominandum extrahant, et in suos usus convertant,

uti recte cum *Marchantio, Kerckhove* et aliis observat *Bernardin. Gand* (1).

2. Quoniam a Regula prohibitum est, non solum *per se*, sed etiam *per interpositam personam* denarios, vel pecuniam recipere; ideo etiam nullatenus Fratribus licet, *denarios vel pecuniam per alios mendicare*. Graviter ergo peccat Frater, qui, denarios mendicans, hominem saecularem, vel Tertiarium secum ducit, eumdemque ad hoc denominat, ut eleemosynas pecuniarias recipiat; in tali enim casu Frater, quamvis denarios nullo modo tangat, tamen hos per interpositam personam recipere, ac graviter Regulam violare dicendus est. Aliter sentiendum esset, ait *Bernardus Bonon.*, si Frater non denarios, sed alias res licitas cum homine saeculari mendicaret; et si quis benefactor non petitus, sed spontanea voluntate denarios pro Fratrum necessitatibus expendendos offerret, et ipsos ideo praedicto homini saeculari traderet: tunc sane Regula non violatur; quia in tali casu iste saecularis homo non est interposita persona Fratris, sed fit Substitutus Dantis. Magna autem, ut idem auctor monet, circumspectione hac in re opus est, ne per moralem quemdam Fratris influxum transgressio Regulae contingat, aut pro aliis scandalum oriatur. — Illicitum autem omnino est Fratribus, ut homines saeculares incitent, atque emittant ad denarios pro conventu mendicandos; quoniam, qui sic mittuntur, denarios ut interpositae personae reciperent (quomodo autem, et quando recursus licitus sit, inferius declarabitur). Si autem, ait citatus *Bernardus Bonon.*, Saeculares ex motu proprio, insciis Fratribus, pro horum necessitatibus denariorum collectionem instituerent, Fratres, qui in hanc nec physice, nec moraliter influunt, Regulam haud violarent, et in suis necessitatibus ad talem collectam eleemosynam recurrere possent: quod si Fratres compererint, pro se denarios colligi, convenit, ait *Viator a Cocaleo*, ut protestentur, absque suo mandato hoc fieri (2).

3. Quamvis Fratres pro altissima sua paupertate ex mendicatione vivere debeant; attamen, quia denarios et pecuniam recipere prohibentur, non possunt licite in Ecclesia, vel alibi *cippos* aut *truncos* applicare, in quos benefactores eleemosynas pecuniarias re-

(1) Haec omnia omnino sapiunt hypocrisim, ac vere prohibita dicenda sunt ex Clemente V in praecedenti nota allegato.

(2) Imo, seclusis specialissimis rationibus, impedire deberent pro viribus, ne hoc frequenter fieret: secus facile in ruinam abirent seraphicae paupertatis vigor, decus ac pulchritudo.

ponere possint. Id prohibitum esse, declaravit *Clemens V* (l. c.) dicens: « Pecuniarum receptio in Ecclesia vel alibi, cippi vel trunci « ordinati ad offerentium, seu donantium pecunias reponendas.... « haec, inquam, omnia sint eis simpliciter interdicta ». Si autem ad instantiam Episcopi, vel Magistratus in Ecclesia Fratrum pro pauperibus saecularibus pecuniariae eleemosynae collectio fieret, id permitti potest, dummodo ipsa collectio a Saecularibus perficiatur, et publice constet, eamdem nec ex mandato Fratrum, nec in horum emolumentum fieri (1). — Quid autem Fratribus faciendum esset, si quae devota persona denarios clam in altare, vel ad S. Imaginem, etc. reponeret? *Bernardus Bonon.* respondet, quod Fratres talem pecuniam nec propriis manibus sumere, nec alium ad eam sumendam deputare possent, quia denarios et pecuniam per se, et per interpositam personam recipere prohibentur; et quod ideo reposita pecunia pauperibus, seu dispositioni Episcopi relinquenda sit. Haec autem responsio non satis solida videtur. Nam reposita pecunia, a nemine acceptata, remanet in Dantis dominio, et justitia exigit, ut juxta Dantis voluntatem expendatur, quae in praesenti casu saltem probabiliter alia non est, quam ut vel necessitatibus Fratrum subveniatur, vel altare ornetur, vel coram Imagine candelae accendantur, etc. Fratres autem possunt simpliciter factam pecuniae repositionem timorato cuidam viro saeculari manifestare, qui si pecuniam non a Fratribus impulsus (2), sed bona voluntate motus in nomine Dantis sumat, et juxta probabilem hujus intentionem expendat, non est interposita persona Fratrum, sed censetur Dantis Substitutus; et sic, quantum fieri potest, justitia servatur, et regula non violatur.

4. Quoniam Fratres denariorum, vel pecuniae dominium, seu proprietatem nullatenus habere possunt, ideo ipsis etiam omnes *illi actus* prohibentur, qui dominium, auctoritatem, seu jus ad pecuniam ostentant. Graviter ergo Regulam violat, qui, licet denarios nullo modo tangat, illi tamen, apud quem repositi sunt, imperiose praecipit, quomodo illos expendere debeat; vel qui ab eodem in judicio, vel extra istud rigorosam rationem exigit, qualem Domini a suis admi-

(1) Idem dicendum de collectis, quas aliquibus in locis Tertiarii facere solent in publicis eorum conventibus ad exclusivam utilitatem propriae eorum Congregationis.

(2) Non tamen esset *impulsio* talem saecularem instruere de rebus, quae tum ipsi tum nobis licent hac in re, dummodo id prudenter fiat et absque affectu ad illam pecuniam: indebitum enim silentium ridiculum foret.

nistratoribus exigere solent; vel qui repositam apud unum pecuniam repetit, ut illam alteri tradat, vel alibi deponat, aut deponi faciat; vel qui pecuniae capsulam, aut saltem ejus clavem apud se retinet, ne denarii sine ipsius consensu expendantur, penitus autem a suo arbitrio dependeant. Haec omnia illicita esse, declaravit *Clemens V*, (l. c.) dicens: « Quapropter praecipere quod, et qualiter pecunia « expendatur, computumque exigere de expensa, cam quomodocunque « repetere, sive deponere, aut deponi facere, capsulam pecuniae, vel « ejus clavem deferre, hos actus, et similes sibi Fratres illicitos esse « sciant: praedicta enim facere ad solos dominos pertinet, qui de- « derunt, et eos, quos ipsi deputaverunt ad hoc ipsum ».

5. Fratres, quibus pecuniae nec dominium, nec usus competit, non possunt *mutuum* dare, vel accipere. Mutuum enim est contractus onerosus, quo quis rem suam sic alteri tradit, ut statim fiat accipientis, cum obligatione reddendi postea rem eamdem non numero, sed specie, et bonitate (v. *Billuart*, de Contr. Diss. 4, art. 1). Fratres ergo, pecuniam mutuo accipientes, hujus dominium acquirerent, et pecuniam mutuo dantes dominium, quod non habent, in alium transferrent, a quo restitutionem exigendi jus haberent, atque ideo Regulae transgressores existerent. Hac de causa *Nicolaus III* (*Exiit*, art. IV) dicit: « Fratres a mutuis contrahendis abstineant, « cum eis mutuum contrahere, ipsorum statu considerato, non liceat ».

6. Juxta citata Innocentii XI verba « quaevis contrectatio pe- « cuniae, seu denariorum, quae non sit pure naturalis, seu quae sit « quovis modo politica (cujuscunque Domini sint denarii, seu pe- « cunia), Fratribus Minoribus est omnino prohibita ». Ex hac declaratione sequitur, Fratres etiam alienae pecuniae, et in favorem aliarum personarum, quae non sint ejusdem Ordinis, administrationem politicam seu civilem suscipere nullatenus posse. Illicitum est ergo Fratribus, alienas pecunias custodire ut *depositum*, i. e. cum obligatione illas integras reddendi; quia tale depositum inter contractus civiles reputatur. Si ergo in casu urgentis necessitatis pecuniae custodiendae Fratribus traderentur, hi deponentem monere debent, quod nullam restitutionis obligationem, si quid de illis depereat, in se sumere possint (1). Ex eadem causa Fratres non possunt *pupillorum*

(1) Fratres tamen tunc etiam ex praecepto charitatis tenerentur ad fidelem *depositi* custodiam; et rei essent coram Deo, si ex eorum negligentia deposita perirent.

tutores, minorennium curatores, familiarum oeconomi, vel *testamentorum executores* fieri; quia haec omnia denariorum, seu pecuniae contrectationem politicam, seu administrationem civilem involvunt, quamvis in his sana consilia dare non prohibeantur. Satis clare id exposuit *Clemens V* (l. c.) dicens: « Cum dicti Ordinis Fratres non « solum a receptione, proprietate, dominio, sive usu ipsius pecuniae, « verum etiam a contrectatione qualibet ipsius, et ab ea sint penitus « alieni quemadmodum saepe praedictus Praedecessor noster (Ni- « colaus III) in declaratione hujusmodi Regulae plane dixit; cumque « dicti Ordinis Professores pro nulla re temporali possunt in judicio « experiri: praedictis Fratribus non licet, neque competit, quin « potius considerata sui puritate status debent sibi scire interdictum, « quod hujusmodi executionibus, et dispositionibus se exponant, cum « haec saepius absque litigio, et contrectatione, vel administratione « pecuniae nequeant expediri. Verum tamen in his exequendis dare « consilium, ipsorum statui non obsistit; cum ex hoc ipsis circa « bona temporalia nulla jurisdictio, sive actio in judicio, sive di- « spensatio tribuatur ».

§ 55.

IV. Quid circa denarios, et pecuniam, adhibitis debitis cautelis, Fratribus licitum sit.

1. *In casu extremae necessitatis* licite possunt Fratres denarios, vel pecuniam per se, vel per interpositam personam recipere, illisque uti ad necessaria sibi procuranda. Nam lex naturalis, qua tenemur vitam conservare, atque ideo extremis necessitatibus nostris subvenire, gravius obligat, et magis indispensabilis est, quam lex positiva, et praeceptum humanum de non recipienda pecunia, uti recte cum *Huyone* observat *Politius*. Christus ipse, qui Apostolis suis aurum, argentum, et pecuniam interdixit, tempore Passionis suae illis sacculos i. e. loculos permisit, dicens (Luc. 22): *misi vos sine sacculo* etc.; *sed nunc qui habet sacculum tollat similiter et peram.* In quae verba *S. Bonaventura* dicit: « Igitur Apostoli missi ad « praedicandum loculis caruerunt; tempore vero persecutionis, et

« passionis dispensative loculos pro se ipsis habuerunt » (1). Nonnulli quidem putarunt, usum pecuniae ne in extrema quidem necessitate licitum, et mortem potius tolerandam, quam pecuniam recipiendam esse; quia S. Pater pro necessitatibus infirmorum sollicitam equidem curam praescribit, denarios vero et pecunias recipere vetat. Sed notandum est, quod S. Pater hic loquatur de ordinario modo infirmis necessaria providendi, non vero excludat extraordinarium modum, qui adhibendus esset, si non aliter quam per pecuniae receptionem et usum, necessaria provisio fieri posset; vitae enim conservandae obligationem, ex jure naturali et divino promanantem, per praeceptum suum tollere nec voluit, nec potuit (2). Certum autem est, quod etiam in casu extremae necessitatis pecuniae usum, non vero proprietatem Frater Minor habere possit; quia haec non requiritur, sed illa sufficit ad vitam alendam. Ipse etiam pecuniae usus duplici modo fieri potest, nimirum vel sine, vel cum pretii aestimatione: prior contingit e. g. si quis Fratri in extrema necessitate constituto donat aureum, ut sibi necessaria provideat, et hic id, quod accepit, cauponi tribuat, quin de rebus ab hoc acceptis computum instituat: posterior contingit, dum more Saecularium, inito calculo, tantum pecuniae datur, quantum pro re accepta exigitur. Jam, ut monet *Philippus a Castel.*, Frater Minor, quantum prudenter (3) fieri potest, a contractu civili abstinere, atque ideo priorem modum etiam in necessitate praecligere debet; sed etiam posteriorem modum pro Missionariis licitum declaravit *Urbanus VIII:* ast si Frater hominem saecularem, vel tertiarium comitem habet, certe convenit, ut per hunc pecunia expendatur, et contractus ineantur. Probe quoque notandum est, quod pecuniae usus solum in necessitate licitus sit; ideo Fratres, quibus ob urgentem necessitatem pecuniae usus permissus fuit, si in talia loca veniunt, in quibus necessitas disparet, e. g. si urbes, aut pagos ingrediuntur, in quibus sunt conventus Religiosorum, aut alii benefactores ad Fratres gratis sustentandos parati, certe non possunt licentia obtenta in cauponis pecunias expendendo uti; quia tum

(1) Ex quibus intelligitur, quare S. Sedes benignior sit tempore civilium suppressionum in variis concedendis dispensationibus favore Fratrum Minorum.

(2) Unde talis opinio omnino falsa ac omni juri contraria dici debet.

(3) In praxi tamen hodie generatim imprudens foret, quod *Castel.* insinuat: nam caupones solas lucri subtilitates intelligere solent, et fortiter exigere ac tenere.

scandalum praeberent, tum praejudicium aliis Fratribus afferrent, qui sine pecunia itinera instituere debent, ut recte observat citatus *Philippus a Castel.*

2. *Confessarius* licite potest recipere a suo poenitente restitutionem pecuniae ob delictum occultum faciendam; quia alias ille munere suo rite fungi non posset, cum delinquens ex jure divino occultus manere debeat, atque ideo ipsi obligatio imponi nequeat injustitiam suam alteri manifestandi. Optimum autem est, ut Confessarius denarios hujusmodi accipiat charta involutos, sigilloque munitos cum inscriptione: *pro Restitutione sacramentaria consignanda Domino N. N.* — Equidem, si opus fuerit, ipse quoque Confessarius denarios pro restitutione acceptos Domino, sibi in Confessione indigitato, tradere potest; quamvis saepissime magis consultum sit ratione sigilli, ut eosdem huic per alium, qui Confessarii nomen reticeat, mittat, ne suspicionibus locus detur.

3. Ex declaratione *Innocentii XI* recte deducitur, quod *tangere,* seu naturaliter *contrectare denarios, vel pecuniam* non prohibetur nobis a Regula, sed tantum tactus politicus, seu usus pecuniarius propria auctoritate factus nobis interdictus est. Posset tamen simplex contrectatio per accidens nobis illicita fieri, nimirum vel ratione scandali, quod facillime oritur apud saeculares, qui nummos in manibus Fratrum vident (1), et contactum naturalem a civili distinguere nesciunt; vel ratione periculi, quod ipsi Fratri imminet, inordinatam cupiditatem in corde, et cogitationes seraphicae paupertati contrarias in mente excitandi. Ideo S. Franciscus socio suo, dum e terra sustulit inventum marsupium, in quo serpens continebatur, dixit: « Pecunia servis Dei, o Frater, nihil aliud est, quam Diabolus, « et coluber venenosus ». — « Qui autem, ait *Politius,* sine scan« dalo alicujus, et absque aliquo periculo denarios tangeret, levissime « peccaret peccato curiositatis, seu otiositatis secundum *S. Thomam,* « vel forte nullum peccatum (secundum aliquos) committeret (2). Quod « si aliqua causa adesset tangendi denarios, e. g. si nummus ex « urbana humilitate levaretur a terra, et traderetur magnati, ex « cujus manibus cecidisset, nullum utique erit peccatum » (3).

(1) Post factum, non tam facile judices de existentia hujusmodi peccati ex capite scandali.

(2) Opinio, quae veniale peccatum dicit merum tactum materialem non videtur probabilis; nec statim habetur otiositas.

(3) Idipsum dicito de urbanitate favore rustici ac pauperis.

4. Duplex pecuniae usus distinguendus est, *formalis*, et *materialis:* formaliter denariis utitur, qui istos juxta pretium extrinsecum, seu juxta aestimationem hominum adhibet ad alias res sibi procurandas: materialiter denariis utitur, qui ad solum pretium intrinsecum, seu ad materiam attendit, quam ad opus quoddam perficiendum adhibet; e. g. qui ducatum recipit ad deaurandos calices, vel nummos argenteos ad conficiendam capsulam pro oleo sacro. Prior usus a Regula interdictus, posterior vero, uti *Politius, Philippus a Castel., Bernardus Bononiensis* et alii dicunt, illicitus non est, dummodo ex justa causa fiat, et cum licentia Superioris (1): in tali enim casu nummi non ut pecunia in sensu civili, sed ut materia in ordine naturali considerantur; atque ideo Frater Minor, secluso scandalo, illos tangere et recipere potest calices argenteos, et deauratos.

5. Magna quaestio inter Expositores Regulae movetur, an liceat Fratribus *denarios portare*, seu *transferre de loco in locum?* — Id fieri potest vel pro aliis, e. g. pro personis saecularibus, vel pro ipsis Fratribus, seu pro bono conventus. *Hugo, Corduba* et alii licitum esse dicunt, denarios, vel pecuniam *pro aliis* portare, seu de loco in locum transferre, si id aliorum necessitas, vel charitas ipsis exhibenda exigat, dummodo Frater neque de mercede pro servitio praestando directe aut indirecte paciscatur, neque ullam obligationem civilem, e. g. pecuniae, si pereat, restituendae, in se suscipiat, sed potius contrarium protestetur. Nihil sane hic illiciti occurrit; nam, ait *Philippus a Castel.,* contrectatio pecuniae pure naturalis non est prohibita, usus civilis non intervenit, jus in denarios nullum exercetur. Ergo deferre aliorum pecunias in casu necessitatis (2) non est contra Regulam; quia hoc non est moraliter pecunias recipere, et tale servitium proximo suo praestans non peccat, prouti etiam non peccat Frater, qui duabus tunicis indutus tertiam humeris impositam portat pro alio, quia hac tertia non utitur in sensu Regulae interdicto. — Quid autem dicendum est de denariis a benefactore ad subveniendum necessitatibus Fratrum destinatis? — *Hugo, Corduba,* et nonnulli alii, qui permittunt, ut pro aliis denarii a Fratribus transferantur,

(1) Licentia Superioris hic potius respicit ipsam deaurationem quam receptionem nummorum ad deaurandum: nunquam enim subditus propria auctoritate de vasis sacris deaurandis efficaciter pronuntiat.

(2) *Vel etiam charitatis,* juxta superius dicta ab eodem Auctore.

addunt: « ad proprium autem Ordinis usum nullo modo licet custo-« dire, sicut neque contrectare, aut recipere, aut portare denarios ». Imo *Sanctes* dicit: « Pecunias ad Syndicum deferre pro necessitatibus « Fratrum expendendas, vel apud se retinere per diem aut noctem « Syndico postmodum consignandas, peccatum mortale est; quia id « per declarationes *Nicolai III* et *Clementis V* prohibitum fuit ». — Hanc vero sententiam ut nimis rigorosam, et minus solidam rejicit *Philippus a Castel.* qui putat, per se illicitum non esse, etiam talem pecuniam transferre, si ipse Dans expresse ordinet, ut ad Substitutum suum deferatur, et ab hoc pro necessitatibus Fratrum expendatur. Haec resolutio ex priori fluere videtur; juxta hanc enim Fratres possunt pecunias ad alios pertinentes licite transferre; sed etiam pecunia, quae a benefactore pro necessitatibus Fratrum destinatur, non est Fratrum, sed manet Dantis, cui proinde per translationem servitium praestatur, efficiendo, ut juxta ipsius voluntatem pecunia expendatur: etiam hoc in casu usus civilis non intervenit, et jus in pecuniam nullum exercetur. Negari autem non potest, quod hac in re magna circumspectione procedendum sit, et quod Fratres a portandis denariis, quantum fieri potest, abstinere debeant: quia facillime Saecularibus hac in re scandalum praebetur, praecipue si pecunias deferant ad subveniendum suis necessitatibus destinatas; imo hoc in casu etiam facillime contingit, ut pecunias ad suum commodum deferentes, has non ut alienas, sed ut proprias considerent, et jus sibi arrogantes Regulam graviter transgrediantur. Praeterea magnum est Fratrum privilegium, quod in itineribus suis a furibus, et latronibus eo magis securi sint, quo certius constat, apud ipsos denarios et pecuniam non inveniri: hoc autem privilegium facile deperditur, si Fratres frequenter de loco in locum pecunias deferunt. Ex his rationibus delatio pecuniae de loco in locum, nisi in casu urgentis necessitatis, rectissime Fratribus prohibetur (1).

---

(1) Praecedens ergo rigorosa sententia omnino tenenda, adstante expressa declaratione S. Cong. Episc. et Reg., 1 Julii 1796: « S. Congregatio.... censuit « rescribendum, prout rescripsit: Non licere Fratribus quibuscumque Ordinis « Minorum S. Francisci recipere per seipsos pecuniam seu denarios a benefac-« toribus quacumque ex causa, etiam titulo eleemosynae seu gratuitae seu onerosae « oblatos, neque ad hoc ut eos ad Apostolicum Syndicum conventus deferant, « sed hujusmodi receptionem ac transportationem fieri debere per saeculares per-« sonas ab eodem Syndico deputatas ».

6. Si Frater Minor in via, vel alibi *denarios a quodam amissos inveniret,* non potest hos tollere cum intentione ipsos pro suis, aut conventus sui necessitatibus applicandi, vel pauperibus distribuendi; quia graviter delinqueret de re aliena, praesertim de pecunia disponendo: hac de causa *S. Franciscus* socium suum reprehendit, qui inventum marsupium sustulit, in eoque serpentem reperit. Non autem exinde sequitur, quod *Bernardus Bon.* inferre videtur, scilicet Fratrem inventam pecuniam omnino negligere, et ut rem perniciosam fugere debere; tali enim modo charitatem proximo debitam laedere posset. Convenit ergo, ut Frater de bono proximi, qui pecuniae jacturam passus est, sollicitus sit. Equidem, si circumstantiae id permittant, debet advocare personam saecularem, de cujus justitia, et fidelitate prudens dubium non est, huic detectam a se pecuniam indicare, et totum negotium committere: si autem talis persona haberi non possit, ipse Frater licite potest, et ex charitate tenetur inventos denarios tollere, ut rem prorsus alienam secum ferre, et quantocius fieri potest, personae fideli, aut Parocho, aut Magistratui proximo consignare, ut vel facta publicatione denariorum dominus detegatur, vel si id non contingat, inventa pecunia non a Fratre, sed a legitima potestate in usus pios impendatur. Frater, ita se gerens, nec dominium, nec usum, nec civilem administrationem sibi arrogat, Regulam non violat, et opus charitatis exercet.

7. Si quaeritur, an Fratres *eleemosynas pecuniarias pauperibus distribuere* possint, variis distinctionibus opus est, ut genuina responsio dari queat. Primo ipsa pecunia distinguenda est: vel enim est pecunia, de qua ipse benefactor ceu hujus dominus ordinavit, ut pauperibus distribuatur; vel est pecunia a benefactoribus in genere ad subveniendum Fratrum necessitatibus destinata. Circa priorem pecuniam iterum distinguere oportet, an benefactor pauperes denominaverit, quibus determinatae ab eodem eleemosynae dandae sunt, an non. His distinctionibus adnotatis, variae responsiones intelligi possunt, quae circa praesentem quaestionem dari solent. — Nonnulli putant, nullatenus licitum esse Fratribus Minoribus, ut eleemosynas pecuniarias pauperibus distribuant, quamvis id juxta voluntatem benefactorum, et ex ipsorum mandato fiat: quia ipsis « quaevis « contrectatio pecuniae, quae non sit pure naturalis, seu quae sit « quovis modo politica, interdicta est ». Sed haec sententia nimis rigorosa est; nam si, ut Expositores communiter dicunt, licitum est, non solum ex necessitate, sed etiam ex charitate portare denarios de

loco in locum, cur non licebit eosdem portare ad pauperem, cujus indigentiae occurritur, et quidem in gratiam benefactoris, qui aut incommodum subire recusat, aut ignotus manere cupit? Ideo alii dicunt, quod Frater Minor licite eleemosynam pecuniariam deferre possit ad pauperem, si hunc ipse benefactor denominavit: sed addunt quod non possit Frater Minor licite eleemosynas recipere, et ipse dein pauperes, quibus eas distribuere velit, denominare; quia circa pecunias dominium quoddam, vel saltem administrationem civilem exerceret. Pro praxi tamen, qui hujus sententiae sunt, suadent, ut Frater, cui eleemosynae pro aliis offeruntur, pauperes, quos ipse novit, Danti manifestet, et ab eo inquirat, an huic, et illi certam pecuniae quantitatem dare possit; quo consensu obtento eleemosynae a Fratre benefactoris nomine, et non propria auctoritate distribuuntur. Sed haec praxis difficultate non caret; quia hincinde vel benefactoris consensus exquiri non potest, aut hic pauperes determinare non vult, et distributionem penitus judicio Fratris committit; vel quia saepe dantur pauperes occulti, quorum egestas sine magna ipsorum confusione manifestari non potest. Tali in casu nullo modo illicitum videtur, ut ipse Frater eleemosynam sibi commissam talibus pauperibus distribuat, quos coram Deo ea indigentes, et dignos judicaverit, quamvis a benefactore non fuerint denominati: non enim ideo Frater dominium in pecuniam sibi usurpat, nec hujus usum sibi arrogat, nec administrationem civilem exercet; cum, ut supponitur, nec de mercede pro distributione paciscitur, nec obligationem quamdam civilem suscipit; sed tantum judicium suum fert de indigentia, et dignitate pauperis, quo posito ipsa expressa voluntas benefactoris exigit, ut eleemosyna distribuatur. Huic sententiae favet *Bernardus Bonon.* qui (Lect. 10, § 7, n. 17) dicit: « Si e. g. Nobilis in Te-« stamento ordinat, ut certa pecuniae summa, seu dos detur illi per-« sonae, quae a Fratre N. nominata fuerit, hic in tali casu licite eam « denominare potest (1); quia in sensu vero non Frater disponit de « pecunia pro denominata, sed offert denominatam pro dispositione al-« terius ». Talis ergo denominatio a benefactore Fratri commissa non involvit administrationem civilem, atque ideo in se illicita non est. — Major difficultas versatur circa pecuniam, quam benefactores destinarunt, ut pro necessitatibus Fratrum expendatur, et non ut aliis

(1) Imo ordinario ex praecepto charitatis, denominare tenetur.

pauperibus distribuatur: quomodo Fratres illam contra voluntatem Dantium distribuere poterunt, quin prohibitum sibi dominium, seu jus in pecuniam exerceant? — Sed ad istam difficultatem tollendam distinguenda est voluntas expressa, quae manifestatur verbis, signis, vel scripto; tacita, quae implicite includitur in actu expresse concesso, vel ex illo rationabiliter deducitur; et praesumpta, quae adest, quando prudenter judicatur, quod quis consentiret, si praesentes circumstantias nosset. Jam circa praedictam pecuniam equidem voluntas benefactoris expressa non habetur, sed tamen tacita adest; quia benefactores substituto suo pecunias consignare solent, ut eas expendat juxta Superioris, seu Guardiani voluntatem; et jure etiam praesumuntur consentire, si Superior aut Guardianus judicaverit, eorum eleemosynas Fratribus necessarias non esse, et ideo permittat, ut per has aliis, praecipue genitoribus Fratrum in gravi necessitate constitutis subveniatur. — Ex dictis autem sequitur, Fratres subditos non posse sine licentia Superioris pecuniam quamdam quae pro necessitatibus Fratrum apud Substitutum reposita est, pauperibus erogare. Sed si etiam illa licentia a Superiore obtenta fuerit, vel si benefactores eleemosynam deposuerint certis pauperibus distribuendam, non convenit, ut Frater ipse his pecuniam tradat, si id commode per hominem quemdam saecularem fieri potest: et quovis casu cavendum est a talibus terminis, qui significent, subsidium pecuniarium ab ipso Fratre, vel a Conventu pauperi tribui; verum potius asserendum est, benefactorem quemdam ei hanc eleemosynam impertiri. Generatim enim in contrectatione pecuniae, etiam per se licita, cautissime semper procedendum est; « cum, ut monet *Clemens V,* non « solum quod malum esse dignoscitur, sed et omne quod habet speciem mali, sit a viris perfectis specialiter evitandum etc., — et « ut testimonium habeant ab his, qui foris sunt, et puritati satisfaciant voti sui, ac evitetur per hoc scandalum pusillorum ». — Caeterum etiam Guardiani, et Superiores memores sint oportet, se eleemosynarum etiam indifferentium nullatenus dominos esse, sed has quoque juxta intentionem benefactorum pro necessitatibus Fratrum expendere debere. Quamvis autem, si pro necessitatibus conventus jam satis provisum sit, ex tacita seu praesumpta benefactorum voluntate per eleemosynas superabundantes pauperibus in vera necessitate constitutis subsidium concedi possit; nullatenus tamen Guardianis et Superioribus licitum est, per eleemosynas indifferentes propinquis aut amicis suis commodiorem vitam comparare, aut eorumdem

animos variis donis sibi devincire; quia ad haec ne tacitam quidem benefactorum voluntatem praesumere possunt. Denique tum intentio benefactorum, tum ordo charitatis postulat, ut primo Fratribus indigentibus, et dein aliis pauperibus subveniatur: si ergo in conventu quodam eleemosyna superabundans inveniatur, convenit ut per hanc auxilium praestetur aliis conventibus in necessitate constitutis. Quia autem hujusmodi indigentias communiter solus Provincialis cognoscit, ideo necesse est, ut huic Guardiani et Superiores eleemosynas, quibus abundant, indicent, et ipsius distributioni committant.

ARTICULUS II.

§ 56.

De recursu ad amicos spirituales.

TEXTUS. *Tamen pro necessitatibus infirmorum, et aliis Fratribus induendis per amicos spirituales Ministri tantum et Custodes sollicitam curam gerant, secundum loca, et tempora, et frigidas regiones, sicut necessitati viderint expedire, eo semper salvo, ut (sicut dictum est) denarios vel pecuniam non recipiant.*

S. Franciscus voluit, ut Fratres, altissimae paupertati inhaerentes, neque proprii quid possideant, neque denarios, vel pecuniam recipiant; sed ea quae ad vitam sustentandam necessaria sunt, vel per spontaneas oblationes, vel per mendicationem accipiant. Probe autem S. Pater praevidit, quod hoc duplici modo non omnia obtineri possint, quae hincinde Fratribus necessaria fiunt, praecipue ea, quae ad vestiarium Fratrum, et ad curam infirmorum requiruntur. Ideo quantum paupertatis, tantum et charitatis studiosissimus, Ministris et Custodibus non solum licentiam dedit, sed etiam obligationem imposuit, ut magna sollicitudine Fratrum necessitatibus subvenire studeant, ac ideo ad amicos spirituales recurrant, qui pecunia sua Fratribus necessaria providere possint et velint, quin tamen Fratres ipsi denarios, vel pecuniam recipiant, aut expendant. Inquirendum

ergo est: 1. *quid per istum recursum intelligatur,* 2. *ad quosnam spectet recurrere ad amicos spirituales,* 3. *quando, seu in qua necessitate recursus non solum licitus, sed et praeceptus sit,* et demum 4. *quomodo sit perficiendus.*

§ 57.

I. Quid per recursum intelligatur?

1. Ut recte intelligatur, quid in sensu Regulae sit recursus ad amicum spiritualem, imprimis variae personae distinguendae sunt, quae se erga Fratres benevolas ostendunt, et quibus hi in suum commodum uti possunt. Variis illae nominibus partim in Regula, partim in Constitutionibus pontificiis, partim in Expositoribus Regulae insigniri solent. Dicitur enim 1. *interposita persona,* quae ab ipso Fratre denominatur, et ipsius Fratris nomine et auctoritate denarios, vel pecuniam recipit, conservat, et expendit: 2. *Benefactor* nominatur, tum qui spontanea voluntate, seu charitate motus ad subveniendum necessitatibus Fratrum denarios, vel pecuniam offert: tum qui sive sponte, sive rogatus tales res Fratribus elargitur, quibus ipsi uti possunt: 3. *Substitutus* est persona ab ipsis benefactoribus designata, ut eleemosynas pecuniarias ad subveniendum necessitatibus Fratrum destinatas recipiat, conservet, atque expendat. Magna ergo differentia est inter personam interpositam, et Substitutum; nam illa constituta est a Fratribus propria auctoritate, hic vero ordinatus est ab eo, qui eleemosynam dedit; illa expendit pecuniam auctoritate Fratrum, hic eam expendit auctoritate Dantis, tanquam hujus, non vero Fratrum minister et procurator; illi possent Fratres praescribere, qualiter debeat pecuniam expendere, huic vero nihil possunt praescribere, sed tantum necessitatem suam manifestare rogantes, ut pecunia juxta intentionem dantis expendatur. 4. *Syndicus apostolicus* est persona, quae nomine et auctoritate Sedis Apostolicae adest Fratribus, denarios et pecuniam recipiens et expendens, atque caeteras res, in usum Fratrum concessas ita administrans, ut horum necessitatibus subveniatur. Demum 5. *Amicus spiritualis* vocatur persona spiritualiter amans Religionem nostram, quae a Fratribus rogata sua pecunia vel res necessarias procurat, vel pro jam procuratis, facta solutione, satisfacit. — Patet exinde, quod

unus idemque vir sub vario respectu esse possit tum benefactor, tum substitutus, tum syndicus, tum amicus spiritualis, tum interposita persona, si nomine Fratris denarios recipiat, et hujus auctoritate expendat (1).

2. Ad meliorem rei intelligentiam tres quoque eleemosynarum pecuniariarum species distinguendae sunt; nimirum 1. *sponte oblatae,* et *determinatae* a Dante ad subveniendum Fratribus in certa quadam, et determinata necessitate; ad hanc speciem e. g. pertineret pecunia a benefactore apud Substitutum reposita ad emendos libros, vel ad procurandum oleum etc. Dantur autem etiam 2. eleemosynae *sponte oblatae,* sed *indeterminatae* seu *indifferentes,* quae a benefactoribus dantur, ut Fratribus indigentibus subveniatur, quin tamen aliqua necessitas denominetur, pro qua illae sint expendendae. Demum dari etiam possunt 3. eleemosynae *non sponte oblatae,* sed *ad preces Fratrum concessae,* qui in necessitate constituti petunt, ut sibi per pecuniam subveniatur; ad hanc speciem pertinent non solum denarii, sed etiam aliae res a Fratribus per mendicationem obtentae, non ut Fratres ipsis utantur, sed ut vendantur, et per earumdem pretium vel necessaria procurentur, vel jam procurata solvantur. His jam praenotatis facilius, quid per recursum ad amicum spiritualem in sensu Regulae intelligatur, explicari potest.

3. In tradenda *notione recursus ad amicos spirituales* Expositores Regulae non consentiunt. Juxta nonnullos recursus est actualis procuratio solutionis, vel emptionis rei necessariae, quatenus mediante pecunia per personas idoneas fieri debet. Putant isti, quod semper recursus in sensu Regulae contingat, si solutio vel emptio rei necessariae procuratur, quamvis id fiat per eleemosynas pecuniarias sive determinatas, sive indeterminatas apud Substitutum repositas, quem ideo dicunt esse amicum spiritualem in regula expressum. Eamdem fere sententiam acriter defendit *Bernardus Bonon.* (Lect. XI, § 6-10), qui tamen distinctionem quamdam admittendam esse censet. Dicit enim, recursum in sensu Regulae non fieri, si pro re necessaria, cujus emptio vel solutio procuratur, apud Substitutum reperitur eleemosyna specialiter ad hoc *determinata:* contendit autem, semper verum re-

(1) In regionibus ubi *Substitutus,* seu *Pater spiritualis* sive *Pater temporalis* vocatur « Syndicus Apostolicus », haec denominatio indicat Syndicum lato sensu, et honoris causa licite adhibetur ex usu locorum, quin tamen jura veri Syndici Apostolici habeat.

cursum in sensu Regulae fieri, si ex eleemosynis indeterminatis, seu indifferentibus rei necessariae emptio vel solutio mediante Substituto procuratur: rationem hujus distinctionis praecipue ex eo petit, quia, quamvis in utroque casu ad pecuniam recurratur, tamen in primo usus pecuniae jam a benefactore determinatus est, sed in secundo ab ipsis Fratribus determinatur. — Sed haec distinctio admitti non potest: falsum enim est, in secundo casu usum pecuniae a Fratribus determinari; quia eleemosynae indifferentes a benefactoribus non ex alio fine apud Substitutum reponuntur, nisi ut pro necessitatibus Fratrum, seu pro solutione aut emptione rerum necessariarum expendantur; et quamvis hae non specialiter exprimantur, usus tamen pecuniae apud Substitutum repositae jam per intentionem benefactorum determinatus est. Fratres vero solummodo necessitatem suam Substituto manifestant, rogantes, ut juxta voluntatem seu determinationem benefactorum pecuniam expendat: in hoc autem non magis disponunt de pecunia, quam Frater, qui denominat pauperem, cui eleemosyna quaedam consignanda sit, de quo tamen ipse *Bernardus Bon.* ait: « non Frater disponit de pecunia pro persona denominata, « sed praesentat denominatam pro dispositione alterius » (Lect. 10, § 7, n. 17); eodem enim modo circa eleemosynas indifferentes dici potest, quod Frater non disponat de pecunia pro sua necessitate, sed necessitatem praesentet pro dispositione alterius. Idem *Bernardus Bon.* (Lect. 11, § 9, n. 22) sequentem casum proponit, ac resolvit: Si homo quidam dives, ait, Fratri diceret, se velle per pecuniam suam ipsi subvenire, et si ideo eum interrogaret, quanam necessitate laboret; posset Frater iste necessitatem suam manifestare, quin ideo recurrere ad amicum spiritualem dicatur: hujus vero conclusionis hanc rationem assignat, quia in tali casu ipse benefactor pecuniam determinat pro illa necessitate, quae ipsi manifestata fuit, quod non fit circa eleemosynas indifferentes, quae apud Substitutum repositae sunt. Eadem autem ratio pro resolutione hujus casus adducta probat, quod etiam tunc recursus non contingat, si per eleemosynas indifferentes rerum necessariarum emptio, vel solutio mediante Substituto procuratur; quamvis enim in hoc casu non ipse benefactor pro certa, et denominata necessitate determinet, idem tamen ejus loco praestat Substitutus, qui non Fratrum, sed Dantis nomine pecuniam pro manifestata sibi necessitate determinat, et expendit. — Omni jure ergo cum multis aliis *Viator a Cocaleo* dicit, nullatenus recursum in sensu Regulae fieri, si Substituto necessitas quaedam manifestatur,

ut ipse huic per eleemosynas sponte oblatas et indifferentes occurrat; sed tunc solum recursum Regulae sumi, si benefactor, qui eleemosynam sponte nec obtulit, nec promisit, per preces Fratrum, aut per manifestatas (1) eorum necessitates movetur, ut per pecuniam suam ipsis res, quibus indigent provideat, vel jam perceptas solvat. Hanc sententiam ipsa S. Regula indigitare videtur, dum Ministris et Custodibus pro necessitatibus infirmorum, et aliis Fratribus induendis *sollicitam curam* injungit, qua certe opus non est, si apud Substitutum sufficientes eleemosynae indifferentes adsunt, quibus requisita provisio perfici potest. Eamdem sententiam Romani Pontifices confirmant; nam *Nicolaus III* (*Exiit*, Art. IV) recursum ad amicos spirituales permittit « cessantibus eleemosynis, de quibus satisfieri « commode tunc non possit »: ergo aperte solutionem factam per eleemosynas apud Substitutum repositas, et solutionem per recursum procuratam distinguit. Etiam *Clemens V* « cessantibus eleemosynis » recursum licitum declarat (*Exivi*, Art. IV, *Porro*); simul autem monet, necessitatem etiam requiri, ut per Substitutum ex eleemosynis sponte oblatis rerum emptio, vel solutio procuretur; quia nobis superflua habere non licet.

4. Recursus, juxta hanc ultimam sententiam declaratus, variis modis perfici potest: 1. verus recursus fit, ait cum *Cypriano Crousers Bernardinus Gandav.* (pag 281), si Frater apud benefactorem non quidem expresse preces adhibet, sed tamen vel indigentiam suam, vel desiderium suum hanc vel illam rem habendi manifestat cum intentione, ut hunc moveat ad rem sibi per pecuniam procurandam; quia per insinuationes suas ex nolente volentem facit: 2. quoad eleemosynas determinatas notandum est, quod hae sine licentia Dantis non possint pro alia necessitate expendi; e. g. si quis 100 florenos dedit pro libris emendis, non possunt hi applicari pro carne, oleo etc. sine licentia benefactoris: si autem haec licentia a benefactore petitur, verus recursus contingit, quia ipsius voluntas movetur ad id procurandum, quod antea in mente non habuit: 3. vera ratio recursus habetur, si Fratres ab aliquo tales res mendicando quaerunt, quas ipse in promptu non habet, et solum per pecuniam procurare potest.

---

(1) Haec *manifestatio* Fratribus prohibita est quando tali modo ac forma fit, ut sit indirecta petitio. Unde manifestationes generaliores, quae nullo pacto videntur indirectae petitiones, non prohibentur.

Debent ergo Fratres, dum mendicationi operam navant, inquirere, quinam sint illi, qui res mendicandas actu possident: sed, ut docet *Bernardus Bonon.*, in hac inquisitione nonnisi ad communem, seu ordinariam diligentiam obligantur: et si ex casu contingat, ut ab aliquo rem petant, quam non possidet, sed bona voluntate motus per pecuniam procuratam eis offert, hanc sine scrupulo acceptare possunt. In Capitulo generali anno 1608 decisum fuit, quod licitum sit, tales res ostiatim mendicare, quas Saeculares communiter domi habere solent, e. g. panem etc., quamvis notum sit, quod per pecuniam illas sibi procurare debeant; dummodo Fratres ad hos non frequentius, quam ad alios accedant, et dummodo intentionem nec interius habeant (1), nec verbis aut signis exprimant, efficiendi ut res praedictae per pecuniam procurentur.

5. Recursus autem juxta tradita principia non contingit, si benefactor non per Fratrum preces, sed propria benignitate motus pecuniam suam ad subveniendum horum necessitatibus offert, et si ideo Fratres ipsi necessitatem suam manifestant; e. g. dum benefactor Fratri dicit: si qua re indiges, indica mihi, et ego tibi eam procurabo; Frater necessitatem suam illi manifestans, et rem per pecuniam procuratam acceptans recursum in sensu Regulae non perficit. Eodem modo si quis Fratribus dicit: quando indigetis cera, vel oleo, vel saccharo etc., sumite haec apud hunc, vel illum negotiatorem, cui omnia solvam; Fratres necessaria haec sumentes recurrere non dicuntur. Idem dicendum est, dum Fratres itinerantes ad certam cauponam divertunt, et necessarium sibi victum percipiunt, pro quo benefactor, se satisfacturum esse, promisit. Ex eadem ratione etiam Frater illicitum recursum non peragit, qui ultro invitatus ab aliquo prandium in caupona sumit, quamvis sciat, quod per pecuniam prandium procuretur. In omnibus his casibus non voluntas benefactoris ad expendendam pecuniam movetur, seu, ut dicit *Viator a Cocaleo*, dans non redditur de nolente volens, atque ideo recursus in sensu Regulae non occurrit (Cf. *Cyprian. Cr.* c. 4, lect. 6; *Bernard. Gand.* p. 280, etc.).

---

(1) Tamen probabilius mera ***intentio*** interius habita, ex se nihil facit, si agatur de rebus, quae generatim ex quaestuatione habentur apud saeculares; secus de aliis rebus. Alias facile in praxi muliplicarentur anxietates conscientiae absque ratione sufficienti.

§ 58.

II. Ad Quosnam spectet recurrere ad amicos spirituales?

In verbis citatis S. Regulae duplex praeceptum distinguere oportet, nimirum *affirmativum,* quo denominantur Ministri et Custodes, qui pro necessitatibus infirmorum, et pro aliis Fratribus induendis sollicitam curam gerere obligantur, et *negativum,* quo reliqui Fratres ad amicos spirituales recurrere prohibentur.

1. Per *Ministros* supremos Ordinis moderatores intelligi, nimirum Ministrum Generalem, et Ministros Provinciales, omnes Expositores consentiunt. Dum autem quaeritur, quid per *Custodes* intelligatur, non una est omnium sententia. Communiter autem per *Custodes* intelliguntur non solum illi, qui praesunt custodiae, in qua ob nimis parvum conventuum numerum Provincialis non adest, sed etiam Guardiani; nam in Ordine seraphico omnes Praelati provinciales, et locales nominari hincinde solent *ministri* ex humilitate, et *custodes* ob vigilantiam, et sollicitudinem, quae ipsis incumbit. Ad Guardianos quoque recursum spectare, quia praelati sunt Ordinis, clare docet *S. Bonaventura;* ait enim: « Nomina Custo« dum, et Ministrorum, etsi diversis appropiantur, tamen circa « easdem personas dicunt modum officii in hoc ordine Praelato« rum. Ministerium dicit humilitatem, custodia autem vigilantiam « insinuat pastoralem; . . . . hic autem nomine Custodum etiam « Guardiani intelliguntur, qui habent immediate custodire, et inten« dere pastorali curae ». — *Quatuor Magistri,* qui mox post mortem S. Francisci S. Regulam exposuerunt, dum hoc praeceptum interpretantur, dicunt: « per Custodes Guardiani intelliguntur, quia sic so« lebant primitus nominari ». Et *Hugo* ait: « per Ministros et Cu« stodes non solum ipsos Provinciales, sed etiam locales Ministros « intellige ». Nihilominus *Corduba, Politius* et alii putant, quod in hoc loco Regulae per *Custodes* Guardiani non intelligantur, tum quia in cap. 8 Regulae Custodes ad Capitulum generale convenire jubentur, quod non valet de Guardianis, tum quia *Nicolaus III* (*Exiit,* Art. 7, n. 2) haud obscure Ministros et Custodes a Guardianis distinguit. Quaecunque vero sententia adoptetur, pro praxi semper idem resultat.

Nam praelaudatus Pontifex probe cognoscens, Ministros et Custodes non posse pro necessitatibus Fratrum in variis locis existentium sollicitam curam gerere, illis munus suum hac in re aliis delegandi facultatem concessit; ait enim (l. c.): « Concedimus, quod ipsi Mi-« nistri, et Custodes possint per alios hujusmodi curae sollicitudinem « exercere ». Guardianis vero, ut ait *Politius,* « ex commissione ge-nerali, et ratione officii » facultas delegatur, ad amicos spirituales recurrendi, quamvis juxta Constitutiones nostras (c. 4) hac facultate sibi delegata solum in casu urgentis necessitatis sine petita, et obtenta Ministri Provincialis licentia uti debeant. Certum autem est apud omnes, quod per *Custodes* in citato Regulae loco non intelligantur Custodes generales ad Capitulum generale ordinati, quia hi non sunt veri Praelati.

2. Ministri et Custodes, si necessitates Fratrum id poposcerint, non solum licite possunt, sed etiam sub gravi praecepto obligantur, recurrere ad amicos spirituales. Hanc vero obligationem, ut notat *Sanctes,* S. Franciscus ex causis justissimis Praelatis imposuit: nam 1. cum Frater in professione omni prorsus dominio, et proprietati renuntiet, omnino justum est, ut in Praelato suo Patrem inveniat, qui necessaria ipsi provideat; quod si non fieret, occasio ei praebe-retur querelas movendi, et de facta resolutione poenitendi. 2. Fratres Ordinem ingrediuntur, ut abdicatis saecularibus curis toto corde ser-vitio Dei insistant; ast si necessaria sibimetipsis procurare deberent, novis et quidem majoribus sollicitudinibus implicarentur. 3. Si Prae-latis cura necessaria providendi injuncta non esset, quilibet posset et deberet necessaria sibimetipsi providere; et sic praeter millenas alias inordinationes vita communis, quae in qualibet Religione summi est momenti, tolleretur, et mutuae charitatis vinculum scinderetur. Eadem vero obligatio, quae in Regula Ministris et Custodibus injuncta est, incumbit etiam Guardianis, et omnibus quibus prae-dictum munus delegatur. Ideo *Nicolaus III* (l. c.) dicit: « Debent « etiam et alii Fratres curam hujusmodi quae praefatis Ministris, et « Custodibus praecipue incumbit ex hac regula, cum sibi ab illis « commissa fuerit, gerere diligenter ». Graviter ergo peccant Prae-lati, qui zelo indiscreto abrepti, aut falsis de praecepta paupertatis observantia conceptibus decepti, injunctam sibi sollicitam curam ne-gligunt, necessaria subditis suis non provident, multis murmuratio-nibus ansam praebent, et dum paupertatem nimio rigore sectantur, charitatem gravius violant, ipsamque Regulam transgrediuntur, ut

recte observat *Bernardus Bon.* (Lect. 11, § 2). Idem (ibid.) etiam Fratres subditos acriter perstringit, qui facile scandalizantur, et Praelatos de violata paupertate accusant, si officium suum adimplent, et sollicitam pro Fratribus curam gerunt, necessaria his providentes: tales Subditi per judicia temeraria delinquunt, cum judicium de necessitate non ad ipsos, sed ad Superiores spectet.

3. Cum in Regula expresse dicatur: *Ministri tantum, et Custodes* etc., « per ly *tantum,* ait *Corduba* (in c. 4, quaest. 6), « excluduntur praeceptorie omnes a praedictis »: qua in re communiter Expositores consentiunt; ac ideo in iisdem Regulae verbis Fratres omnes, qui non sunt Praelati, per praeceptum negativum ad amicos spirituales recurrere prohibentur. Si autem Praelatus Subdito suo in necessitate constituto succurrere aut non possit, aut non velit, tunc hic sibimetipsi per amicum spiritualem necessaria providere posset juxta Regulam juris (in V. Decret. c. 4) quae dicit: « quod « non est licitum in lege, necessitas facit licitum ». Ut autem talis recursus Subdito liceat, requiritur. ut necessitas non tantum ex judicio Fratris proprio, sed ex judicio virorum doctorum, piorumque valde gravis adsit, ut certum sit, Praelatum, quamvis expostulatum, aut non posse aut non velle Subdito necessaria providere, et ut generatim omnes cautelae serventur, quae ab ipsis Praelatis in recursu observandae sunt. Praeterea Subditi possunt etiam a Praelatis delegari, ut licite recursum perficere queant. Non possunt autem Praelati ad tanti discriminis negotium tuta conscientia delegare, nisi illos, de quibus ipsis persuasum est, quod cautelas ad recursum debito modo perficiendum requisitas rite observent; et judicium de necessitate ipsius recursus semper primario ad ipsos Praelatos spectat. Non convenit ideo, ut Praelatus aliquem ex suis Subditis generaliter, et pro omni tempore deleget ad recursus in sensu Regulae peragendos: sed si ratio muneris, quod alicui incumbit, talem delegationem exigere videatur, nullatenus permittendum est, ut independenter a Superiore necessaria per recursum provideat; sed potius a Praelato exigendum est, ut ipsi saepius de suo agendi modo rationem reddat. — Subditus vero, qui nec gravissima necessitate adactus, nec a suo Praelato delegatus propria auctoritate ad amicum spiritualem recurrit, mortaliter peccat; imo juxta P. *Sancten* etiam proprietarius fit: hoc autem *Bernardus Bon.* tunc solum admittit, si rem per recursum procuratam recipit, eaque utitur sine licentia Superioris (l. c. § 3).

§ 59.

III. Quando ad amicos spirituales recurrendum sit?

S. Franciscus in ipsa Regula declarat, *quando* a Ministris et Custodibus ad amicos spirituales recurrendum sit; ait enim, id fieri debere *pro necessitatibus infirmorum, et aliis Fratribus induendis;* et sapientissime addit: *secundum loca, et tempora, et frigidas regiones;* quoniam, quod in uno loco, aut in uno tempore necessarium haud est, in alio loco, aut alio tempore necessarium fieri potest; judicium vero de necessitate ad recursum instituendum requisita Ministris, et Custodibus committit, de quibus dicit: *sicut necessitati viderint expedire.* — Nullatenus autem putandum est, quod recursus solum ex duplici causa in Regula expressa fieri possit: nam eumdem etiam ex aliis causis, seu in aliis necessitatibus, quae expressis in Regula aequivalent, fieri posse et debere, ex declarationibus pontificiis inferri potest. *Nicolaus III* enim (*Exiit,* Art. 2) dicit: « Necessaria« rum rerum tam ad vitae sustentationem, quam ad officiorum sui « status executionem moderatus usus secundum eorum regulam, et « veritatem omnimodam concessus est Fratribus ». Et inferius addit: « Satis claret ex regula, ad victum, vestitum, divinum cultum, et « sapientiale studium, necessarium rerum usum Fratribus esse con« cessum ». Exinde autem jure infertur, quod etiam ad tales res necessarias procurandas recursus institui possit, et debeat. Hanc vero illationem omnino legitimam esse, patet ex declaratione *Clementis V,* qui (*Exivi,* § *Porro*) de recursu loquens ait: « Pie et rationabiliter « considerata necessitate vitae, ad alias necessitates Fratrum pro « tempore occurrentes (cessantibus eleemosynis) seu etiam ingruentes « Praedecessor noster duxit extendendum ». Sicut ergo pro necessitatibus infirmorum, et pro Fratrum vestitu, ita etiam pro iis, quae ad Fratrum victum, ad divinum cultum, et ad sapientiale studium necessaria sunt, ad amicos spirituales recurrere licet, et convenit. Ut autem iste recursus licitus, vel etiam praeceptus declaretur, juxta communem Expositorum sententiam quinque conditiones requiruntur. Requiritur enim 1. *ut res, pro qua recurritur, sit vere necessaria;* 2. *ut necessitas sit praesens, aut imminens,* et non simpliciter

futura, vel possibilis; 3. *ut non adsint eleemosynae indifferentes, per quas res necessaria procurari possit;* 4. *ut haec eadem res per mendicationem obtineri nequeat;* 5. *ut necessitas ipsos Fratres attingat, et non alios.* Has jam conditiones ad recursum requisitas explicare oportet.

1. *Prima conditio* est, ut res, pro qua recurritur, sit vere necessaria. Triplex communiter necessitas distinguitur, *extrema, gravis,* et *accommoda.* Extrema adest, si quis tali re caret, sine qua vitam conservare, vel injunctum sibi finem consequi nullo modo potest; e. g. si in conventu nullus omnino victus ne panis quidem haberetur: gravis adest, si tales res desunt, sine quibus absolute quidem vita sustentari, aut injunctus finis obtineri potest, sed non sine magna difficultate, attenta humanae naturae fragilitate; e. g. si Fratres pro victu panem quidem, sed nihil aliud haberent. Denique *necessitas accommoda* non sic intelligenda est, ac si id omne necessarium dicatur, quod ad commodum nostrum promovendum requiritur; absit: sed per necessitatem accommodam intelligitur carentia rei illius, cujus usus accommodatus est nostrae professioni, et nostris ministeriis, et congruit illi usui moderato, qui nobis est licitus, et nec a Regula, nec ab alia lege prohibetur: brevius a nonnullis necessitas accommoda illa dicitur, quae ex certis circumstantiis facit, ut aliquid necessarium, vel valde conveniens sit ad officia sua rite adimplenda. Jam quod non solum in extrema, sed etiam in gravi necessitate ad amicos spirituales recurrere liceat, in confesso est apud omnes. Verum etiam in necessitate accommoda recursum licitum declarant plerique; e. g. *Hugo, quatuor Magistri, Serena Conscientia,* et *Corduba,* qui dicit: « Ad recursum licite peragendum talis debet esse necessitas, ut re « deficiente conveniens status officii, aut Communitatis, aut Religiosi « individui commode sine praejudicio, et damno conservari non possit ». Eamdem sententiam tradit *Politius,* qui (in cap. 4, n. 18) ait: « Ad « recursum sufficit necessitas quaedam accommoda secundum statum, « et professionem nostram: et illa est, quae talem habet manifestam « necessitatem, quod si ei non provideretur, status debitus tum officii, « tum communitatis, tum particularis personae sine detrimento com- « mode stare non posset: — et hoc sive corporalis, sive spiritualis « sit necessitas: *corporalis,* utpote de alimentis, vestibus, lectis, do- « mibus, ornamentis ecclesiasticis, ac caeteris ad cultum divinum, « ad sapientiale studium, et aliis hujusmodi ad executionem officiorum « requisitis providere; ad licitam enim, moderatamque horum, et

« similium provisionem licite potest pecunia procurari, ut ajunt qua-
« tuor Magistri: *spiritualis,* puta quando nonnisi pecunia mediante
« aliquod grande bonum, praedicationis scilicet, vel pacis, et hujus-
« modi fieri possit, vel aliquod vitari grande malum; licita enim
« tunc pecuniaria erit procuratio ». Idem sentiunt recentiores expo-
sitores *Philippus a Castel., Bernardus Bon., Viator a Cocaleo,* et alii, qui ex hoc principio etiam famosam quaestionem solvunt, an nimirum licitus sit recursus pro *pitantia,* i. e. pro certa portione carnis, vel piscis statutis diebus dari solita; ajunt enim, hunc recursum licitum esse, quia dicta pitantia ad usum moderatum spectat, qui nobis concessus est. Idem resolvit etiam Capitulum nostrum generale, anno 1698 habitum, et declaravit, pitantiam non quidem objective, sed tamen subjective necessariam dici posse. Nam juxta decreta pontificia vita communis est servanda etiam in victu, dicente *Clemente VIII:* « Omnes etiam Superiores eodem vino, eodemque
« obsonio, seu eadem, ut dicitur, pitantia vescantur » (Decr. de Ref. Reg. § 3): sed inter Fratres communiter dantur vel senio confecti, vel infirmitatibus affecti, vel gravibus negotiis occupati, quibus pitantia necessaria est; atque ideo, ut servetur vita communis, pro omnibus etiam per recursum pitantia procurari potest. Quamvis autem Praelatis id licitum sit, Subditi tamen, ut monet *Viator a Cocaleo* (in c. 4, Exp. 7, n. 8), id exigere non possunt, tum quia jus nullum habent, tum quia judicium de vera necessitate ad ipsos non spectat. Praeterea hac in re, ut bene observat *Bernardinus Gandav.,* illud etiam attendendum est, quod dicit S. Pater: *secundum loca, et tempora* etc.; ergo locorum et temporum ratio habenda est, atque ideo, si carnes, aut pisces in tanto pretio (1) essent, ut moderatum usum excedant, solitam pitantiam nec Subditi exigere, nec Praelati per recursum procurare possent.

2. *Secunda conditio* requirit, ut necessitas rei per recursum procurandae sit *praesens,* vel *imminens,* et non tantum post longum tempus futura, aut mere possibilis. *Praesens* adest, si modo res quaedam, e. g. vinum, oleum etc. haberi debet, et absque recursu obtineri non potest: praesens etiam dicitur (ab aliis *praeterita* nuncupata), si res, quae necessaria fuit, jam procurata est, at nonnisi ope recursus solutio fieri, aut pro exantlato labore debita merces

(1) Hoc tamen in praxi vix fieri potest in locis haud sylvestribus.

dari potest. Necessitas vero *imminens* illa est, quae certo et in brevi eventura cognoscitur, et pro qua solum per recursum provideri potest: e. g. si murus ruinam minetur, quamvis nondum corruerit, Guardianus ad amicos spirituales recurrere potest ad necessariam muri reparationem perficiendam. Nullatenus autem licitum est Guardianis, magnam rerum (quamvis Fratribus quovis tempore necessariarum) provisionem pro longo tempore, e. g. pro anno, aut pluribus mensibus (1), ope recursus procurare; quia hoc tum statui paupertatis, tum confidentiae in divinam Providentiam habendae opponitur, ut Expositores communiter cum *Corduba* docent, et ex Constitutionibus *Nicolai III* et *Clementis V* probant. Multo minus tales provisiones licitae sunt, si ex vano tantum necessitatis possibilis timore fiunt: peccat ergo graviter Guardianus, si magnam rerum copiam colligere studet, quia absque solida ratione timet, quod infortunia accidere, fruges degenerare etc., possint. Hincinde tamen etiam pro longiori tempore provisio licita est, si nimirum per factam jam experientiam comprobatum fuit, quod alias res Fratribus necessariae obtineri non possint, vel si ipsa rei procuratio magno tempore indigeat, e. g. si lana pro Fratrum vestitu ex valde remota regione sumenda sit. Ipse *Clemens V*, qui (C. *Exivi*, art. 5) graviter magnas rerum provisiones reprehendit, (art. 9) illas permittit « tunc tantum, cum esset « multum credibile ex jam expertis, quod non possent vitae neces- « saria aliter inveniri ». Idem Summus Pontifex Fratres ibidem monet, quod juxta seraphici Patris exempla et verba divinae Providentiae inniti, et in Deum cogitatus suos jacere debeant, qui volucres coeli pascit. Ideo ipse Christus ait: *Nolite solliciti esse animae vestrae, quid manducetis, neque corpori, quid induamini* (Luc. 12, 22). Contra debitam hanc confidentiam peccat per excessum, qui instante jam necessitate non cogitat, quomodo requisita provideat, et per defectum, qui ex vano timore nimia conglomerat: ille temerarius, vel negligens, hic pusillanimis, incredulus, aut stultus dicendus est, de quo Ps. 38 dicitur: *Thesaurizat, et ignorat, cui congregabit ea.*

3. *Tertia conditio* est, ut adsint eleemosynae indifferenter oblatae vel depositae pro necessitatibus Fratrum, ex quibus sufficienter tali

(1) Probabilissime si agatur de rebus minoris momenti, seu in minima quantitate consumptibilibus, ut pennis, chartis, et similibus, licite omnino erit provisio pro tempore notabiliori.

necessitati provideri possit. Nam *Nicolaus III* et *Clemens V* recursum « cessantibus eleemosynis » licitum declararunt: « ergo, ait « *Corduba,* a contrario sensu stantibus eleemosynis pecuniariis, de « quibus tunc commode potest satisfieri, novae pecuniae procuratio « licite fieri nequit ». — Circa istas eleemosynas indifferentes tria hic (n. 22-24) notat *Politius:* 1. ait: « De istis sic indifferentibus « pecuniis necessitatibus praedictis, sive communes sive particulares « cujuscunque Fratris sint illae, provideri debet. In nostra enim « Religione, ubi nullum neque in particulari, neque in communi « proprium habetur, nulla est differentia quoad eleemosynas pecu- « niarias praedictas inter communitatem, et Fratrem particularem. « Ideo Praelatus tenetur de praedictis eleemosynis communitati, et « fratrum particularium necessitatibus providere ». 2. Monet, Fratres non posse licite acceptare eleemosynas indifferentes superfluas (1): nam, ait, « si permitterent Fratres aliquam deponi pecuniam apud aliquem « absque praesenti, vel imminenti necessitate, ut servetur, quousque « ipsis necessitas offeratur; hoc esset thesaurizare, et necessitatibus « futuris incertis providere, quod est contra Regulam, et declarationes « Pontificum ». 3. Dicit: « quod si eleemosyna oblata omnibus veris « necessitatibus non sufficeret, semper debent Praelati his primo, « quae magis urgent, providere ». Hoc autem ordine, ait *Philippus a Castel.,* pro necessitatibus providendum est: primo pro infirmis, dein pro victu, pro vestitu, pro Ecclesia, pro habitatione Fratrum, pro studio, etc.

4. *Quarta conditio* ad recursum licitum reddendum requirit, ut res necessario procuranda per mendicationem obtineri non possit. Veri enim pauperes aut mendicando, aut laborando necessaria sibi acquirere solent; et S. Franciscus, tales nos esse cupiens, tunc tantum recursum permisit, si praedicto duplici modo res vere necessariae obtineri nequeunt. Nullatenus ergo licitum est ad pecuniam recurrere pro re, quae equidem necessaria est, sed quam Fratres commode per mendicationem consequi possunt. « Ratio est, ait *Cor-* « *duba,* quia si res est commode mendicabilis, jam non est necessi- « tas recurrendi ad pecuniam pro ea. » « Contra Regulam ergo fa- « ciunt, ait *Politius* (l. c. n. 23), qui absque aliqua consideratione

(1) Generatim de gradu vel existentia superfluitatis, soli Superiores judicare debent, ut patet ex dictis et dicendis.

« statim recurrunt ad pecuniam, non attendentes prius an commode « mendicando necessitatis provisio sine pecunia haberi possit. » — Peccant vero etiam Fratres, qui injunctam sibi mendicationem tam negligenter peragunt, ut ex eorum culpa necessariae res per recursum provideri debeant; aut qui sine facto experimento, et sine solida ratione Superiori dicunt, hanc vel illam rem per mendicationem obtineri non posse, ut recte observat *Bernardin. Gandav.* (pag. 307). Caeterum Expositores consentiunt, tunc tantum ex hujus conditionis defectu recursum illicitum fieri, si necessaria res *commode,* seu absque magna difficultate mendicabilis sit: ergo casus dari possunt, in quibus recursus licitus est, licet res absolute per mendicationem obtineri queat. Id contingere potest *ob bonum Fratrum,* si nimirum mendicatio fieri nequit modo convenienti, puta sine magna distractione, et circumvagatione Fratrum, vel sine impedimento majoris boni, aut executionis officiorum, vel sine notabili perturbatione in regimine, aut disciplina Ordinis. Ipse *S. Bonaventura* (cit. a Polit. n. 14) licitum declarat recursum pro illis rebus, « quae nec per humilem « mendicitatem, nec per oblationem liberalem, nec per fidele labori- « tium *commode,* hoc est, absque magna distractione, et melioris « boni impedimento haberi possunt ». Idem autem admitti debet etiam *ob bonum Saecularium,* si nimirum isti ob nimis frequentem et molestam Fratrum mendicationem, ad indignationem, ad contemptum, vel odium moverentur; quod jam tempore S. Bonaventurae accidit, qui de nimis frequenti mendicatione conquestus ait: « frequentia di- « scursus, et importunitas quaestus viles nos, et graves efficiunt » (Cf. Phil. a Cast. in Cond. 4) (1).

5. Juxta *quintam conditionem* Praelati tantum in suis, suorumque subditorum necessitatibus, non autem in necessitatibus alienorum, ad amicos spirituales recurrere possunt. Ipsa Regula id indigitat, ut ait *Corduba,* dum pro infirmis, et induendis Fratribus recursum permittit; et *Nicolaus III* hunc licitum declarat « ob ne- « cessitates suas » (i. e. Fratrum). Ergo ob necessitates aliorum interdictus censetur; quia *Clemens V* (*Exivi,* art. 6) exponens prohibitionem pecuniae dicit: « ubi aliquid alicui generaliter prohibetur

(1) Fratres subditi hac in re tuta conscientia sequuntur dictamen Superiorum; imo generatim tenentur Praelati judicio acquiescere. Superiores vero prudentes sint, et excessum ex utraque parte devitent.

« quod expresse non conceditur, intelligitur denegatum ». Potest ergo, ut ex *Marchantio* notat *Bernardinus Gand.* (p. 310), Praelatus in casu necessitatis recursum perficere pro se, pro Fratribus sibi subditis tum in generali, tum in particulari, pro Fratribus itinerantibus, et in Conventu sibi subdito divertentibus, qui pro tempore ejusdem subditi reputantur, ac demum pro servis Conventus saecularibus, quibus, ut suis subditis, debitam pro laboribus mercedem per recursum procurare potest. *Bernardus Bonon.* (Lect. 11, § 5) ait, Provincialem licite posse, sed non teneri, per recursum alterius Provinciae ejusdem Ordinis inopiam sublevare (1): hoc idem concedit *Bernardinus Gand.* Guardiano respectu alius conventus, sed ad talem recursum requirit licentiam Provincialis (pag. 311) (2). Non potest autem Provincialis, vel Guardianus per recursum pecuniam procurare cum intentione per hanc granum, vel alias res emendi, quibus pauperum sibi non subditorum inopiae subveniat; talis enim tum procuratio, tum dispositio sine expresso Dantis consensu Regulae omnino contraria est. Non autem ideo prohibetur, personis divitibus et beneficis pauperum exterorum inopiam manifestare, preces pro ipsis adhibere, et motiva suggerere, quibus ad eleemosynam istis dandam impellantur, uti cum *Corduba* dicit *Bern. G.* (n. 311). Etiam *Politius* (n. 27) ait: « Aliquem humiliter rogare, ut hujus vel illius « exteri, et nostrae curae non commissi necessitatibus etiam pecunia « mediante providere velit, non erit illicitum, dummodo Fratres ad « hoc a suis Superioribus non prohibeantur ». Si hoc illicitum esset, concinne observat *Bernardus Bon.* (Lect. 10, § 7, n. 17), etiam Concionatoribus nostris non liceret, ad eleemosynas pauperibus dispensandas exhortari. Et sane S. Franciscus per pecuniae prohibitionem cupiditatem praecavere, non charitatem impedire voluit (3).

---

(1) Tenetur tamen, quando mandatum Ministri Generalis vel urgens necessitas id postulant: nam Provinciae unum corpus efficiunt et Provincialis sicut et alii fratres tenentur pro posse aliarum Provinciarum indigentias spirituales, intellectuales ac materiales sublevare, cum salva justitia ac obedientia id possunt. Coram Deo non sufficit amor propriae Provinciae, sed requiritur vera ac operativa charitas erga caeteras Provincias.

(2) Optima regula erit legitima consuetudo Provinciae.

(3) Subditus non debet hac in re transgredi mandatum vel prohibitionem Praelati; et Praelatus nec debet nec potest jura charitatis impedire, sed omnia recte moderari, habita ratione locorum ac personarum.

Nihilominus pro praxi cauti debent esse Fratres, ne per importunas preces suas efficiant, ut indigenti cuidam a divite pecunia mutuetur, post certum tempus restituenda; experientia enim ostendit, quod hujusmodi mutuantes splendida promissa, quae fecerunt, aut non possint, aut non velint adimplere, et quod exinde pro ipso Fratre, vel pro ipso Ordine magna inconvenientia emergant.

6. An conditiones istae ad licitum recursum requisitae adsint, Superiorum est judicare, quibus S. Pater hoc judicium committit dicens: *sicut necessitati viderint expedire.* Hoc idem etiam Rom. Pontifices decreverunt, mandantes quoque Subditis, ut se suorum Praelatorum judicio submittant; per quod tamen, ut observat *Philippus a Castel.,* non negatur Subditorum obligatio, ex lege divina et naturali emanans, se Praelatis serio opponendi, si omnino manifeste Regulam transgrederentur (1). Circa provisiones per recursum faciendas sequentem regulam proposuit *Clemens V* (*Exivi,* art. 9): « Hoc, ait, Ministrorum et Custodum simul, et separatim in suis « administrationibus, et custodiis cum Guardiani, et duorum de Con- « ventu loci discretorum Sacerdotum, et antiquorum in Ordine Fra- « trum consilio et assensu, duximus judicio relinquendum, eorum « super hoc specialiter conscientias onerantes ». Ex hoc pontificio decreto Superiores, praecipue juniores, addiscere deberent, quod in recursibus instituendis, in administratione oeconomica, et similibus negotiis non suo tantum judicio confidere, sed et aliorum consilia audire oporteat (2). Nam Prov. 12, 15, legitur: *Via stulti recta in oculis*

(1) Haec tamen *oppositio* (rarissime quidem laudabilis) nunquam fieri potest nisi pacifice, humiliter, non ex privato sensu sed ex causa gravissima; et tunc ea sola oppositio licet quae in jure legitima habetur, id est, recurrendum gradatim ad auctoritatem Ordinis et S. Sedis. Secus facientes facile imitarentur mores coetuum hominum liberalium, et quasi « revolutionarii » haud raro haberi deberent ac puniri.

(2) Unde ad normam juris sedulo servari debet lex discretorum in novissimo Capitulo Generali, n. 35 confirmata: « Ministri Provinciales invigilent serio, ut « juxta Constitutiones Apostolicas in omnibus Coenobiis habeantur duo Consi- « liarii aut Discreti, eligendi alter a Definitorio Provinciali, alter vero a familia « Conventus, quorum munus erit: 1° Guardianis auxilium et consilium praebere « in rebus spiritualibus et temporabilus; 2° Judicare et conferre de indigentiis « fratrum seu familiae cum P. Guardiano, et judicare, ante factum, de legitimi- « tate causarum a Guardiano adductarum circa quaslibet expensas extraordina- « rias, 40 libellas italicas seu francos excedentes; 3° Libros tum introituum et « exituum eleemosynarum, tum Missarum exacte et in conscientia saltem singulo

ejus; qui autem sapiens est, audit consilia. Consilia vero audienda sunt, non eorum, qui ut viles adulatores omnia approbant et laudant, quae Superiori in mentem veniunt, vel ceu relaxationem amantes cuncta licita declarant, quae sensualitati favent; sed potius illorum, qui experientia, doctrina, et pietate excellunt. — Si Superiores, non arrogantiae, sed humilitatis spiritum secuti, auream hanc regulam observarent, plurimae Regulae transgressiones vitarentur, nec ob nimias expensas status oeconomicus Conventus perturbaretur, nec ipsi haberent, de quo nimis sero dolerent; ait enim Scriptura: *Fili! sine consilio nihil facias, et post factum non poenitebis* (Eccli. 32, 24).

§ 60.

IV. **Quomodo recursus sit perficiendus?**

Quamvis S. Pater in casu necessitatis Ministris et Custodibus recursum ad amicos spirituales permiserit, nullatenus tamen ipsis concessit, ut denarios, vel pecuniam ipsi reciperent aut expenderent. Datam ideo licentiam limitavit dicens: *eo semper salvo, ut (sicut dictum est) denarios, vel pecuniam non recipiant.* Ita ergo recursus instituendus est, ut S. Regulae praeceptum denarios et pecuniam inhibens non violetur. Hac de causa Expositores Regulae juxta decreta pontificia *quinque cautelas* sedulo observandas praescribunt, ut recursus ad amicos spirituales legitimo modo perficiatur. Praelati enim recurrentes: 1. *debent cavere a mutuo contrahendo;* 2. *debent etiam (saltem communiter) necessitatem, ob quam recurrunt, amico spirituali specificare;* 3. *non possunt scienter plus procurare, aut, ut deponatur, permittere, quam opus fuerit ad tollendam necessitatem;* 4. *abstineri debent a nominanda seu praesentanda persona, cui pecunia detur, seu committatur expendenda;* 5. demum *tum Danti, tum Depositario significare tenentur, quod pecunia in nomine Dantis deponatur, et non in nomine Fratrum, qui nullum in eam dominium habent.* Necesse jam est, exactius has cau-

---

« bimestri examinare, et si rationes sint rectae, subscribere; 4° Certiorem facere « P. Provincialem in s. Visita (vel antea, si casus urgeat) de minus rectis in « administratione temporali; 5° Secretum circa revisiones et consilia servare ».

telas explicare, quarum primae tres semper, et duae ultimae tunc tantum observandae sunt, si non ipse amicus spiritualis pecuniam, quam benigne elargitur, expendere velit.

1. Dum Fratres in necessitatibus suis ad amicos spirituales recurrunt, cavere debent, *ne pecuniam mutuo requirant,* quod tunc est, cum eam recipiunt cum obligatione tacita vel expressa aequivalens reddendi; hoc enim est mutuum proprie dictum, quod expresse a *Nicolao III* Fratribus prohibitum fuit (§ 54, n. 5). Theologi autem admittunt etiam aliud mutuum large seu improprie dictum, per quod intelligunt actum, quo alteri traditur pecunia, aut alia res ad subveniendum ipsius necessitati cum obligatione non civili, sed tantum naturali, ut non ex justitia commutativa, sed ex fidelitate naturali procuret satisfactionem mutuanti praestandam. Hoc mutuum, improprie dictum, Fratribus licitum est; quia per hoc dominium non transfertur, sed manet apud mutuantem, cujus nomine Fratres pecunia aut re utuntur, et nulla obligatio civilis contrahitur. Ideo ipse *Nicolaus III* postquam mutuum stricte seu proprie dictum illicitum declaravit, immediate addit: « Possint tamen Fratres pro satisfactione « facienda pro eorum necessitatibus, quae pro tempore occurrerint « (cessantibus eleemosynis, de quibus satisfieri commode tunc non « posset), citra cujuslibet obligationis vinculum, dicere, quod per « eleemosynas, et alios amicos Fratrum ad solutionem hujusmodi « faciendam intendant fideliter laborare ». Claris autem verbis id benefactoribus saecularibus, qui in urgente necessitate pecuniam non quidem donant, sed tamen mutuo tradunt, dicendum et explicandum est; quoniam alias id non intelligerent, et obligationem communem (i. e. civilem) intenderent. « Si autem opus fuerit, ait *Bernardinus Gand.,* possunt etiam Fratres aliquem rogare, ut pro pecunia ab alio mutuata vadimonium praestet; hoc enim accessorium illicitum dici non potest, si ipsum principale, i. e. recursus ad pecuniam licite peragitur ». *Corduba* (q. 8, in c. 4) addit, per Syndicum apostolicum etiam nonnullas res ad Fratrum usum concessas mutuanti in pignus dari posse (1).

2. Multi dicunt, quod amico spirituali necessitas patefacienda, et res, ob quam recurritur, denominanda seu specificanda sit: quia, ajunt, si pecunia generaliter absque particularis necessitatis expli-

(1) Intellige: Salvis Const. *Ambitiosae,* aliisque contra alienationem bonorum regularium.

catione procuraretur, tunc auctoritas et libertas expendendi procuratam pecuniam ad libitum apud ipsos Fratres maneret, quod ipsis prohibitum videtur. Sententiam hanc probant ex Decretali *Nicolai III,* qui (*Exiit,* art. 4) loquens de recursu dicit: « Liceat Fra- « tribus suas necessitates insinuare ac specificare, vel exponere per- « sonae praedictae, ac eam rogare, quod solvat ». Si ergo, ajunt, recursus sub ista conditione licitus declaratur, hac neglecta illicitus fit. Non negant tamen, qui hanc sententiam sequuntur, circa praedictam obligationem in recursu observandam exceptiones dari posse; admittunt enim, necessitatem specificandam non esse, si plures simul necessitates urgerent, ipseque Praelatus nesciret, pro qua primo providendum sit, vel si necessitas sine dedecore, aut incommodo Ordinis manifestari non posset, vel si pro eadem re ad plures benefactores recurrendum esset. — *Corduba* autem, quem *Politius, Cyprianus, Bern. Gand.* (p. 320), et plerique recentiores sequuntur, obligationem necessitatem in recursu specificandi penitus negat. Nam si amicus spiritualis, quamvis necessitatem specifice non cognoscat, rogatus pecuniam concedit, ipse tamen hujus dominus manet, ejusque usum determinat, quam vult juxta intentionem seu petitionem Praelati expendi; quod vel per se, vel per substitutum perficere potest, atque ideo neque dominium, neque administratio civilis ex parte Fratrum occurrit. *Nicolaus III* (l. c.) commendat specificationem, ut actum humilitatis et prudentiae, non vero eam ut legem, seu conditionem necessariam praescribit; ait enim « *liceat* », et non « *teneantur* »; atque non de Dante, seu amico spirituali loquitur, ad quem recurritur, sed potius de Substituto, apud quem pecunia nomine Dantis deposita est. Addit *Corduba,* quod si Praelatus recurrens determinatam necessitatem in mente habuisset, sed non specificasset, eleemosyna obtenta ut indifferens consideranda esset, et pro alia re necessaria expendi posset; quia ob mere internam Praelati cogitationem non cessaret esse eleemosyna indifferens. Pro praxi tamen persaepe prudentia suadet, ut dum ad amicos spirituales recurritur, his necessitas specificetur, partim quia audita vera et gravi necessitate facilius ad eleemosynam dandam commoventur, partim quia alias sinistrae suspiciones, vel etiam scandala oriri possent, quae sollicite declinare ipsa lex divina jubet (1).

(1) Hac in re non constat de obligatione specificandi necessitatem. Tamen attende ad locorum, temporum ac personarum circumstantias, nec facile judices

3. Dum Praelati pro determinata et specificata necessitate ad amicos spirituales recurrunt, cavere debent, ne majorem pecuniae quantitatem scienter procurent, aut deponi permittant, quam quae ad praefatam necessitatem tollendam requiratur. « Dum enim scienter « plus procuratur, seu dari vel deponi permittitur, quam res ipsa, « pro qua recurritur, existimatur valitura, utique illud plus non est « necessarium: ergo prohibitum, et illicitum; nam minime Fratribus « permittitur nisi pro veris necessitatibus, pecuniam posse procurare, « seu oblatam acceptare »; verba sunt *Politii* (in c. 4, n. 32). Idem monet *Nicolaus III* (Art. 4, n. 7) dicens: « Caveant Fratres, quod « sollicite se coaptent, ut non plus scienter concedi consentiant, quam « verisimiliter aestimari possit rem necessariam, pro qua pecunia ipsa « conceditur, valituram ». Hac de causa, ut recte observat *Viator a Cocaleo,* Praelati ante recursum necessitatem examinare, et, quantum prudenter fieri potest, indagare tenentur, quali pecuniae quantitate ad necessariam rem procurandam opus sit. — Si autem praeter intentionem de pecunia pro determinata necessitate deposita residuum maneat, non potest absque Dantis consensu pro alia necessitate expendi; quem si rogatus negaverit, pecunia residua ipsi restituenda est. Id decrevit *Nicolaus III* (l. c.) dicens: « Cum in praedictis ca- « sibus ad determinatam necessitatem per aliquem pecuniam concedi « contigerit, concedens pecuniam rogari possit a Fratribus, quod si « quid de pecunia ipsa (habita necessitate determinata) supererit, « consentiat ipse concedens, quod residuum praefatae pecuniae in res « alias pro aliis ipsorum Fratrum praedictis necessitatibus converta- « tur; quo non consentiente praedictis, ipsum residuum (si quod fue- « rit) restituatur eidem ». Idem *Corduba, Politius,* et alii suadent Fratribus, ut, quando ad determinatam necessitatem aliqua procuratur pecunia, seu liberaliter datur, a principio dominum pecuniae rogent, quod benigne concedere velit, ut, si quid de pecunia supererit, hoc residuum in alias Fratrum necessitates praesentes, vel imminentes expendi possit. Quod si Fratres ex oblivione id non fecerint, et pecuniae dominus absens sit, ita ut commode ab eo consensus exigi haud possit; tunc depositarius, aut substitutus Dantis aliis Fratrum

---

de scandalo. Expedit tamen, ut generatim specificetur necessitas, nisi timeatur admiratio saecularium, dedecus Ordinis, aliudve incommodum v. g. ex ignorantia eorum, qui res fratrum parum intelligunt, et saepe superfluum putant, quod nobis vere necessarium existit.

necessitatibus poterit de superfluo providere; sufficeret enim tunc, ut citati auctores dicunt, consensus interpretativus, seu probabiliter praesumptus; quod etiam omnino conforme est principiis a *quatuor Magistris, Hugone, Pisano,* etc., circa determinatam pecuniam statutis. Si autem pecunia indeterminate, et generaliter pro Fratrum necessitatibus (1) procurata, aut sponte oblata fuit, tunc non erit necessarium, talem specialem consensum ab ipso Dante requirere; quoniam dum indifferenter absque alicujus specialis necessitatis specificatione pecunia datur, consentit ejus dominus, ut in omnes Fratrum necessitates expendatur. — Sicuti autem absque vera necessitate praesenti vel imminenti non potest licite fieri recursus; ita pariter sine tali necessitate Fratres non possunt recipere spontaneas eleemosynarum oblationes, quibus Superiores potius resistere tenentur. *Viator a Cocaleo* hanc in rem citat *Joannem Philippum* Vic. Gen. Observant. qui in celebri suo tractatu de recursu dicit: « De necessitate salutis « tenentur Guardiani oblatas eleemosynas, quantum in se est, nun- « quam permittere deponi nisi pro necessitate praesente, vel immi- « nente de proximo, sed omnibus modis sibi possibilibus non neces- « sarias recusare »: et idem inferius dicit: « Eleemosynae pecuniariae « non necessariae nihil aliud sunt, quam perditio, et damnatio reci- « pere permittentium ». — Quid autem faciendum est, si eleemosynae pecuniariae evidenter superfluae in notabili quantitate apud Substitutum depositae essent? Nonnulli dicunt, quod vel istae benefactoribus restitui debeant, vel Missarum applicatio et mendicatio suspendenda sit, donec illae per quotidianas indigentias consumantur, vel alteri Conventui cum licentia Dantis tradantur, aut pauperibus distribuantur. Priores autem hic assignati modi magnis difficultatibus obnoxii sunt; nam tum per factam restitutionem, tum per negatam Missarum applicationem, tum per omissam consuetam mendicationem benefactores offendi, et sic disponi possent, ut etiam ab ulteriori munerum suorum elargitione desisterent. Restat ergo, ut eleemosynae superfluae vel alteri Conventui indigenti tradantur, vel pauperibus distribuantur: et id licitum esse, si expressa ad hoc licentia Dantis habetur, nemo dubitabit. Sed etiam sine hac expressa licentia per Ministrum Provincialem eleemosyna in uno conventu superabundans ad alium conventum hac magis indigentem transferri potest; quia,

(1) Tunc enim consensus non solum est interpretativus, sed expressus.

ut dicit *Nicolaus III* (Art. 4 in fine), benefactores censentur licito et bene ordinato modo Fratribus per pecuniam suam subvenire: ex quo sequitur, quod, dum volunt, ut juxta manifestatam Guardiani voluntatem pecunia expendatur, tacitam conditionem apponunt, nisi alia voluntas a Superiore, i. e. a Ministro Provinciali fuerit manifestata. Hac de causa Guardiani eleemosynarum pecuniariarum apud Substitutum depositarum quantitatem Ministro Provinciali sincere manifestare tenentur. Quod si nec in alio conventu vera necessitas, et eleemosynarum penuria adesset, caveat Guardianus, ne putet, quod per lautiorem mensam, vel alias expensas paupertati contrarias superfluam pecuniam consumere liceat. Haec enim potius pauperibus eroganda est juxta tacitam, seu probabiliter praesumptam voluntatem dominorum, qui saepe largas eleemosynas Fratribus tribuunt, quia sciunt, quod etiam alii pauperes de illis participent (Cf. § 55, n. 7).

4. Si amicus spiritualis nolit ipse pecuniam pro necessitatibus Fratrum expendere, his non licet personam nominare seu praesentare, cui pecunia sit tradenda: nam si quis nomine et auctoritate Fratrum pecuniam reciperet, ille fieret horum *interposita persona*, qui ideo graviter Regulam violarent. Persona ergo, apud quam pecunia deponenda, et per quam expendenda sit, non a Fratribus, sed ab amico spirituali, seu a Dante nominanda est, ut hujus vices gerens, seu ab hoc substituta merito dicatur. Idcirco *Nicolaus III* (Art. 4, n. 2) dicit, benefactorom dare posse eleemosynam per se, « vel per alium non nominandum ab ipsis (Fratribus), si fieri poterit, « sed ab eo potius juxta suum beneplacitum assumendum ». — Si autem res necessaria jam procurata fuit, et pro hac solutio facienda est, Fratres licite possunt amico spirituali creditorem indicare et praesentare; quoniam hic non Fratrum, sed proprio nomine debitam pro solutione pecuniam recipit, cujus statim dominus fit. Imo si depositario opus fuerit, hunc autem benefactor nominare recuset, optans ut a Fratribus ipsi indicetur, Fratres licite id praestare possent, humiliter dicendo e. g.: si tibi placet, hic vel ille pecuniam acciperet, et in nomine tuo expenderet etc. Monet etiam *Philippus a Castel.*, in tali casu consultum esse, ut a Fratribus semper unus idemque nominetur, qui Pater spiritualis, seu substitutus ordinarius vocari solet, ne eleemosynae in varia loca dispergantur. — Denominationem talem a Fratribus factam licitam declaravit *Nicolaus III* (l. c.): postquam enim dixit, depositarium ab ipso benefactore nominandum esse, statim addit: « si tamen hoc ipse nollet facere, vel non posset,

« vel quia recessus ejus immineat, aut quia, quibus hoc velit com-
« mittere, notitiam non habet fidelium personarum, seu quacunque
« alia occasione vel causa; declaramus, et dicimus, quod in nullo
« Regulae puritas infringitur, aut quomodolibet ipsius observantia
« maculatur, si Fratres ipsi alicujus, vel aliquorum sibi curent dari
« notitiam, vel aliquem, seu aliquos nominare, aut etiam praesentare,
« cui, vel quibus, si eleemosynam facienti placuerit, committi possit
« executio praedictorum » (1). Si necesse sit, ut ab uno depositario, seu Substituto ad alium, vel ad plures pecunia transferatur, a domino pecuniae, seu a Dante licentia petenda est; quam si concedit, i. e. si vel ipse alium denominet, vel ex ipsius voto a Fratribus denominatum acceptet, ad posteriorem depositarium uti ad priorem recurri potest: si autem praedicta Dantis licentia non habetur, non potest alius depositarius ab ipsis Fratribus subrogari; quia hic non esset substitutus Dantis, sed interposita persona Fratrum. Sed tamen, ait *Bernardinus Gand.* (pag. 329), juxta declarationem *Nicolai III* in praedicto casu non semper opus est expressa licentia Dantis; sed prior depositarius (2) nomine Dantis potest alium Substitutum nominare, aut ex suo voto a Fratribus nominatum acceptare, et ipsi pecuniam tradere juxta intentionem Dantis expendendam, qui semper dominus pecuniae manet, donec expensa est, quamvis per multorum Substitutorum manus transeat. Fratres autem, dum de novi Substituti electione agitur, erga priorem Substitutum eumdem modum observare debent, quem hac in re erga ipsum dantem, seu amicum spiritualem observare tenentur. — Haec ordinantur in Decretali (*Exiit,* Art. 14,

(1) Quoad rigorem conscientiae, ad vitandam violationem hujusmodi legis, probabilius sufficit praesumptio desiderii Dantis, quod scilicet ipsi indicetur persona, cui facilius ac commodius pecuniam committat, ut denominatio etsi non expresse petita licite fieri possit. Videtur enim, quod praesentatio et denominatio prohibentur praesertim in quantum fiunt auctoritative et quasi a jus quoddam habentibus cum diminutione libertatis Dantis. Unde adstante rationabili causa et data praesumpta Dantis voluntate, non videtur prohibitum simpliciter statim patefacere nomen Patris temporalis vel ordinarii Substituti, dummodo libertas benefactoris omnino tuta ac manifeste talis permaneat ac sit.

(2) Idque omni jure licitum videtur, quia *prior depositarius* tunc non agit nomine Fratrum, sed nomine proprio tanquam delegatus Dantis. Sicut enim depositarius potest per alium pecuniam expendere, nec tenetur ipse personatim omnia perficere, ut patet: ita potest alium depositarium eligere, ut ejus vices agat, nisi Dans contradicat, vel vere invitus credatur.

n. 3), ubi de necessaria novi Substituti electione agitur, et Fratribus insinuatur: « Si ad primum Dantem non possint, vel nolint habere « recursum, cum ista persona (i. e. substituta) possunt facere, sicut « supra declaravimus eis licere cum prima:.... et si interdum propter « locorum distantiam, in quibus satisfactio esset facienda, et con- « ditiones, seu circumstantias alias casus emergeret, in quo videretur « plurium personarum subrogandarum ministerium opportunum, li- « ceat ipsis Fratribus in hoc casu juxta negotii qualitatem (servato « modo praedicto) plures personas assumere, nominare, seu praesen- « tare ad istud ministerium exequendum ».

5. Fratres in pecuniam ab amico spirituali benigne concessam nullum dominium, nullumque jus habere, exercere, vel exterius ostendere possunt; quia pecunia manet in dominio dantis, donec expensa fuerit. Id clare docet *Nicolaus III* (l. c. n. 2); permittit enim, depositarium nominari, « ita tamen, quod penes ipsum Dantem do- « minio, proprietate, ac possessione ipsius pecuniae, cum libera pote- « state revocandi sibi pecuniam ipsam semper usque ad conversionem « ipsius in rem deputatam, plene, libere, ac integre remanentibus, « in ipsa pecunia nihil omnino Fratres juris habeant, nec admini- « strationem, seu dispensationem ». Neque sufficit, ut Fratres interne tantum hanc persuasionem habeant, sed externe quoque tum Danti, tum ejus Substituto significare debent, quod non in nomine Fratrum, sed in nomine Dantis pecunia deponatur, quae in libera hujus potestate manet, donec expensa fuerit. — Imo *Corduba* dicit, quod claris verbis haec protestatio fieri debeat non solum coram Dante et Depositario, sed etiam coram aliis, qui forte concessioni, aut depositioni pecuniae praesentes sunt, ne scandalum sumant. Si tamen hoc non sit timendum, vel circumstantiae aliud suadeant, protestatio haec, ait *Philippus a Castel.*, omitti potest, « quam faciendam, ait « ipse *Corduba*, attentis circumstantiis prudens judicium judicabit ». Si quis primitus in Substitutum eligitur, hac de re instruendus est; postmodum vero haud opus est, ut id semper repetatur; et eodem modo si benefactor pecuniam concedat, qui de statu Fratrum Minorum jam alia vice satis instructus fuit, praedicta protestatio omni jure omitti potest. Addit *Politius* (n. 38): « Si Fratres ex oblivione, « vel alia rationabili causa sine dolo praedictam instructionem, seu « protestationem omitterent, non utique omittendo peccarent: tali « vero oblivione, aut rationabili causa cessante, tenentur expresse « praedictos nostrum statum ignorantes certificare de praedictis,

« si probabiliter crederetur, quod aliquod inde scandalum possent « haurire ». — Si autem benefactor quidam expresse protestetur, quod dominium pecuniae retinere nolit, sed illud in Fratres conferat; tale beneficium, ut ait *Viator a Cocaleo*, a Fratribus acceptari non posset. Quotiescunque autem sine praedicta expressa protestatione eleemosyna datur, semper licito modo data praesumitur: id enim declaravit *Nicolaus III* (art. 4 in fine) dicens: « Volumus « ad communem deduci notitiam, quod semper, quando pecunia Fra- « tribus ipsis mittitur, vel offertur (nisi expresse per mittentem, vel « offerentem aliud exprimatur), praedictis modis prorsus oblata in- « telligatur, et missa: non enim verisimile est, aliquem eleemosynae « suae sine expressione modum illum velle praefigere, per quem et « dans merito, vel illi, quorum necessitatibus intendit per donum « hujusmodi providere, vel effectu doni, vel suae conscientiae puritate « fraudentur ».

ARTICULUS III.

§ 61.

De Substituto, et Syndico apostolico.

Cum saepissime contingat, ut benefactores eleemosynas pecuniarias Fratribus offerentes expresse velint, ut ipsis persona indicetur, cui illas tuto consignare possint; ideo mos inter Fratres invaluit, pro quolibet conventu aliquem determinandi, apud quem, si benefactoribus placuerit, pecunia pro necessitatibus Fratrum oblata deponatur, et qui idcirco *Substitutus ordinarius,* seu usitatiori nomine *Pater spiritualis* appellari solet. Antiquissimum in Ordine hunc morem esse, ex *Hugone* probat *Sanctes* (pag. 197); eumdemque maxime proficuum, et prudentiae conformem esse, *Bernardus Bonon.* (L. 12, § 6) probat ex eo praecipue, quia alias eleemosynae nimis dispergerentur, a praelatis majoribus difficulter cognoscerentur, vel etiam per manus infideles (1) contra voluntatem Dantium consumeren-

(1) Et Praelati debent saltem ex titulo charitatis et gratitudinis pro viribus impedire (salva Regula), ne eleemosynae deperdantur. Indifferentia Praelati circa

tur. Neque ex hac Substituti ordinarii electione inconvenientia timenda sunt, dummodo Fratres se debito modo erga Substitutum gerant, et hic sua officia rite cognoscat et adimpleat. Quoniam autem Fratres non solum quoad eleemosynas pecuniarias, sed etiam quoad alias res, quarum simplicem usum habent, quarum vero dominium apostolica Sedes tenet, variis negotiis implicari possunt, opus ipsis hincinde est persona, quae nomine et auctoritate Romani Pontificis praedicta negotia gerere possit, et quae ideo *Syndicus apostolicus* dicitur. Hac de causa 1. *de officiis Fratrum erga Substitutum, seu Patrem spiritualem;* 2. *de Substituti, seu Patris spiritualis obligationibus;* et 3. *de Syndico apostolico agendum est.* Tractatio haec magni momenti est, ut ex una parte oeconomica Conventuum nostrorum administratio bene procedat, et ut ex altera parte contra Regulam non peccetur.

§ 62.

I. De officiis Fratrum erga Substitutum, seu Patrem spiritualem.

1. Si agitur de eligendo Substituto ordinario, seu Patre spirituali, hoc negotium spectat ad Superiorem loci, qui cum licentia Ministri Provincialis, et cum consilio seniorum et prudentiorum Familiae Patrum, electionem perficere debet. Eligenda autem est in Patrem spiritualem persona matura et timorata, quae non solum promptum animum habeat ex charitate Fratribus servitia praestandi, sed et debita capacitate polleat ad officia sua rite peragenda. Ideo in Patrem spiritualem non potest eligi puer, vel adolescens, qui licet forte materialiter pecuniam reciperet et expenderet, tamen, ut dicit *Philippus a Castel.*, formaliter totus a nutu Fratrum dependeret, et sic facillime horum interposita persona fieret. Neque etiam convenit, pro Patre spirituali feminam, quomodocumque honestam, eli-

---

fidelitatem vel infidelitatem Substituti nullatenus excusari poterit ex capite paupertatis seraphicae, sed potius foret causa ac via multiplicis violationis Regulae per iteratos recursus ad amicos spirituales, cum spirituali ruina infidelis Substituti ac regularitatis minoriticae.

gere (1); nam praeter alias rationes tali electioni obsistit etiam caput Regulae undecimum, suspecta consortia et consilia mulierum vetans.

2. Juxta principia tradita posset etiam homo saecularis, pro servitio conventus destinatus, ut Substitutus Dantium considerari et in Patrem spiritualem eligi; sed id satis communiter a Regulae expositoribus non permittitur, quia facillime scandalum oriretur, si pecunia in conventu reservaretur, et quia Superior loci servum, quem ut suum subditum considerat, non tam rogando, quam potius praecipiendo cum auctoritate civili ad pecuniam expendendam impellere posset. Admitti tamen potest, ut talis servus, si benefactoribus ita placeat, pecuniam recipiat ad Patrem spiritualem transferendam, et ut sic quasi Substitutum Substituti agat. Curam autem gerere debet Superior loci, ut si major pecuniae quantitas apud servum Conventus inveniatur, illius translatio ad Patrem spiritualem non nimis differatur.

3. Cum homines, qui in saeculo vivunt, et ipsi etiam Sacerdotes saeculares generatim loquendo nesciant, quid a Regula nostra vel praescribatur vel prohibeatur; omnino necesse est, ut electus Pater spiritualis circa munus a se exercendum debito modo instruatur: haec autem instructio primario incumbit Superiori loci, qui clare, humiliter, et prudenter praecipue ea, quae scitu maxime necessaria sunt, Patri spirituali suggerere debet.

4. Male ageret Guardianus, Janitor, aut alius Frater, si pecuniam dare volentibus statim denominaret Patrem spiritualem, apud quem pecuniam deponant: expectandum enim est, donec ipsemet Dans petat denominationem illius, apud quem denarios deponere possit; tunc humiliter dici potest et debet: Alii communiter pecuniam apud Patrem spiritualem N. N. deponunt; si tibi placuerit, pecuniam ad ipsum deferre, vel servo nostro saeculari, ut ad illum deferatur, consignare potes. Incautos tamen Janitores in hoc *Cyprianus Crousers* saltem a mortali excusat; quia dans plerumque implicite petit denominationem amici, apud quem deponatur pecunia (2).

---

(1) Secus dicendum de femina, quae nomine Substituti seu Patris temporalis frequenter impediti nonnullas minores ac ordinarias provisiones vel pecuniarum solutiones faceret. Et etiam in hoc casu (raro tolerando) cavendum omnino ab omni indebita vel imprudenti frequentatione vel conversatione.

(2) Ante factum curandum, ne leviter vel imprudenter fiat denominatio; post factum difficillime judices de existentia peccati, juxta dicta pag. 224 in nota.

5. Caveat Superior, ne dominium, jus, aut auctoritatem quamdam in pecuniam a Dantibus depositam ostendat, et praeceptorio modo Patri spirituali dicat, quomodo pecunia expendenda sit; sed juxta monitum *Nicolai III* humiliter manifestet necessitates Fratrum, et ut his providere velit, modeste roget; ac generatim non aliter cum ipso procedat, quam si cum ipso Dante, seu Domino pecuniae agendum esset, cujus ille vices gerit (1). Nullatenus autem aliis Fratribus licet, sine Superioris licentia Patri spirituali necessitates suas aperire, eumque incitare ad pecunias expendendas (2): hoc enim facientes gravissime Regulam transgrediuntur.

6. Nullatenus licitum est Superiori, Patrem spiritualem via juridica ad rationem de acceptis et expensis pecuniis reddendam adigere; nam *Nicolaus III* (Art. 4, n. 2) dicit: « Nec contra per-« sonam nominatam, vel non nominatam ab eis, cujusque conditionis « existat, in judicio, vel extra, actionem, persecutionem, aut aliquod « intentent jus, qualitercunque persona praedicta in commissione hu-« jusmodi se habeat ». Ideo autem, ut Expositores communiter dicunt, Superiores non prohibentur, sine actione juridica, modo tantum domestico et familiari investigare, quantae eleemosynae acceptae et quantae expensae fuerint. Imo id etiam inquirere saepius tenentur, ut sciant, quid valeant humeri, quid ferre recusent, ut non ad amicos spirituales recurrant, cum sufficientes adsunt eleemosynae indifferentes, ut etiam praecavere queant, ne superfluae eleemosynae conglomerentur, et ut, praecipue tempore Capituli, Superioribus modo genuino oeconomicum Conventus sui statum manifestare possint.

7. Si ex certis indiciis manifestum, vel saltem probabile fiat, Substitutum, seu Patrem spiritualem infidelem esse, et pecuniam pro Fratrum necessitatibus depositam in suum, vel aliorum commodum expendere, Fratribus nullatenus licet, eum hac de re in judicium vocare; sed tamen eum, ut conscientiae suae consulat, ab injustitiis abstineat, et officia sua impleat, graviter monere possunt. Ait enim

(1) Dummodo servetur subjectio seu dependentia erga Substitutum quoad pecunias, haud illicita dicenda est major familiaritas in petendo apud ipsum Substitutum, quam apud Dantem. Unde hac in re et modus qui sapit dominum, et scrupula indebita similiter fugienda.

(2) Imo Pater spiritualis non potest, salva fidelitate erga Dantem, disponere de pecuniis favore subditorum, qui praetermittunt Superioris auctoritatem seu licentiam.

Nicolaus III (l. c.): Fratres « possunt personam eamdem exhortari, « ac inducere, quod fideliter in re commissa se habeat, et animae « suae saluti in commissa sibi executione provideat; ita tamen, quod « ab omni ejusdem pecuniae administratione, seu dispensatione, et « contra praedictam personam actione, seu persecutione (ut praedictum « est) Fratres abstineant omni modo ». — Si autem monita nihil proficiant, quid faciendum erit? *Philippus a Castel.* ait, distinguendam esse eleemosynam, cujus dominus cognoscitur, et ad quem aditus patet, et eleemosynam, cujus dominus ignoratur, seu ad quem aditus non patet. In priori casu infidelitas Substituti, qui admonitus non resipuit, domino pecuniae manifestanda est, ut iste hanc non ut Fratribus debitam, sed ut rem suam vindicet, de qua libere disponere potest. Utique si quis sciret, servum quemdam Domino suo multa surripere, et si per correctiones fraternas furta impedire non posset; teneretur saltem ex charitate (1) infidelitatem servi Domino manifestare, quin ideo vel jus quoddam in res furto sublatas sibi arroget, vel actionem juridicam ponere dicatur. Utrumque ergo etiam de Fratribus dici non potest, si praedicto modo domino pecuniae infidelitatem Substituti manifestant. — Major sane difficultas exurgit, si dominus pecuniae incertus, aut ignotus sit, vel si infidelitas Substituti multis manifestanda foret, quod charitati et prudentiae contrarium esset. Tali in casu nonnulli dicunt, quod recurrere liceat ad Episcopum, vel ad Magistratum civilem, et quod hic vel ille non in loco judicii, sed in alio, non per modum accusationis, sed familiaris petitionis, non ut Judex, sed ut Pater pauperum, qui auxilium praestare velit, interpellandus sit. Etiam *Corduba* admittit, id in se graviter illicitum non esse; sed monet, quod valde difficile sit, hac in re cum debita exemplaritate procedere, nullamque cupiditatem praeseferre, et quod occasio, si non proxima, saltem remota adsit ab aequitate naturali ad jurisdictionem civilem transeundi: quapropter idem dicit, melius esse, ut non ipsi Fratres ad Episcopum, vel Magistratum accedant, sed potius virum prudentem et timoratum interpellent, qui ut Protector Fratrum rem Episcopo, vel Magistratui proponat: Fratres autem protestari debent, se litem juridicam instituere haud velle, seque nullum jus in pecuniam habere,

(1) Quomodo et quando id liceat, vel ad id quis teneatur, vid. Theol. Moralem, ubi de correctione fraterna, de justitia et jure, etc.

cujus domini sunt benefactores, ita ut nonnisi libera eorum voluntas adimplenda sit. Talis modus procedendi, ait *Philippus a Castel.*, decretis *Nicolai III* et *Clementis V* contrarius non est; quia Fratres actionem civilem non ponunt, et non suam, sed benefactorum rem contra fraudes et injustitias aliorum vindicare student. Ideo ipse *Corduba* ait: « Ubi abundat mala cupiditas hominum, necesse « est, ut abundet provida, prudensque cautela; alioquin oporteret « saepius cupiditatibus, et fraudibus hominum impunitis mendicare, « pecuniamque procurare ». — Etiam *Nicolaus III* (*Exiit,* Art. 5) jussit, Judices procurare, ut testamenta in favorem Fratrum facta executioni mandentur; et *S. Bonaventura* dicit: « possunt Fratres « Ordinariis denuntiare injuriam defuncti, et suam sine perfectionis « suae detrimento aliquo: nec tamen possunt judicialiter repetere « sicut suam, quamvis sit eis debita quaecunque portio testamenti ». Ergo, concludit *Philippus a Castel.*, etiam injuriam a Substituto infideli benefactoribus viventibus illatam possunt manifestare Ordinariis. Certum autem est, quod Fratres semper in corde suo tum omnem sibi illatam injuriam condonare, tum omnem jacturam, quam impedire non valent, patienter perferre teneantur.

8. Si Substitutus, seu Pater spiritualis moriatur, vel ex alia causa officium suum dimittat, Superior loci modo (n. 1) indicato ad electionem novi Substituti ordinarii, seu Patris spiritualis procedere debet, ad quem electum ex licentia Papae, et ex consensu saltem tacito benefactorum eleemosynae, apud priorem Patrem spiritualem depositae, transferri possunt. Si autem benefactores, seu domini pecuniae factae electioni repugnarent (1), tali in casu eleemosyna vel his consignanda, vel Substitutus ab iisdem, aut juxta eorumdem votum eligendus esset.

§ 63.

II. De obligationibus Substituti, seu Patris spiritualis.

1. Pater spiritualis scire debet, quod sit Substitutus Dantium, et quod eleemosyna, seu pecunia ab his pro necessitatibus Fratrum

(1) Generatim id intelligendum videtur de vera repugnantia formali, expressa ac manifesta: secus de mera ac simplici praelatione, seu uti dicunt « praeferentia » inter varias personas, aliis non exclusis.

data semper maneat sub dominio Dantium, quorum depositarium ipse agit, et quod idcirco Dantes talem pecuniam ad placitum ab ipso avocare possint, quoadusque pro necessitatibus Fratrum sit expensa (1).

2. Caveat Pater spiritualis, ne se unquam consideret ut dominum pecuniarum apud se depositarum: sed sciat, se in administratione pecuniae tum a Dantibus, tum a Superioribus dependere; a Dantibus, quia sunt domini pecuniarum, donec expendantur; a Superioribus, quia voluntas Dantium est, ut eleemosynae pro necessitatibus Fratrum juxta judicium et beneplacitum Superiorum expendantur. Ideo Pater spiritualis Superiori necessitatem quamdam manifestanti ex depositis hunc in finem eleemosynis subvenire tenetur; et nullatenus ei licitum est, depositas eleemosynas in suum, vel aliorum commodum, vel etiam, inscio Superiore, in bonum Conventus, aut particularium Fratrum adhibere.

3. Cum Superior loci scire debeat, quanta pro Fratrum necessitatibus eleemosyna deposita inveniatur, Pater spiritualis hac de re ab illo inquisitus veritatem sincere manifestare tenetur: de caetero oportet, ut nec suis domesticis, nec ulli alteri, imo nec Fratribus subditis propalet, quantum pro Fratrum necessitatibus eleemosynae pecuniariae in manibus habeat, ne praejudicium Conventui, aut Provinciae accrescat, aut scandalum in audientibus oriatur.

4. Si eleemosyna a benefactoribus ad certum finem determinata est, e. g. ad procurandum oleum, vel ad emendos libros etc., non potest Pater spiritualis illam pro aliis Fratrum necessitatibus expendere. Necesse ideo est, ut eleemosynas determinatas singulariter notet, et in specialem locum reponat, ne aliis immixtae contra voluntatem Dantium expendantur. Si autem benefactores apud ipsum deponere velint pecunias ad procurandam rem, pro qua Fratribus jam satis provisum est, Pater spiritualis tuta conscientia (ut ait *Viator a Cocaleo*) benefactoribus alias Fratrum necessitates manifestare, eosque rogare potest, ut eleemosynas ut indifferentes tradere dignentur: quodsi renuant, eleemosynas ad finem indicatum superfluas acceptare nequit (2).

5. Si Patri spirituali pro Fratrum necessitatibus eleemosynae

(1) Vid. infra not. ad n. 6.

(2) Tamen hoc in casu expedit, ut requirat sententiam Superioris localis, qui tutius judicat de indigentia conventus, salva tamen Dantium determinatione.

offeruntur, absolute loquendo ille has etiam inscio Superiore acceptare potest, quia nonnisi voluntatem Dantium adimplet, et horum personam repraesentat. Sed tamen non oportet, ipsum inscio Superiore eleemosynas recipere; quia ad hunc spectat dijudicare, an eleemosynae necessariae sint, an non. Ex eadem ratione non licet Patri spirituali, inscio Superiore acceptare pia legata, procurare Missas etc.

6. Si benefactores eleemosynas afferentes expresse dicant, se dominium pecuniae in Fratre transferre, moneat eos Pater spiritualis, quod Fratres tale dominium suscipere nequeant, et quod hoc semper apud Dantes maneat, donec pecunia expensa fuerit. *Cajetanus Mar. a Bergamo* ait, approbandum esse morem, quo Substitutus id semper Dantibus significet, ut sciant, pecuniam depositam ab ipsorum arbitrio dependere. Sed *Viator a Coc.* (App. II, de Subst. Adm. 3) inquit, id neque semper necessarium, neque semper consultum esse: quia hinc inde si Dantes avari atque tenaces pecunias pro legatis testamentariis, aut pro oneribus Missarum deposuissent, facile in mentem ipsis venire posset, illas inique repetere, et sic tum Defunctis, tum propriae conscientiae, tum Fratribus deceptis graves injurias, magnaque damna inferrent. Male ergo ageret Pater spiritualis, si indiscriminatim Dantibus diceret, eleemosynam in ipsorum dominio manere, et a libero ipsorum arbitrio dependere. Sufficit certe, ut Fratres semper in mente retineant, se in pecuniam nullum dominium tenere, eamque rem alienam, sed juxta benefactorum voluntatem pro suis necessitatibus expendendam esse, quin tamen de jure id exigere possint (1).

7. Quaestio movetur, an Pater spiritualis licite possit pecunias afferentes monere, si vel in calculo errant, vel monetas spurias tradunt, aut stipendium Missae minus taxa praescripta afferunt? — Nonnulli id illicitum putant; quia ille, qui non est Procurator Fratrum, sed Substitutus Dantium, non aliud officium aut jus habere potest, quam ut ab his pecuniam recipiat, horum nomine custodiat, et juxta horum voluntatem expendat. Sed, ait *Viator a Coc.* (l. c. Adm. 4) notandum est, quod Pater spiritualis considerari etiam possit et debeat ut tertia quaedam persona tum a Fratribus, tum a

(1) Ergo quoad conscientiam, nullum actum per se elicere debent Fratres ad in mente retinendam incapacitatem dominii pecuniarum. Data enim cognitione legis tale dominium prohibentis, Fratres id « semper in mente retinent », ut vult Auctor.

Dantibus distincta, et quod ut talis licite Dantes de praedictis erroribus monere possit. Id tunc praecipue obtinet, si constat, Dantes jam determinatam voluntatem, vel etiam obligationem habere certam pecuniae summam pro necessitatibus Fratrum deponendi. Quilibet enim homo ex casu contractui inito praesens, et in facta solutione errorem deprehendens, saltem ex charitate solventem de commisso errore monere deberet, quin ideo jus quoddam in pecuniam sibi attribuere diceretur: hoc idem servus quoque praestare potest et debet, videns Dominum suum in calculo errantem; cur non poterit idem Pater spiritualis praestare, cum hac in re neque ut Substitutus Dantis, neque ut procurator Fratrum, sed ut tertia quaedam persona considerctur? Per talem actionem nullum jus in pecuniam, sed charitas exercetur tum in Dantes, qui forte alias injustitiae labe conscientiam suam contaminarent, tum in Fratres, quorum bono consulitur. — Aliter autem procedendum est, si eleemosyna omnino libere offertur, quin hujus determinata quantitas assignata sit; tunc sane Pater spiritualis nil excipere potest, cum id, quod datur, voluntati Dantis consentaneum censendum sit. Si quis vero pro Missarum celebratione stipendia taxa praescripta minora offerat, Pater spiritualis Dantem monere potest de taxa praescripta, seu communiter usitata: si vero offerens hanc solvere nolit, non potest Pater spiritualis majora stipendia poscere, sed neque tenetur Missas celebrandas acceptare; verum optime faciet, si tale negotium remittat Superiori locali, qui omnibus rite perpensis jam cognoscet, quid in his rerum circumstantiis dicendum, agendumque sit.

8. Gravissimae rationes suadent, ut Pater spiritualis eleemosynas pro Fratribus sibi consignatas non suis propriis pecuniis commisceat, sed ut illas ab his separatas teneat: id enim ratio depositi exposcit, praecipue cum Dantes praedictas eleemosynas in eadem quantitate et qualitate repetere possint: praeterea monetae in suo valore extrinseco crescere, vel decrescere possunt; in primo casu damnum pro Fratribus, in secundo pro ipso Substituto exurgit, si non in sua specie, et quidem separatae detineantur: denique, si eleemosynae cum propriis pecuniis Patris spiritualis commixtae sunt, facillime errores et inordinationes oriuntur, et difficillime corriguntur, e. g. si ex lapsu memoriae aliquid non notetur, quod vel acceptum, vel expensum fuit.

9. Pater spiritualis non potest pecuniam pro Fratrum necessitatibus depositam sine licentia Dantium mutuam dare; neque ei licet,

praedicta pecunia uti ad negotiationem, et ad lucrum vel pro se, vel pro Fratribus referendum. Illius enim pecuniae domini sunt Dantes, atque ideo contra horum voluntatem non potest de illis disponi. Leges prohibent rerum depositarum usum; sic (l. *qui furtum ff. de conditione furti*) dicitur: « Utens deposito contra voluntate tem deponentis, furtum committit »; et (l. *qui sine ff. de negot. gest.*) legitur: « Depositarius lucrum ex pecunia deposita relatum « restituere debet ». Ergo sine licentia Dantium non potest Pater spiritualis pecunia a benefactoribus sibi pro Fratribus consignata in proprium commodum et lucrum uti: id enim neque ratione laboris, quem in custodienda et expendenda pecunia impendit, licitum est; quia id censetur gratis, seu ex amore Dei peragere, atque ideo occulta compensatio locum non habet, sed injusta dicenda est: neque in commodum Fratrum per pecuniam depositam lucrum quaerere potest; quia juxta citatam legem lucrum non ad Fratres, sed ad Dantes spectaret, et Fratribus utique omnis negotiatio, et quodlibet lucrum pecuniarium penitus interdicitur. Denique ex tali agendi modo plurima incommoda et scandala sequi possent. A Superioribus ergo, ne id a Patribus spiritualibus fiat, caute invigilandum est (1).

---

(1) Hic moveri posset quaestio: Quid *(post factum)* de pecunia bona vel mala fide ex lucro seu negotiatione pecuniaria habita? In rigore juris, cum Dans maneat semper dominus pecuniae adhuc non expensae, ipsi fructificaret, non autem Fratribus. Tamen probabilius tali lucro uti possent et Fratres ex praesumpta et interpretativa Dantium voluntate; quia Dantes praesumuntur nolle Fratres tali lucro privare, quando ex actione Substituti lucrum peractum est contra vel praeter Fratrum notitiam et voluntatem praeviam. Aliunde ex actis indebitis Substituti facile detrimentum fieret Fratribus, si Dantibus restitueretur merum receptum. — *Nota:* Nullo pacto dubitandum de obligatione restitutionis, si Dans lucrum facit et sibimet appropriet ex pecuniis fratrum necessitatibus destinatis. Sed talis restitutio in praxi sive Fratribus sive benefactori fieri potest: et probabiliter expendi potest pro Fratrum necessitatibus. Denique si Substitutus etiam post monitionem perseverat in actis illicitis circa pecuniam benefactorum peragendis, non debet amplius retineri uti ordinarius Substitutus seu Pater temporalis, sed alium servatis servandis constituere oportet. — Caeterum in hujusmodi adjunctis attendendum est ad mores regionum, ad malitiam temporum, ad scientiam vel ignorantiam fidelium, ad probatam honestatem Substituti, etc.; nec facile debent Substituti odiosa inquisitione gravari, neque benefactores ab eleemosynis concedendis averti, ex imprudenti agendi vel loquendi modo ex parte sive Fratrum sive Substitutorum.

§ 64.

III. De Syndico apostolico.

1. *Syndicus,* qui etiam Procurator, seu Oeconomus dicitur, ille est, qui nomine Papae, seu Romanae Ecclesiae ad expedienda Fratrum negotia deputatur. Talem Syndicum ex decreto *Martini IV* nominare possunt Minister Generalis, Provincialis, Custos (in sua Custodia) et etiam illi, qui a praedictis specialem commissionem obtinuerunt. Quoniam quod quis potest ex officio, seu commissione generali ratione officii ei facta, maxime per Papam, potest et aliis committere, nisi specialiter ei prohibeatur, ut est communis regula juris. Sine speciali commissione autem Guardianus non potest Syndicum nominare; et si id temere attentaret, quidquid postmodum talis Syndicus exequeretur, totum non auctoritate Sedis apostolicae, sed auctoritate Fratrum fieret. « Unde, ait *Politius,* quidquid circa « pecuniam dictus Syndicus exequeretur, Fratres per interpositam « personam id exequi contra suam Regulam censerentur. Quia cum « nullam habeant Guardiani ad nominandum Syndicum potestatem, « talis vere legitimus Syndicus non est; ergo interposita persona. » — Potest autem Syndicus a praedictis Ministris, Generali scilicet, et Provinciali, et Custode, vel ab his commissionem habentibus, quando opportunum eis videbitur, a Syndicatu seu officio destitui, et alius per eosdem ejus loco poterit subrogari, et nominari, dummodo qui Syndicus nominandus est, de Ordine nostro non sit (Cf. *Politius* in cap. 4, n. 47). Facultatem istam concessit *Innocentius IV* (C. *Quanto studiosius*) dicens: « Liceat praedictis Ministris prae« fatos viros sic constitutos removere, aliosque ad praedicta exe« quenda sine difficultate aliqua subrogare, quoties videbitur op« portunum ».

2. Antiquitus opinio vigebat, quod pro uno eodemque conventu plures Syndici nominari possint: etiam *Corduba* et *Politius* hanc sententiam sequebantur. Sed *Innocentius XI* (C. *Alias pro parte* 1686) decrevit, ut unicuique conventui dicti Ordinis assignaretur unus Procurator, seu Syndicus apostolicus. Etiam Hospitia, quae propriam Ecclesiam et proprium Superiorem habent, possunt Syndicum habere; idemque sub iisdem conditionibus de Hospitalibus dicendum

est. Non autem sine speciali indulto pontificio specialis Syndicus haberi potest pro Lanificio, pro Sacristia, pro horto etc. Certe autem Fratres particulares non possunt pro se privatim Syndicum habere: ergo, ait *Philippus a Castel.*, male omnino ageret Frater, qui e. g. libros sibi non placentes, aut parum utiles haberet, et ideo aliquem eligeret, qui illos venderet, et ex pretio alios emeret: talis emptio et venditio per interpositam personam a Fratre perficeretur.

3. Auctoritas Syndici apostolici juxta variorum Pontificum romanorum decreta ad quinque actus se extendit: 1. ex decretis *Nicolai III* et *Clementis V* potest omnium rerum mobilium, aut immobilium (quae pecuniariae non sunt) Fratribus licito modo donatarum, vel in testamento relictarum dominium, cui benefactores renuntiant, nomine Papae seu Ecclesiae romanae recipere: 2. juxta eorumdem Pontificum decreta potest res omnes licito Fratrum usui dedicatas, ac ideo ad dominium Papae, seu Ecclesiae romanae pertinentes sub aestimatione pretii vendere, commutare, seu alienare, et potest earum pretium recipere, et pro necessitatibus Fratrum expendere: 3. ex decreto *Martini IV* potest nomine Sedis apostolicae recipere, et judicialiter repetere eleemosynas omnes, etiam pecuniarias, modo licito Fratribus relictas, seu in testamento legatas; non autem, si modo incongruo id fiat, e. g. si pecunia nobis relinqueretur ad emendos equos et currus, vel ad comparandas vestes sericas etc.: 4. ex ejusdem Pontificis decreto potest in judicio et extra res mobiles vel immobiles Fratribus concessas defendere, eorum privilegia et exemptiones tueri, et etiam in causis, in quibus de pecunia agitur, nomine Papae, qui hoc in casu non ut dominus pecuniae, sed ut Protector pauperum consideratur, coram Judice comparere, atque Fratrum bono providere: 5. demum ex decreto *Martini V* facultatem accepit, omnes pecuniarias eleemosynas quomodocunque provenientes, sive oblatae sint liberaliter, vel pro Missis et divinis Officiis, sive in ultimis voluntatibus legatae, nomine Sedis apostolicae, quae dominium earum suscipit, recipiendi, easque pro necessitatibus Fratrum expendendi. Hic idem Pontifex etiam ordinavit, ut in quolibet conventu Syndicus habeatur; ait enim: « Statuimus, et ordinamus juxta « declarationem Nicolai III, Clementis V et Martini IV, quod qui- « libet conventus, seu locus habeat suum Procuratorem, Oeconomum, « Syndicum, et Actorem, cui omnis eleemosyna pecuniaria, et alia, « quae ad pecuniam reduci possunt, integraliter assignentur; qui « easdem dispensare debeat legaliter, et fideliter pro reparatione

« conventuum, et locorum, et ad alias quoque necessitates Fratrum « pro tempore occurrentes, sic quod Fratres nullo modo denarios, vel « pecuniam recipiant ». — Creditur, inquit *Philippus a Castel.*, quod hoc praeceptum, cuilibet Fratrum Minorum Conventui et loco impositum, tantum intelligi debeat de Syndico juxta declarationes *Nicolai III* et *Clementis V* concesso, et quod illi *Martinus V* nova jura, et privilegia addiderit, quae autem non in quolibet Syndico vi praecepti admitti debent.

4. Circa Syndicum a *Martino V* concessum variae quaestiones exortae sunt. Multi putarunt, quod purae Regulae observantiae opponatur, et solum per dispensationem pontificiam admitti possit. Posito enim tali Syndico dominium pecuniae suscipitur a S. Sede apostolica: sed ajunt, benefactores non intendunt pecuniam dare Papae, sed Fratribus; atque ideo juxta Dantium intentionem pecuniae dominium, cui ipsi renuntiant, ad Fratres transit, et isti proprietarii fiunt. *Cyprianus Crousers* (cap. 4, Sect. 3) hanc in rem dicit: « non aliam differentiam video inter cippos, et Syndicos quoad « hunc actum quintum, quam quod cippi sunt inanimes Syndici, « Syndici vero animati cippi ». Hos autem *Clemens V* interdixit, et ulterius ordinavit, circa pecuniam nullum alium modum tenendum esse, nisi qui ut licitus declaratus est a *Nicolao III.* Ergo, concludunt, ab horum Pontificum declarationibus receditur, et Pontificum dispensationes ac privilegia acceptantur, si Syndicus *Martini V* recipitur. — Alii tamen aliter sentiunt. *Corduba* ait: « Syndicus « privilegio Martini V praeditus nec quarto, nec sexto Regulae capiti « repugnat; nam pecunias recipit non nomine Fratrum, sed nomine « Summi Pontificis, qui dominium in se sumit: sicut ergo sine lae- « sione Regulae licet recurrere ad amicum spiritualem, et ad ejus « substitutum, sic ad Syndicum Martinianum ». Neque, addit *Philippus a Castel.*, Fratres proprietarii fiunt, dum dominium a Sede apostolica suscipiatur: verum quidem est, Dantes non habere intentionem pecuniam Papae dandi; sed hanc intentionem etiam circa alia bona mobilia, vel immobilia non habent, quae in usum Fratrum tradunt, et tamen juxta omnes in dominium Papae transeunt. *Nicolaus III* et *Clemens V* non novam Regulam proposuerunt; sed hanc declararunt, et modos assignarunt, quibus sine praeceptorum violatione observetur: jam si alius modus Regulam exacte observandi assignatur, ut a *Martino V* factum est, illum recipiendo a pura Regulae observantia non receditur. Imo in concessione *Martini V*

non inveniri dispensationem puram Regulae observantiam relaxantem, declaravit Innocentius XI (C. *Sollicit. pastor.* 1679) dicens: « Declarantes pariter, quod per praemissa non prohibentur in dicto « Ordine Syndici apostolici, cum eorum usus non sit dispensatio in « Regula, sed modus a romanis Pontificibus praedecessoribus nostris « provisus pro puriore illius observatione, sive ejusmodi Syndici as- « sumantur ad praescriptum Constitutionum *Nicolai III* et *Cle- « mentis V,* sive secundum dispositionem Constitutionum *Martini IV, « Martini V,* ac *Pauli IV* praedecessorum pariter nostrorum ».

5. Quaecunque sententia de Syndico *Martini V* adoptetur, certum est, quod Fratres Minores ad illius usum non obligentur. Nam ideo *Innocentius XI* (l. c.) ait, Syndicos a Fratribus Minoribus ita adhibendos esse, « prout eorum usus in singulis familiis, Congrega- « tionibus, Reformationibus, aut Provinciis Ordinis praedicti re- « spective fuerit receptus ». Variae minoriticae Congregationes, ut purae Regulae observantiae insistant, privilegiis a *Martino IV* et *Martino V* Syndico concessis renuntiarunt, et solum utuntur Syndico concesso a *Nicolao III* et *Clemente V* quoad duos primos actus (n. 3) enumeratos. Sic e. g. PP. Reformati Syndico a posterioribus Pontificibus privilegiato renuntiarunt sub *Urbano VIII,* qui eorumdem renuntiationem acceptavit. *Capuccini* quoque praedicto Syndico, seu Procuratori penitus renuntiarunt; quod in eorum Constitutionibus (cap. 4) conceptis verbis declaratur. Hanc renuntiationem approbavit etiam anno 1614 *Paulus V,* « qui concedit Praelatis, ut « Syndicum, qui res superfluas vendat, et id omne, quod ejus officium « secundum Regulae puritatem requirit, agat, Sedis apostolicae no- « mine deputent, et constituant » (v. *Notam* in Bullar. t. 7, p. 422). Observat *Philippus a Castel.,* quod Congregationes, quae concessis Syndico privilegiis renuntiarunt, non sine speciali Papae licentia sibi Syndicum Martinianum eligere possint (1).

---

(1) I. Syndicus Apostolicus Martini IV certo non est contrarius puritati Regulae, neque vel minimam importat dispensationem. Nam Martinus IV (C. *Exultantes*) talem Syndicum licitum declaravit seu quoad 3 et 4 actum, « ut « Ordinis pura observantia in suo vigore servetur ». Confirmatur a fortiori ex declaratione Clementis VII (C. *Vacantibus*): « Auctoritate apostolica, tenore prae- « sentium decernimus et declaramus, Syndicos auctoritate seu vigore litterarum « Innocentii, Clementis et Martini praedecessorum praedictorum, pro tempore « deputatos, amicos spirituales in Regula et declaratione praedictis expressos et « concessos esse, et censeri debere, et Fratres ad eos recurrentes, eorum Regulae

6. *Clemens VII* (C. *Dum considéramus*) Syndicis varia privilegia concessit. Syndici enim omnibus indulgentiis, gratiis et favoribus frui possunt, quibus ipsi Fratres Minores gaudent: exempti sunt a quolibet tribunali ecclesiastico et civili, et in causis criminalibus et civilibus soli subjacent Conservatori nostrorum Privilegiorum: exempti etiam sunt ab officiis publicis communitatis, ad quae cogi non possunt, uti etiam a solutione collectarum pro oneribus Societatis institutarum. Privilegia haec iisdem confirmata fuerunt per Constitutionem *Benedicti XIV* editam 25 Maji ann. 1751. Quamvis autem dicta privilegia non ubique locum habeant, tamen Syndici et Patres spirituales, si ex charitate officium suum fideliter adimpleant, participant una cum suis de omnibus Fratrum Minorum operibus bonis, et S. P. Franciscus ipsis in vita et morte assistet, ac magnam remunerationem impetrabit.

« transgressores, seu ab illius observatione absolutos non esse, nec censeri de- « bere ». Et idem Pontifex sub praecepto obedientiae et poenis prohibet, ne infamentur tales Syndicos habentes. Paulus IV Clementinam declarationem confirmat « sublata aliter judicandi et interpretandi facultate ». Similia habet Innocentius XI, ut notat Auctor n. 4. Si ergo Syndicus Martini V seu quoad 5 actum, juxta pontificias declarationes non est dispensatio in Regula, sed declaratio, a fortiori dici nequit relaxatio in ipsa Regula usus Syndici Martini IV, seu quoad 3 et 4 punctum. — II. Tamen voces *dispensat misericorditer* ex declaratione Martini V adhibitae difficiliorem faciunt usum Syndici ejusdem Martini V, et talis Syndici exclusio laudabiliter servatur et religiose tenetur apud nonnullas Congregationes minoriticas. Verum nullo pacto licet, post solemnes S. Sedis declarationes, inobservantes dicere Minoritas, qui Martini IV imo Martini V Syndicum adhibent. — III. Nec hac in re quidquam possunt *doctrinaliter* Praelati et Capitula diversarum Congregationum Minoritarum. Secus Capitula Generalia Observantium Toletanum et Segoviense, et Capitula nonnulla Capuccinorum simul verum simulque falsum dicerent, cum ex primis Syndicus Martinianus « non sit contra Regulam, nec dispensatio illius »; ex secundis vero « eorum usus sit directe oppositus puritati Regulae », et tales Syndici dati « in « damnum Regulae ». — IV. Ex dictis patet, quod Congregationes Minoriticae possunt quidem renuntiare Syndicis Martini IV et V, seu melius eos non adhibere; sed non possunt renuntiare declarationibus pontificiis, quae tales Syndicos haud contrarios Regulae declarant: ridiculum enim et illicitum esset *renuntiare doctrinae* a suprema Ecclesiae auctoritate declaratae. Caute ergo legenda, quae ex oblivione vel bona fide non obstantibus decretis pontificiis dicuntur ad vehementer impediendum Syndicorum Martinianorum usum. Unde cum grano salis et mitius intelligendus totus n. 5 Auctoris.

CAPUT V.

§ 65.

De modo laborandi.

Ut vita Fratrum Minorum bene ordinata sit, et quodcunque tempus, quo teste *S. Bernardo* (Serm. de tripl. cust.) nil pretiosius est, bene ab ipsis impendatur, Seraphicus Pater, cum jam in tertio capite de cultu Deo exhibendo sermonem fecisset, in hoc capite docet, quomodo etiam de reliquo utiliter, et statui suo convenienter occupari debeant. Ideo 1. *de labore a Fratribus suscipiendo,* et 2. *de ejusdem laboris mercede percipienda* loquitur.

ARTICULUS I.

§ 66.

De labore a Fratribus suscipiendo.

TEXTUS. *Fratres illi, quibus gratiam dedit Dominus laborandi, laborent fideliter, et devote, ita quod excluso otio, animae inimico, sanctae orationis, ac devotionis spiritum non extinguant, cui debent caetera temporalia deservire.*

Ut haec Regulae verba rite intelligantur, 1. *de obligatione Fratrum ad laborandum;* 2. *de qualitate laboris ab iisdem suscipiendi,* et 3. *de modo, quem in laborando observare tenentur,* disserendum venit.

§ 67.

I. De obligatione Fratrum ad laborandum.

1. Nonnulli cum *quatuor Magistris* putaverunt, quod in citatis Regulae verbis praeceptum Fratres ad laborem obligans contineatur. Id ex ipso verbo « *laborent* » inferri posse, visum fuit; quia eodem modo varia S. Regulae praecepta proponuntur, e. g. *faciant divinum Officium, jejunent,* etc. Accedit, quod S. Pater in suo Testamento clarius voluntatem suam manifestaverit dicens: *Et ego manibus meis laborabam, et volo laborare, et omnes alii Fratres mei, firmiter volo, quod laborent:* per quae verba rigorosum praeceptum clare insinuatur. Sed tamen contrarium ex Rom. Pontificum declarationibus infertur. Jam *Nicolaus III* (*Exiit,* Art. 8), declaravit, intentionem S. Patris non fuisse omnes Fratres ad laborem manualem obligandi. Etiam *Clemens V* ea, quae in Regula de labore dicuntur, inter praecepta aequipollentia non enumeravit, et (*Exivi* § *item quia*) notatu dignam declarationem apposuit: « Dicimus, quod Fratres non « ad omnium, quae sub verbis imperativi modi ponuntur in Regula, « sicut ad praeceptorum, seu praeceptis aequipollentium observantiam « teneantur ». In Testamento S. Pater varia graviter commendavit, non nova praecepta imposuit. Ideo recentiores Expositores communiter in citatis Regulae verbis non praeceptum, sed exhortationem agnoscunt. Neque opus fuit, ut S. Pater hac in re rigorosum praeceptum Fratribus imponeret, cum isti jam per alias leges ad laborandum satis graviter obligentur.

2. Labor per ipsam legem divinam hominibus injunctus est. Deus enim Adamo post commissam culpam ait: *Maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitae tuae..... In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram, de qua sumptus es* (Gen. 3, 17, etc.). Sicut autem culpa Adami ad omnes homines pertransiit, sic et poena, qua ad laborandum obligantur. Ideo ipsa S. Scriptura in labore desidem exemplo formicae confundit, dicens: *Vade ad formicam, o piger, et considera vias ejus, et disce sapientiam* (Prov. 6, 6). Christus vero (Matth. 25) de

servo malo, et pigro (ib. v. 26), qui talentum acceptum *abiens fodit in terram* (ib. v. 18), dixit: *inutilem servum projicite in tenebras exteriores* (ib. v. 30). Nonne *illi, quibus* talentum, seu *gratiam dedit Dominus laborandi,* si non laborant, idem judicium timere debent? — S. Paulus Christianos gravibus verbis admonuit, ut juxta status sui conditionem labori diligenter incumbant: *Rogamus,* ait, *ut vestrum negotium agatis, et operemini manibus vestris, sicut praecepimus vobis* (I. Thess. 4, 11); et alibi dicit: *Si quis non vult operari, nec manducet* (II. Thess. 3, 10). Si ergo omnes homines in poenam peccati juxta status sui conditionem laborare tenentur, anne status religiosus, qui praecipue ad mortificandum corpus dirigitur, ab hoc onere exemptus erit? Nonne magna inordinatio esset, si quis Religionem ingrederetur, ut immunis a labore commodam vitam ducat? Talem nullatenus in Ordinem admittendum esse, declaravit S. Pater cuidam dicens: « Vade viam tuam, Frater Musca; quoniam vis co-« medere laborem Fratrum tuorum » (Opusc. S. P. Apoph. 5).

3. Per ipsam legem naturalem et divinam quilibet animae suae salutem promovere, et omnia, quae eidem opponuntur, caute declinare tenetur. Sed animae saluti maxime opponitur otiositas. Nam (Eccli. 33, 29) dicitur: *Multam malitiam docuit otiositas.* Ipsa experientia divini hujus dicti veritatem comprobat; nam qui laborem refugiens otio deditus est, facillime pravis cogitationibus in mente repletur, inanibus confabulationibus tempus terit, in quibus charitas fraterna frequentissime violatur, periculosis familiaritatibus, et recreationibus inhiat, ac demum in operum quoque perversorum barathrum ruit. Non errarunt ergo, qui otium omnium vitiorum parentem appellarunt. Sic *S. Hieronymus* (Ep. ad Eustoch.) scribit: « Teneas firmissime, quod omnis concupiscentiae, et immunditiae, et « peccati mater est otiositas ». — Hac de causa religiosorum Ordinum fundatores, e. g. *Antonius Ab., Basilius, Augustinus, Benedictus,* etc., discipulis suis varios labores praescripserunt; et *S. Hieronymus* (Ep. ad Rusticum) scribit: « Facito aliquid operis, ut te « diabolus semper inveniat occupatum:.... in desideriis est omnis « otiosus. Aegyptiorum monasteria hunc morem tenent, ut nullum « absque operis labore suscipiant, non tam propter victus necessita-« tem, quam propter animae salutem, ne vagetur pernitiosis cogita-« tionibus mens, et instar fornicantis Jerusalem omni transeunti di-« varicet pedes suos » (ref. in can. *Nunquam.* De Consecr. d. 5). Eodem modo etiam *S. Franciscus* Fratribus laborem ex eo praeci-

pue injunxit, ut *excluso otio animae inimico* saluti suae consulant; et alibi (Opusc. S. P. colloq. 32) sermonem, in quo Fratres ad laborandum excitat, ita concludit: « Per laborem et cordis, et linguae « malis obviemus, ne per malos cogitatus, aut aliorum famam eva- « gentur ». Quantum ergo Frater Minor saluti suae providere, imo et ad perfectionem tendere obligatur, tantum etiam otium fugere, et laboribus sibi convenientibus insistere tenetur.

4. *Bernardinus Gandav.,* qui citat *Bartholomaeum a S. Fausto,* ex alio titulo probat, Fratres ad laborandum obligatos esse. In professione enim tacitus fit contractus, quo Religio se obligat, ut Fratri necessaria ad victum et vestitum provideat; Frater autem se obligat, ut Religioni inserviat, vires suas in laboribus statui suo convenientibus impendendo. Sicuti ergo Superiores peccant, si subditis suis necessaria subministrare non student; sic etiam Fratres peccant, si labores ad se in societate religiosa pertinentes negligunt. Nullatenus ergo Superioribus jus abnegari potest, Fratres etiam per poenas ad laborandum adstringendi. *S. Bonaventura* de iis, qui laborare recusant, ait: « Si qui tales sunt, judico arguendos, et ver- « beribus puniendos tanquam servos malos, et pigros » (Ep. ad Magistr.). Quapropter quilibet Frater, vocationis suae ad Religionem memor, saepe aurea *Thomae a Kempis* verba ruminare debet: « Ad « serviendum venisti, non ad regendum: ad patiendum, et laboran- « dum scias te vocatum, non ad otiandum, vel fabulandum » (l. 1 de imit. Chr. cap. 17).

5. Specialis ratio Fratres Minores ad laborandum adigit, quia de eleemosynis vivunt. Benefactores autem ipsis eleemosynas tribuunt, non solum ut pro ipsis orent, sed etiam ut caetera opera, statui suo convenientia, cum majori facilitate, et promptitudine exerceant. Haec ergo negligentes alienis beneficiis indignos se reddunt. Id satis clare docet *S. Thomas* (2. 2, q. 187, art. 4) dicens: « Si aliqui sunt Re- « ligiosi qui absque necessitate, et utilitate, quam afferant, velint « otiosi de eleemosynis, quae dantur pauperibus, vivere, hoc est eis « illicitum..... Nam, quia hujusmodi beneficia Religiosis videntur « esse collata ad hoc, quod liberius religiosis actibus insistere pos- « sint, quorum cupiunt se fore participes, qui temporalia submini- « strant, redderetur eis usus praedictorum donorum illicitus, si ab « actibus religiosis desisterent; quia sic, quantum est de se, defrau- « darent intentionem eorum, qui talia beneficia contulerunt ». Ex hac ratione *Philippus a Castel.* (T. I. De 3. praec. em., art. 20) dicit:

« Fratres otiosi injuste collatis eleemosynis fruuntur, verum furtum (1) « committunt, et ad restitutionem tenentur, seu, ut *Corduba* dicit, « a Superioribus illis bonis privandi sunt ». Ideo in Statutis Reformatorum, cap. 5, legitur: « qui reperti fuerint notabiliter otiosi, voce « activa et passiva priventur, et gravioribus poenis mulctentur »: et hoc idem ordinavit *Julius II.*

6. Dubitari etiam non potest, S. Patrem Fratribus ideo quoque commendasse laborem, ut, quantum fieri potest, ipsi necessariam sibi sustentationem procurent, et ne per nimis frequentatam mendicationem benefactoribus molesti fiant. In Testamento enim clare asseritur, seraphici Ordinis institutorem tunc solum ad mendicationem recurrisse, cum per laborem necessaria vitae subsidia obtinere non poterat; ait enim: *et quando non dabatur nobis pretium laboris, recurrebamus ad mensam Domini petendo eleemosynam ostiatim.* « Ex quo infero, « ait *Marchantius,* in bonum Ordinis melius restituendum opus ma- « nuale ad necessariorum provisionem, quam multas onerosas men- « dicationes multiplicandas ». Etiam *P. Sanctes* dicit: « Laudabilius, « et magis securum est, propriis laboribus vitae necessaria lucrari, « quam mendicando de eleemosyna vivere; quia de hac indigne ac- « cepta, et male adhibita magna ratio reddenda erit, ita ut *S. Ber-* « *nardus* Monachis suis hac de re dixerit: Quae hic in deliciis su- « mimus, in tormentis evomemus ». Ideo ipse *S. Franciscus* in prima sua Regula Fratrem assidue laborantem beatum appellavit, utens verbis (Ps. 127, 2): *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, et bene tibi erit.* — Addit demum *Viator a Cocaleo,* pro Religiosis ad perfectionem tendentibus convenientissimum esse, ut suo labore etiam pauperes alere studeant ad exemplum S. Pauli, qui dicit: *sic laborantes oportet suscipere infirmos, ac meminisse verbi Domini Jesu, quoniam ipse dixit: beatius est magis dare, quam accipere* (Act. 20).

---

(1) Id tamen prudenter intelligendum, et vix invenitur casus, qui *furto* aequiparari possit, multo minus qui restitutionem importet. Frater undequaque fere otiosus multis vitiis debet implicari, nec poterit diu in Ordine manere.

§ 68.

II. De qualitate laboris a Fratribus suscipiendi.

Non inepte a nonnullis Religio seraphica comparatur cum curru, quem trahebant *quatuor animalia,* quae *ubi erat impetus Spiritus, illuc gradiebantur* (Ezech. 1, 12). In istis quatuor animalibus varii labores et officia indigitantur, quibus Fratres Minores occupari possunt. Per *hominem* enim denotantur scientia praediti ad animas docendas et gubernandas, per *leonem* extra conventum mendicantes, per *bovem* opera servilia in conventu exercentes, et per *aquilam* dono contemplationis gaudentes. De omnibus his id dici potest, quod (Luc. 10) legitur: *Dignus est operarius mercede sua.*

1. Praestantissime sane in Ordine seraphico laborant, qui, debita scientia et pietate instructi, animarum saluti promovendae insudant, ut Concionatores et Confessarii, aut qui caeteros Fratres gubernant vel instruunt, ut Praelati et Lectores, aut qui studiis incumbunt, ut ad praedicta munera se aptos reddant. Omnes istos ad labores manuales obligatos non esse, declaravit *Nicolaus III* (*Exiit,* Art. 8) dicens: « Non videtur ea fuisse instituentis intentio, quod vacantes « studio, vel divinis Officiis et ministeriis exequendis manuali labori, « seu operationi subjiceret, vel ad hoc illos arctaret, cum exemplo « Christi, et multorum sanctorum Patrum labor iste spiritualis tanto « illi praeponderet, quanto, quae sunt animae, corporalibus praefe- « runtur ». Egregie hac de re disserit *S. Bonaventura;* ait enim (in c. 5): « Voluit S. Franciscus summe Fratribus imponi exercitium, « quod perfectissime excludit otium, quod summe nutrit devotionis « affectum, quod laudabiliori modo corpori necessaria subministrat. « Labor autem corporalis, etsi excludat otium a corpore, tamen pro « tanto ad modicum utilis est; quia a corde sordes, et otium non « excludit, sicut patet in Mechanicis, qui inter labores corporales « solent turpissimos sermones eructare. Studium vero sapientiae ip- « sum cor occupat. — Item labor ipse sapientiae excitat summe « devotionis affectum; unde (Sap. 7, 10 etc.) de sapientia dicitur: « *Super salutem, et speciem dilexi illam, et proposui pro luce « habere illam; quoniam inextinguibile est lumen illius: venerunt « mihi autem omnia bona pariter cum illa, et innumerabilis ho-*

« *nestas per manus illius.* — Modus demum laudabilissimus corpori « necessaria acquirendi est in praedicationibus, et doctrinae laboribus « occupari. Labor enim mechanicus condigne circa pretia compensatur: « non est autem digna compensatio receptio corporalium spiritualia « seminanti; unde Paulus (I. Cor. 9) ait: *Si vobis spiritualia se-* « *minamus, non est magnum, si carnalia vestra metamus....* Unde « Dominus universae perfectionis exemplar nunquam legitur aliquo « laboris genere laborasse, sciens, quod, licet Paulus, qui habuit « spiritum in plenitudine, et sapientiam sine studii labore, stipen- « diario laboraverit; non potest tamen hoc communiter fieri ab his, « qui circa procurandam salutem hominum sunt solliciti vita, et verbo, « sine hujus sollicitudinis detrimento: praeterea labor sapientiae sim- « pliciter est melior corporeo labore, quamvis in casu possit labor « stipendiarius necessarius esse praedicanti. Dominus igitur, quod « simpliciter praedicanti est melius eligens, non laboravit stipendiarie, « ne Doctores non laborantes arguerentur, vel labore tali impedi- « rentur; unde nec Paulus ubique, sed alicubi laboravit ». Male ergo agerent Superiores, qui ad Sacerdotium vocatis labores manuales sine gravi ratione injungerent (1), quibus ab officiis praestantioribus, vel a necessario studio impedirentur. Ideo autem non interdicitur Superioribus, mendicationem, cum qua etiam officia pastoralia conjuncta esse solent, Sacerdotibus injungere, et Studiosis per brevia saltem tempora labores quosdam manuales praecipere; quoniam spiritus non semper studio vel orationi intentus esse potest.

2. Qui nec studiis incumbunt, nec muneribus spiritualibus occupantur, absque dubio corporaliter laborare tenentur. *Nicolaus III* enim (l. c.) ait: « Ad alios vero, qui se in praedictis spiritualibus « operibus non exercent, nisi tales aliorum Fratrum licitis servitiis « occupentur (ne otiose vivant), verba praedicta declaramus extendi ». Ex hisce verbis clare eruitur gravis obligatio, quae praecipue *Laicos* ad laborandum adstringit. Varii autem sunt labores, quibus occupari possunt et debent. Primo quidem ad ipsos spectat *mendicatio,* de

(1) Errant Guardiani, qui juvenes studentes laboribus manualibus gravant, praetextu minuendarum expensarum etc. Labor enim virorum litteris deditorum non debet per corporis defatigationem, intellectualem vigorem impedire, sed juvare; ergo labor clericorum parcus, moderatus, rarissimeque notabilis esse debet. Labor et Aula propter Deum; labor solus propter aulam, non autem contra aulam esse debet.

qua in capite sequenti fusior sermo instituetur. Dein Laici ideo in Ordinem assumuntur, ut inserviant Fratribus spiritualibus laboribus occupatis; ut nimirum hi cum majori facilitate, et imperturbata sollicitudine muneribus suis praestantioribus insistere possint, illi necessaria ministeria quoad victum, vestitum etc. etc., praestare tenentur: ex eadem ratione ad Laicos spectat Conventum mundare, hortum colere etc. Neque enim operarii saeculares admittendi sunt pro laboribus, quos ipsi Fratres perficere possunt; quia hoc, ut ait *Bernardus Bon.*, facile scandalum praebet, et Ordini detrimentum affert. Haud facile ergo Superiores pro laboribus intra Claustra peragendis operarios saeculares conducere debent; quia, ut dicit *Ludovicus Paris.*, per hoc saepe nonnisi pigritia Laicorum cum maximo ipsorum damno spirituali aleretur. Imo illud semper inconveniens esse, nemo negabit: « cum enim, ait *Viator a Cocaleo*, ipsi ad ser- « viendum venimus, ut quid servos quaerimus? » Denique si Laici aliorum Fratrum licitis servitiis non occupantur, cavere debent, ut monet *Nicolaus III*, « ne otiose vivant »; sed memores verborum S. Regulae alio utili, et honesto labore occupari tenentur.

3. Dum S. Pater in suo Testamento Fratres ad laborandum excitat, simul eosdem adhortatur, ut nonnisi honestum laborem suscipiant. Ait enim: *firmiter volo, quod laborent de laboritio, quod pertinet ad honestatem.* Labor ergo a Fratribus suscipiendus decens, honestus, eorum statui conveniens sit oportet. Ab omnibus autem laboribus, et artibus mechanicis statui religioso non convenientibus abstinere debent, e. g. a venatione, a negotiatione, a munere Advocati, oeconomi et similium. Artem pictoriam, aut sculptoriam exercere possunt; sed non convenit, ut alias quam sacras imagines conficiant. Qui artis medicae, seu chirurgiae vere periti sunt, possunt hanc circa Fratres aegrotos exercere, non autem circa personas saeculares; quia ex tali exercitio multa inconvenientia sequerentur, e. g. invidiae ex parte medicorum, pericula in cura foeminarum, murmurationes, scandala etc. etc. Praeterea tremenda ratio reddenda esset a Fratre, ex cujus malo consilio mors alicujus acceleraretur; nam haud facile in tali casu a gravi culpa excusatur juxta decretum (de homic.), in quo dicitur: « Monachus multum deliquit, officium alienum usurpando, « quando sibi minime congruebat ». Ideo artis medicae exercitium in Constitutionibus nostris penitus prohibetur.

4. A laboribus eximi possunt, qui sublimiori orationis dono gaudent. Praestantissima enim Religiosi occupatio est *contemplatio,*

quam S. P. Franciscus maxime exercuit, et summopere commendavit: ipsa est etiam optimum medium eleemosynas acceptas compensandi propter copiosas gratias, quas illa etiam pro benefactoribus impetrare valet. Ideo *Nicolaus III* (Art. 8) ait, Fratribus opera manualia injungenda esse, « nisi tales tam excellentis, et notabilis « contemplationis, et orationis existerent, quod merito propter hoc « non essent a tanto bono pro hujusmodi exercitio subtrahendi ». Non convenit ergo, ut Superiores talibus Fratribus labores corporales, et valde distrahentes injungant, nisi id necessitas postulet, qua stante absque dubio bonum commune praevalet. Subditi autem dono contemplationis praediti, quantum fieri potest, occupationes et conversationes spiritum dissipantes vitare debent: si autem ex obedientia ipsis opera quaedam externa, utcunque distrahentia, injungantur, haec sine contradictione suscipere et perficere tenentur; quia *melior est obedientia, quam victimae.* S. Thomas ideo (2. 2, q. 87, c. 17) dicit: « Citius auditur una obedientis oratio, quam decem millia « contemptoris ». Angelus, ut refert *Sanctes,* S. Antonium Abbatem docuit, cum contemplatione laborem manualem ita miscere, ut per hunc spiritus ad ipsum orationis exercitium aptior evadat. S. Franciscus, qui maxime sublimi contemplationis dono praeditus erat, nihilominus, ait *Bernardus Bon.*, etiam manibus laborare non renuit. Jure igitur concluditur, illis quoque, qui dono contemplationis gaudent, aliqua exercitia corporalia injungi posse, dummodo Superiores hac in re prudenter procedant. — Cum istis vero contemplationi deditis comparari aliquo modo possunt illi, qui ratione provectae aetatis, aut notabilis infirmitatis ad labores manuales adstringi non possunt. Isti per orationis studium defectum laboris supplere debent. Pro eleemosynis enim, de quibus participant, saltem per orationes se gratos ostendere tenentur: ideo *S. Bonaventura* ait: « Ora, cha« rissime Frater, et te in oratione exercere; quia pauperi non oranti « aeterna supplicia promittuntur » (Op. De Relig. munda et immac.).

§ 69.

III. De modo laborandi Fratribus praescripto.

S. Franciscus vehementer optavit, ut Fratribus labor non devotionis et salutis impedimentum, sed potius medium evadat in via perfectionis progrediendi, virtutes exercendi, et merita augendi. Ideo

ipsis modum laborandi praescripsit, dicens: *laborent fideliter, et devote;* « id est, ait *S. Bonaventura,* fideliter respectu sui et pro- « ximi, et devote respectu Dei ».

1. Ut Fratres *fideliter* laborent, ante omnia opus est, ut illis laboribus incumbant, ad quos vi vocationis suae, aut ex mandato Superiorum obligantur. Nam, ait *S. Bonaventura,* « quia quidam « Fratrum gratiam habent laborandi spiritualiter, quidam vero cor- « poraliter tantum, omnibus dans regulam generalem, ut unusquisque « gratia sibi data utatur, dicit: *Fratres illi, quibus gratiam dedit « Dominus laborandi, laborent fideliter* etc. » Fideliter ergo non laborant, sed gratia sibi data abutuntur illi, qui dum vel studiis incumbere, vel officia pastoralia peragere deberent, per magnam diei partem laboribus manualibus, genio suo magis conformibus, occupantur; et male etiam agunt illi, qui, dum corporaliter laborare tenerentur, libris non tantum asceticis, qui debito tempore ipsis maxime commendandi sunt, sed et scientificis perlegendis insistunt (1). Eodem modo peccant, qui labores ex obedientia injunctos refugiunt, et aliis negotiis ex proprio arbitrio se ingerunt, aut libentius Saecularibus, quam propriis Fratribus inserviunt. Omnes isti *fideliter* juxta mentem S. Patris non laborant; sed potius inter servos otiosos, pigros, et inutiles recensendi sunt. Fidelitas autem in laborando etiam exigit, ut injuncti labores non obiter, et praecipitanter, sed cum debita diligentia, praescripto tempore, recte, et complete perficiantur. Debent ergo Fratres in absentia, sicut in praesentia Superiorum fideliter, et diligenter laborare « *non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate servientes sicut Domino, et non hominibus; scientes, quoniam unusquisque quodcunque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino* », ut ait Paulus (Eph. 6, 6 etc.).

(1) Neque in conscientia securi esse possunt sacerdotes Minoritae, qui vel eorum culpa et negligentia inhabiles permanent ad sacrum animarum ministerium, vel etsi jam concionatores et confessarii constituti, librorum lectionem praesertim rerum theologicarum nullatenus curant. Sacerdos Minorita non est eremita: debet ex debito officii hodie praesertim populis prodesse: « Parvuli petierunt panem et non erat qui frangeret eis » (*Thren.* IV, 4). Unde merito ait Petrus Blesiensis: « Nonne idolum tristitiae et moeroris est Sacerdos illiteratus, qui in ira Dei et populi desolatione eligitur, ut veniat quod dictum est: cum videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto, id est in Ecclesia Dei? »

« Deflenda omnino res est, ait *Bernardinus Gandav.* (n. 396 etc.), « si religiosi, qui specialiter se servos Dei profitentur, in laboribus « suis fideles, et diligentes sunt in praesentia hominum, seu Superiorum; at in eorumdem absentia infideles, et pigros se ostendunt: « hi sane juxta aeternae Veritatis effatum (Mat. 6, 2) pro laboribus « suis mercedem in coelo non recipient ».

2. Ut Fratres *devote* laborent, imprimis laborem ex recta intentione Dei voluntatem implendi et ipsi soli placendi suscipere debent. Ideo *S. Bonaventura* dicit: « *laborent devote* respectu Dei, « ut scilicet labor ipse in Dei gloriam dirigatur ». Intentionem bonam summi esse momenti, et Deum magis pensare affectum, quam actum, SS. Patres communiter docent; et ideo Fratres, ut devote laborent, puram Deo placendi intentionem jam primo mane excitare, et ab initio cujuslibet laboris renovare assuescant. Inter labores quoque oportet, ut Fratres frequenter mentem ad coelestia elevent, divinae praesentiae memores sint, et jaculatorias saltem preces fundant. Tale exercitium in se facile est, et per ipsam consuetudinem facilius redditur; si enim operarii saeculares, quin a labore deturbentur, vanis cogitationibus, et ineptis sermonibus locum dant, « quid ergo, ait « *S. Augustinus* (de opere Monach. c. 17), impedit Servum Dei « manibus operantem in lege Domini meditari, et psallere nomini « Domini Altissimi? » — Sapientissime sane Constitutiones nostrae (cap. 5) Fratres monent, « ut, quantum fragilitas humana patitur, « tempore laboris mentem in spirituali quadam meditatione exer- « ceant ». Quapropter exhortatio apponitur, « ut Fratres, dum la- « borant, semper aut submissa et humili voce de Deo loquantur, « vel devotum quemdam librum spiritualem praelegant, quem omnes « cum modestia et charitate audiant, vel silentium observent ». Caeterum cavere debent Fratres, ne nimis se negotiis implicent: « Sicut « enim, dicit *Viator a Cocaleo,* ignis extinguitur, si lignis nimium « obruitur, conservatur vero, si moderate ligna apponuntur; ita etiam « devotio perit, si nimium nos externis laboribus oneramus, cum « econtra moderato labore conservatur ». — Fratres semper memores esse debent seraphici moniti, quo ita laborare jubentur, *ut sanctae orationis, et devotionis spiritum non extinguant, cui debent caetera temporalia deservire.* Si quis magis amat laborem, quam orationem, et magis pro alimento corporis, quam pro alimento spiritus sollicitus est, a mente S. Patris et a spiritu S. Regulae recedit, et in hac sua inordinatione causam taedii sui et ariditatis in oratione

inveniet. Praecipue autem propter non necessarios labores orationes necessariae, i. e. a Regula, vel a Constitutionibus praescriptae, vel aliunde praeceptae nullatenus omittendae sunt. Quapropter *Pisanus* dicit: « Religiosus orationes necessarias propter occupationes omit-« tere non debet; sed debet primum quaerere regnum Dei, et sic « Marthae curam, ut Mariae gratiam non amittat, habere ». — Sed etiam vitium praedicto oppositum fugiendum est. Nam, ajunt *quatuor Magistri,* « sub praetextu hujus verbi Regulae volunt carnales « defensare suam otiositatem, et dicunt in se extingui orationis spi-« ritum, cum eis Superiores aliquem laborem injungunt. Sed ora-« tionis et devotionis spiritus non dicitur extingui, quando non « est sollicitatio talis operis, per quam impediatur ab orationibus « secundum Regulam determinatis ». Non attendunt, qui ita sentiunt, quod vera devotio consistat in adimplenda voluntate divina, quam in Superiorum mandatis optime agnoscere possunt. Dum ergo ex obedientia injuncta opera exequuntur, detrimentum spiritus non patientur, dummodo ipsos labores, ut dictum est, devote et suscipiant, et perficiant; quia, ut docet *S. Franciscus Salesius,* per frequentes mentis ad Deum elevationes, ac preces jaculatorias reliquarum orationum defectus in tali casu suppleri potest.

ARTICULUS II.

§ 70.

De mercede laboris.

TEXTUS. *De mercede vero laboris pro se, et suis Fratribus corporis necessaria recipiant, praeter denarios, vel pecuniam; et hoc humiliter, sicut decet servos Dei, et paupertatis sanctissimae sectatores.*

Antiquitus Monachi labore manuum necessarium sibi victum comparare solebant. Ideo *S. Benedictus* (in Reg. c. 48) dicit: « Certis « temporibus occupari debent Fratres in labore manuum; quia tunc « vere Monachi sunt, si de laboribus manuum suarum vivunt, sicut « et Patres nostri ». Et *Guido* Abb. Carthus. (Epist. ad Fr. de

monte Dei, l. 1, c. 13) ait: « Patres nostri in Aegypto, et Thebaide « laborabant manibus suis, et de labore suo pauperes pascebant... « viventes de labore suo, et habitantes in labore manuum suarum ». Horum exempla secutus *S. Franciscus* voluit, ut etiam Fratres Minores laborent, et docuit, qua ratione pro *laboribus suis* sive *corporalibus,* sive *spiritualibus* mercedem recipere possint.

§ 71.

I. De mercede pro laboribus corporalibus.

In citatis Regulae verbis S. Franciscus declarat, qua ratione Fratres pro suis laboribus mercedem laboris licite recipere possint. Indigitat enim, *pro quibus, qualis,* et *quomodo* merces recipienda sit.

1. Primo S. Pater docet, quod mercedem *pro se, et suis Fratribus* recipere possint. Verba haec, ait *Viator a Cocaleo,* non disjunctive, sed conjunctive intelligenda sunt, ita ut eorum sensus sit: possint *pro se* simul cum reliquis *Fratribus,* seu pro tota communitate corporis necessaria recipere. Magna enim inordinatio sequeretur, si cui liceret, *pro se* tantum laborare, et mercedem receptam sibi soli applicare. Quod enim uni licitus est, id etiam aliis concedi deberet, et sic vita communis tolleretur, unio religiosa scinderetur, paupertas abigeretur, proprietas introduceretur, et Regula quasi in suo corde transfigeretur. Ideo juxta mentem S. Patris non pro se tantum, sed et pro aliis, seu pro tota Communitate laborandum est: quod ut fiat, primo quilibet officia sibi injuncta diligenter adimplere debet; et si quid temporis ei superfuerit ad alios labores perficiendos, pro quibus mercedem recepit, hanc Superiori non solum ostendere, verum etiam ejus dispositioni penitus subjicere debet; quamvis non negetur, quod Superior ex prudentia, discretione, et charitate de mercede percepta illi praecipue, qui eam suo labore promeruit, subvenire teneatur. Contra primam hanc recipiendae mercedis conditionem, ait *Philippus a Cast.,* peccant illi, qui pro mercede exantlati laboris dona recipiunt, quae propinquis, vel amicis suis extra Ordinem existentibus elargiuntur, quod absque Dantis licentia expressa, tacita, vel praesumpta licite fieri non potest: eorum enim, quae non in usum Fratrum tribuuntur, Sedes apostolica dominium

non suscipit (1); atque ideo Dans manet horum Dominus, et si de illis sine hujus licentia disponeretur, id propria Fratris auctoritate fieret, a quo proinde peccatum proprietatis inhibitae committeretur. Notat tamen idem Auctor, quod in multis rebus, quae a benefactoribus dantur, praecipue si id in laboris cujusdam remunerationem fiat, licentia illas aliis distribuendi omni jure praesumatur, seu tacita adsit, e. g. si Saeculares Fratribus Rosaria, Imagines, Sacra Numismata etc., donent, de quibus jam sciunt, quod ab illis dispensari aliis soleant. Ex eadem ratione Dantium licentia jure praesumitur, seu tacita adest, qua Fratres ea, quae pro mercede laboris recipiunt, pauperibus licite distribuere possint. Ita sentit *Politius,* qui explanans S. Regulae verba *pro se, et suis Fratribus* ait: « In quo « etiam, ut dicit *Petrus Joannes* (c. 5), caeteri pauperes possunt « intelligi; licitum enim est, et pium, de suo labore aliorum pau- « perum necessitatibus providere, prout B. Pater Aegidius fecisse « fertur ».

2. Ut S. Pater ostendat, qualem mercedem laboris Fratres recipere possint, ait: *corporis necessaria recipiant, praeter denarios, vel pecuniam.* Non possunt ergo, ait *Philippus a Castel.,* Fratres in mercedem laboris recipere res prorsus inutiles, aut sibi non convenientes, aut quoad qualitatem nimis pretiosas, aut quoad quantitatem superfluas, cum gravi paupertatis violatione. Quamvis autem S. Pater dicat: *corporis necessaria* etc., tamen, ut innuit *Bernardus Bon.* (Lect. 13, § 14), Fratres etiam ea recipere possunt, quae necessaria sunt pro studiis, pro Ecclesia etc. Praeterea Fratres de mercede laboris *denarios* recipere penitus prohibentur. Quid ergo faciendum est, si quis Fratribus in remunerationem laboris eleemosynam pecuniariam concedere velit? — Certum est, quod Frater Minor hanc nec *per se,* i. e. propriis manibus, nec per *interpositam personam,* i. e. per talem, quam ipse denominat, ut ei denarii consignentur, licite recipere potest. Sed tamen, ait *Bernardus Bon.*

(1) Hoc tamen minus probabile videtur quod res, quae licite juxta regionum mores donari solent sive benefactoribus sive pauperibus, sive laudabilis obsequii causa, salva lege prohibente fidelibus receptionem munerum mere talium a Regularibus sine causa exhibitorum. Secus scrupula, confusiones et anxietates infauste multiplicarentur cum ruina regularitatis. S. Sedes certo suscipit dominium eorum, quae licite recipimus, licite retinemus, liciteque aliis rationabili de causa dono damus: nisi Dantes dominium sibi reservent.

(l. c.), si ipse Dans denarios personae a se denominatae tradit, pro necessitatibus Fratrum expendendos, nihil illiciti occurrit, et Regula non violatur, dummodo ea observentur, quae (§ 59 et § 60) de recursu dicta sunt: tali enim modo Fratres nec per se, nec per interpositam personam denarios recipiunt; sed hi manent in dominio Dantis, ad cujus Substitutum modo (§ 62) tradito recurrere licet. — Etiam *pecunia* ut merces laboris Fratribus interdicitur, i. e. non possunt pro laboribus suis recipere res, quibus non ipsi utantur, sed per quae sibi alia necessaria procurent. Quaeritur autem, an Fratres pro mercede laboris recipere possint materiam, per quam, seu in qua novos labores perficere, et pro his iterum mercedem acquirere possint? e. g. an liceat Fabro lignario, qui scamnum pro quodam viro saeculari fecit, ab hoc pro mercede laboris recipere vel instrumenta, quibus pro arte sua indiget, vel lignum, ex quo iterum nova scamna perficiat? In solvenda hac quaestione Expositores dissentiunt. Sed imprimis certa ab incertis secernenda sunt. Certum est, ut sentit *Philippus a Castel.*, quod Frater licite recipiat instrumenta, quibus pro artis suae exercitio indiget; quia Dans tunc Fratri saltem tacite licentiam dat non solum pro se, sed et pro aliis laborandi, et dominium instrumentorum, quibus Frater utitur, vel Dans sibi reservat, vel a Sede apostolica suscipitur. Certum pariter est juxta omnes, quod Frater recipere possit materiam, ex qua pro ipso Dante opus quoddam perficiat; quia hic dein semper Dominus materiae manet: idemque sentiunt de materia, quae pro mercede laboris Fratri datur, ut ex ea pro se, vel pro aliis Fratribus necessarium opus conficiat; quia talis materia dein rationem pecuniae non habet, ejusque dominium transit in Sedem apostolicam. Tota ergo difficultas ad hoc reducitur, an Frater pro mercede laboris licite possit recipere materiam, ex qua non pro Dante, non pro se, nec pro aliis Fratribus, sed pro aliis personis saecularibus opus quoddam conficiat, pro quo iterum mercedem laboris acquirat? *Quatuor Magistri* hoc omnino illicitum declarant; dicunt enim: « Neque au-
« rum, neque argentum, neque alia metalla, de quibus vasa aliqua
« fieri possunt, neque pelles, coria, lanam et hujusmodi Fratres reci-
« pere poterunt, nec ullam denique materiam appretiabilem, ut circa
« eam artificialiter laborent, et postmodum illam elaboratam tradant,
« vel vendi faciant pro necessitatibus suis: et hoc propter proprie-
« tatem, quae hujusmodi acceptam, et distractam materiam comi-
« tatur; dum recipitur, ut vendatur, seu detur pro habendis neces-

« sariis ». Addit tamen hic *Politius:* « Materiam vero, quae nullius « quasi pretii, seu valoris est, ut sunt junci, vimina, et hujusmodi, « ex quibus cistella, fiscella, quasillum, et id genus alia conficiuntur, « recipere utique poterunt ad conficiendum ex eis aliquod artificiale « opus, quod pro necessariis postmodum detur; quia totum, quod ex « hisce rebus provenit, pretium, ex arte potius, quam ex materia « ipsa, seu ex ipsius rei valore est ». Hic idem autem statim subjungit sententiam *Pisani*, et aliorum, qui generaliter dicunt, « quod « nullam, quaecunque illa sit, sive appretiabilis, sive nullius pretii, « et valoris, poterunt Fratres materiam recipere pro sui mercede « laboris ea intentione, et animo, ut ipsam jam per artificium alte- « ratam commutent, vendant, seu distrahant pro aliis sibi necessariis; « quia hujusmodi distractio nomine Fratrum fieret, habetque pro- « prietatem annexam; — vel quia, ut *Corduba* dicit, talis materia, « ea intentione accepta, ut vendatur, pecunia est, cujus Fratres, ut « patet ex cap. 4, incapaces sunt, et hic item specialiter eis prohi- « betur ». Haec tamen sententia nimis rigida videtur *Bernardo Bonon.* (Lect. 13, § 14) qui putat, quod si nulla aestimatio pretii nullusque contractus contingat, licite a Fratre materia recipi, et ex ea etiam pro aliis opus quoddam confici, et pro exantlato labore merces acceptari potest; quia, si haec omnia simpliciter sine aestimatione pretii, et sine contractu fiunt, nec ratio pecuniae, nec vera negotiatio, aut venditio occurrit. — Sed haec praeclari Auctoris sententia non satis solida est (1). Nam pecunia in sensu Regulae (§ 52) omnis res dicitur, quae non in usum Fratrum, sed ita accipitur, ut per eam alia res obtineatur, quamvis aestimatio pretii, seu verus contractus non contingat. Ergo materia, ex qua pro personis saecularibus opus conficitur, ut ab his merces recipiatur, veram rationem pecuniae habet, cujus dominium Sedes apostolica non suscipit: hujusce ergo materiae, ne ipse Frater proprietarius fiat, dominium Dans retinere debet, atque ideo cum hujus solum licentia commutari,

(1) Data non aestimatione pretii, servatisque quae Bernardus a Bononia hic adnotat, hujus Auctoris opinio non levis dici debet, sed solide probabilis ac tuta. Imo in praxi praesertim quoad res minimas, difficillimum saepe foret tali opinione non uti. Aliunde in modo a Bern. a Bononia explanato, nulla adest ratio pecuniaria (quae exigit aestimationem pretii): secus pecuniariae forent etiam simplices commutationes, v. g. librorum, non aestimato pretio, sed simpliciter factae, quod absurdum esset.

ac per ejusdem Substitutum alienari potest, uti etiam *Hugo* recte observavit.

3. Dum S. Pater Fratribus permittit, ut laboris mercedem recipiant, addit: *et hoc humiliter, sicut decet servos Dei, et paupertatis sanctissimae sectatores.* Vult ergo, ut in recipienda mercede modus servetur evangelico statui conformis. Fratres ergo non solius temporalis lucri gratia, sed ex nobilioribus motivis, *ut decet servos Dei,* suos labores suscipere debent: ideo S. Pater etiam in suo Testamento Fratres ad laborandum excitat *non propter cupiditatem recipiendi pretium laboris, sed propter bonum exemplum, et ad repellendam otiositatem.* Praeterea Fratres non possunt pacisci de mercede sibi danda; quia contractum civilem, ut dicitur in capite sexto, inire nequeunt: interrogati ergo de pretio laboris, *humiliter* respondere debent, se illud nec determinare velle, nec exigere posse; vel ad summum, ut ait *Philippus a Castel.,* dicere possunt: alii pro isto labore tantum dare consuevere; aut: si Saecularis laborem perficeret, tantum omni jure exigere posset etc. Quamvis autem Fratres *ut paupertatis sanctissimae sectatores,* veri nominis contractum inire non possint, quia omni juri politico, seu civili renuntiarunt; « bene tamen, ait *Politius,* simplex utrinque promissio fieri « potest, quod Frater scilicet fideliter in tali opere laborabit, et ille « bona fide laborem benigne recompensabit: itaque solum utrinque « naturalis, non politica remanet obligatio ». — Confecto etiam labore et tradito, Fratres ab omnibus terminis abstinere debent, qui jus in ipsis, vel obligationem in alio indicarent; et mercedem quaerant, ut *Politius* monet, « obsecrando ut pauperes, nihil in eis pro- « prietatem habentes ». Et si merces eis negaretur, nullatenus eam exactione judiciali, seu violenta petere possunt, ut expresse dicunt *quatuor Magistri, Hugo, Pisanus* etc., atque in Testamento indigitatur per verba: *quando non daretur nobis pretium laboris, recurramus ad mensam Domini petendo eleemosynam ostiatim.* Nec etiam Syndicus pro dicta mercede in judicio contendere potest; quia solum pro rebus, quibus Fratres utuntur, et quae ad Ecclesiam romanam pertinent, stat, et agere potest (1).

(1) Vide ubi de Syndico Apostolico, et ubi de cautelis in recursu ad pecuniam.

§ 72.

II. De mercede pro laboribus spiritualibus, praesertim de Stipendiis Missarum.

Dum Christus discipulos suos ad praedicandum Evangelium misit, dixit ad illos: *dignus est operarius mercede sua* (Luc. 10, 7); quibus verbis declaravit, etiam illos, qui in salute animarum promovenda occupantur, mercedem, seu potius debitam sibi sustentationem recipere posse. Hoc idem indigitat Paulus (I. Cor. 9, 13), dicens: *Qui in Sacrario operantur, quae de Sacrario sunt, edunt; et qui Altari deserviunt, cum Altari participant: ita et Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.* Exinde patet, etiam pro laboribus spiritualibus, e. g. pro praedicatione, pro celebratione Missae, etc., mercedem recipi posse, quae necessariae sustentationi inserviat. Et si id communiter Sacerdotibus permittitur, multo magis, ait *Cajetanus Maria a Bergamo* (Tract. de paupert. Instr. 6, art. 2, n. 11), id Fratribus Minoribus concedendum est, qui ex professione sua pauperes sunt, et de eleemosynis vivere debent. Ne autem isti hac in re Regulam suam transgrediantur, varias cautelas, praecipue circa Missarum stipendia, observare tenentur.

1. Sacrosanctum Missae Sacrificium, quod infiniti valoris est, pretio temporali compensari non potest. Ideo ejusdem celebratio haud recte inter labores computatur, pro quibus titulo mercedis aliquid datur et accipitur. Dantur autem alii tituli, ex quibus Sacerdos pro applicatione Missae aliquid accipere potest. Talis titulus est honesta ipsius sustentatio, pro qua juxta hodiernam Ecclesiae consuetudinem licite stipendium recipit, quod ideo non ut pretium Missae, sed ut donum pro honesta sustentatione convenienter collatum considerandum est. Egregie hanc in rem loquitur *S. Thomas:* « Non ponitur, « ait, impretiabile pro pretio... Si aliqua temporalia dantur Deum « laudantibus in celebratione sive pro vivis, sive pro mortuis, non « quasi pretium est, sed quasi stipendium sustentationis... Necessi- « tatis est accipere, unde vivitur; charitatis est praebere: non tamen « venale est Evangelium, ut praedicetur, nec venale Sacrificium, ut « pro his celebretur » (2. 2, Quaest. 100, art. 2, et Quodlib. 8, art. 11).

2. Quamvis, ut ex dictis patet, in se simoniacum non sit, pro Missae applicatione stipendium recipere; facile tamen Simonia mentalis committitur, si in Missae celebratione primaria intentio in lucrum temporale dirigitur. Quapropter S. Thomas (Opusc. de Off. Sac.) dicit: « Non potest Sacerdos illa intentione celebrare, ut ex hoc pe-« cuniam consequatur; quia peccaret mortaliter »: idemque melius explicat (Quodlib. 8, art. 11), dicens: « qui recipit mercedem, veluti « finem sui operis principaliter intentum, Simoniam committit, et « mortaliter peccat; non autem si habeat finem secundarium, et se-« cundario recipit necessarium ad vitae sustentationem ». Perversam illam in celebratione Missae intentionem *S. Bernardinus Sen.* inter casus reservatos posuit; ait enim: « Casus vigesimus nonus est Mis-« sas celebrare principaliter pro pecuniis accipiendis » (post Tract. de Obedientia) (1).

3. Ne celebratio Missae simoniaca quadam intentione corrumpatur, Sacerdotes omnes infinitam sacrosancti hujus Sacrificii dignitatem, et efficaciam probe perspectam habere debent. Ideo *Concilium Tridentinum* dicit: « Quanta cura adhibenda sit, ut Sacrosanctum « Missae Sacrificium omni Religionis cultu, ac veneratione celebretur, « quivis facile existimare poterit... nullum aliud opus adeo sanctum, « et Divinum a Christi fidelibus tractari posse, quam hoc ipsum « tremendum mysterium, quo vivifica illa Hostia, qua Deo Patri « reconciliati sumus, in altari per Sacerdotes quotidie immolatur ». Et cum juxta ejusdem Concilii doctrinam hoc Sacrificium sit latreuticum, eucharisticum, propitiatorium, et impetratorium, possumus ideo per istud omnia Deo dare, quae ipsi debemus, et omnia ab eo obtinere, quibus indigemus. Ad summam hanc Sacrificii efficaciam cordis intentionem principaliter esse dirigendam, monet *Bonaventura* (Tract. de Praep. ad Miss. c. 7), dicens: « Dirige aciem mentis ad « duo praecipue, nempe ad charitatem erga Deum pro ejus laude, « cum nihil habeamus, quo magis possimus Deum pro sua digna-« tione laudare, quam Christum sacramentaliter ei offerre, et immo-« lare; item ad charitatem erga proximum, cum pro salute vivorum, « et requie defunctorum nihil efficacius interpellet, quam Christi san-

(1) Tamen in praxi non facile judicandum de labe simoniaca, quamvis mere mentali. Nam celebrare primario pro stipendio, supponit perversitatem cordis non communem, quae in religioso etiam parum vel mediocriter devoto haud facile reperiri solet.

« guis effusus in remissionem peccatorum ». Eamdem intentionem graviter etiam inculcant Constitutiones nostrae (cap. 3), dicentes: « Sa-« cerdotes celebrantes intentionis oculum rei cuidam temporali apertum « non habeant; sed simplici, puro, et mundo corde solum honorem « divinum respiciant, ex mera charitate celebrantes:... et cum illa « actio undequaque divina sit, de recipiendo quodam praemio in terra « solliciti non sint ad exemplum Jesu Christi summi Sacerdotis, qui « sine aliquo suo praemio temporali se pro nobis in Cruce obtulit ». — Ut autem haec pura semper intentio habeatur, necesse est, ait *Cajetanus M. a Berg.* (l. c. n. 18), ut ipsum cor liberum ab omni avaritia, et rerum temporalium amore servetur. Quantum enim malum sit avaritia in corde Sacerdotis — praecipue celebrantis — dominans, ostendit *S. Bernardus* dicens: « De his dico, qui animas « regere susceperunt: quod enim sine miserabili gemitu dicendum « non est, Christi opprobria, flagella, sputa, clavos, lanceam, crucem, « et mortem; haec omnia in fornace avaritiae conflant » (Serm. 10 in Cant.).

4. Quilibet ergo Sacerdos ad promovendam gloriam Dei et salutem animarum Sacrificium Missae offerre, et id, quod pro ipso datur, non ut pretium seu mercedem laboris, sed ut eleemosynam ex debita charitate factam, seu ut conveniens pro sustentatione stipendium considerare debet. Hoc autem praecipue Fratrem Minorem ut altissimae paupertatis sectatorem decet. Imo si Sacerdotes saeculares stipendium ab Episcopo taxatum, vel a consuetudine stabilitum exigere possunt, Fratribus tamen Minoribus, qui omni juri civili renuntiarunt, id licitum non est: possunt equidem acceptationem intentionum Missarum, pro quibus justo minus stipendium datur, recusare; sed non possunt pro acceptatis stipendium majus oblato exigere. Imo si stipendium promissum omnino non daretur, possunt quidem eum, qui stipendia dare obligatur, obsecrare et monere, ut promissionis et obligationis suae memor conscientiae suae consulat; sed exactio juridica eis omnino prohibita est. Denique circa stipendia pecuniaria Fratres omnia ea observare debent, quae de denariis et de pecunia in capite quarto dicta sunt. Non possunt ergo Fratres stipendia talia per se, aut per interpositam personam recipere; sed illa apud Substitutum, a Dante nominandum, deponi debent, ad quem Fratres in necessitatibus suis recurrere possunt.

5. Superiores cavere debent, ne nimium celebrandarum Missarum numerum accumulent. Nam in Decreto *Urbani VIII* (*Cum*

saepe) legitur: « Eleemosynam pro Missis celebrandis ita Fratres « recipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut « nova quoque onera suscipere valeant... Sed etiamsi jam susceptis « non satisfecerint, possint tamen nova suscipere, dummodo possint « omnibus satisfacere infra modicum tempus ». Modicum tempus definivit Congregatio Concilii esse unum mensem, ut ait Benedictus XIV (de Sacr. Miss. L. 3, c. 24). Cum consensu tamen stipendia offerentium celebratio Missarum etiam longius differri potest, ut S. Congregatio declaravit dicens: « Quamvis onera suscepta infra modicum « tempus adimpleri nequeant, si tamen tribuens eleemosynam pro « aliarum Missarum celebratione id sciat et consentiat, ut illae tunc « demum celebrentur, cum susceptis oneribus satisfactum fuerit, De« cretum non prohibere, quominus eo casu eleemosyna accipiatur pro « iisdem Missis juxta benefactoris consensum celebrandis » (*Bullar.* Tom. VI, p. 395). Quaeritur autem, an non possit etiam major Missarum celebrandarum numerus recipi, et ad alios Conventus numerus superabundans mitti, in quibus illae infra modicum tempus celebrantur? Quoad Fratres Minores difficultas versatur in eo, quia ipsi non sunt domini pecuniae ratione stipendii oblatae, atque ideo non possunt propria auctoritate eamdem a Substituto a Dante nominato ad alium transferre. Ideo, ait *Viator a Cocaleo,* ab offerentibus Missas licentia petenda est (1), has ad alios Conventus transmittendi pro celebratione; qua licentia obtenta etiam stipendia ad eosdem conventus mitti possunt, quia accessorium sequitur suum principale. In locis autem, in quibus jam communiter notum est, non omnes Missas propter magnam earumdem abundantiam in Conventu, cui traduntur, celebrari posse, videtur sufficere licentia Dantium tacita seu praesumpta, ut sicut intentiones, sic etiam stipendia Missarum in alia loca transmittantur: quia id in ipsorum commodum cedit, cum Missae citius celebrentur. Si autem offerentes expresse velint, ut Missae in certo loco celebrentur, has in alium locum mittere non licet.

6. Superioribus gravis obligatio incumbit omnes Missarum intentiones, quas acceptant, in libro ad hoc destinato notandi, et ut illis debito modo satisfiat, sollicite invigilandi. In citato decreto

(1) In praxi non dicenda est necessaria hujusmodi licentiae petitio, sed semper supponitur, nisi expresse constet de positive contraria Dantis voluntate. Quod admittit et Auctor saltem ex parte, et confirmat timoratorum Praelatorum agendi ratio.

Urbani VIII ordinatum fuit, ut tabulae Missarum tum perpetuarum, tum manualium in Sacristia habeantur, ut in Capitulis, seu Congregationibus provincialibus de peracta Missarum celebratione testimonium ab omnibus Sacerdotibus subscriptum, eorumdemque juramento firmatum proponatur, et ut demum Provincialis testetur, se hujus decreti observationi invigilasse. Quamvis autem, quae hic ordinantur, per contrariam consuetudinem saltem ex parte abrogata esse videantur; ostendunt tamen, quam sollicitam curam Superiores hac in re semper gerere debeant.

7. Si pro Missis celebrandis stipendium minus solito, seu ab Episcopo taxato tribuatur, nihilominus tot Missae legi debent, quot petitae, et acceptatae fuerunt. Imo si nimius celebrandarum Missarum numerus accumulatus sit, reductio, moderatio, seu commutatio, ut legitur in citato *Urbani VIII* decreto, nec ab Episcopis, nec a Generalibus Ordinum, sed a sola apostolica Sede fieri potest, ad quam in tali casu recurrendum est. *Innocentius XII* autem declaravit, ab apostolica Sede praedictam reductionem semper concedi cum clausula: « dummodo malitiose non omiserint animo habendi « compositionem; alias gratia nullo modo suffragetur ». Illicitum pariter est, Missarum celebrationem differre, donec stipendium solutum sit: potest quidem illarum acceptatio recusari; sed si semel acceptatae sint, infra modicum tempus celebrari debent. Et si postmodum stipendium omnino non daretur, Fratres ideo non perturbari, nec putare debent, se in vacuum laborasse: nam gloriam Dei et salutem animarum promoverunt, et a Deo mercedem recipient; quia *beatius est magis dare, quam accipere.* — Quod si pro Missis celebrandis majus solito stipendium daretur, non licet, dum illae alteri Sacerdoti traduntur, aliquid sibi de stipendio retinere; nam ab *Alexandro VII* damnata fuit propositio sequens: « Post Decretum « *Urbani VIII* potest Sacerdos, cui Missae celebrandae traduntur, « per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte sti« pendii sibi retenta ». Id ne tunc quidem licitum est, si Sacerdos, celebrationem Missae suscipiens, in stipendii diminutionem consentiret, ut declaravit *S. Congregatio* 23 Aug. 1664 (1).

8. Fratribus, qui sunt subditi, non licet sine consensu et per-

(1) Vide Theologiam Moralem, ubi variae quaestiones circa stipendium solvuntur.

missione Superiorum Missas procurare vel acceptare (1). Praecipue vero, ut monet *Cajetanus M. a Berg.,* cavere debent a talibus dictionibus, quae simoniacum pactum innuere videntur, et facile scandalum praebent, uti e. g. dicendo: Quot Missas pro hac re requiris? da hoc, aut fac hoc, et pro te applicabo tot Missas, etc. Denique si pro Missis eorum liberis stipendia apud quemdam deposita sint, ad hunc non jam pro suo arbitrio, sed solum cum licentia Superioris recurrere possunt (2).

9. Qui pro aliis laboribus spiritualibus, e. g. pro concionibus habitis, mercedem recipiunt, cavere debent, ne magis lucrum suum temporale, quam lucrum animarum spirituale respicientes simoniaca labe (3) inficiantur. Praeterea cavere debent, ne eleemosynam pecuniariam per se, aut per interpositam personam recipiant. Et tandem ne proprietatis vitium contrahant, nullatenus se tamquam dominos dictae eleemosynae considerare, sed eamdem dispositioni sui Superioris remittere debent, qui juxta prudentiae et charitatis leges eorum necessitatibus providebit.

---

(1) Ex praesumpta licentia, consideratis peculiaribus rerum temporum locorum et necessitatum conventuum circumstantiis (servatisque de jure et de regula servandis), saepe non solum licita, sed etiam laudabilis fiet Missarum acceptatio: at tunc quamprimum moneri debet Superior.

(2) Vita communis rite servata vel instaurata, impediet incommoda circa stipendia Missarum singulis Fratribus concessarum. Vide Ordinat. novissimi Capituli Generalis LXV, n. 33, 4° et n. 34, 5°.

(3) Ut dictum est alibi, non facile praesumi debet reatus simoniae quoad Religiosos haud palam depravatos.

CAPUT VI.

§ 73.

Quod Fratres nihil sibi approprient, et de Eleemosyna petenda, et de Fratribus infirmis.

Caput istud gravissimi esse momenti, eaque proponere, quae veluti fundamenta seraphici Ordinis constituunt, Expositores Regulae omnes agnoscunt. *S. Bonaventura* illius explanationem incipiens ait: « Haec pars habet quatuor: primo inhibet appropriationem: se-« cundo imponit mendicitatem: tertio excitat ad paupertatis immo-« bilem amorem: quarto informat Fratres ad mutuam consolationem ». Ut autem ea, quae in hoc capite ordinantur, et quae ex his sequuntur, rite intelligantur, 1. *genuina paupertatis seraphicae notio evolvenda,* 2. *de contractibus Fratribus Minoribus prohibitis,* 3. *de usu arcto, et moderato in genere,* 4. *de eodem usu in specie,* 5. *de peccato proprietatis,* 6. *de mendicatione,* 7. *de seraphicae paupertatis excellentia,* ac demum, 8. *de mutua Fratrum charitate* agendum est.

ARTICULUS I.

§ 74.

Paupertatis seraphicae notio.

TEXTUS. *Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem; sed tamquam peregrini, et advenae in hoc saeculo, in paupertate, et humilitate Domino famulantes* etc.

Per haec verba S. Pater periculum, quod de bonorum appropriatione procedere noscitur, excludere studet. Planissimum enim est,

in toto terrarum orbe maximum generari tumultum ob meum, et tuum, frigidum illud verbum, ut *S. Chrysostomus* observat; et tutissime, teste *Seneca,* viveretur, si illa duo verba tollerentur. S. Franciscus ergo huic occurrens periculo, tamquam paupertatis Christi devotissimus imitator, qui, ubi reclinaret caput, non habuit, nec sibi, nec suis Fratribus rem aliquam appropriari voluit; verum omnimodam rerum omnium abdicationem praecepit. Sicut autem S. Pater ordinavit, ut Fratres neque privatim, neque in communi aliquid proprii possideant; ita etiam in citatis Regulae verbis satis clare indicavit, quod iidem etiam cor suum a rerum temporalium amore, et ab omni terrena cupiditate liberum servare teneantur. — Ut ergo recta seraphicae paupertatis notio proponatur, 1. *de paupertate seraphica in effectu,* et 2. *de paupertate seraphica in affectu* disserendum venit: utraque enim necessaria est ad Fratrem Minorem juxta mentem S. Patris constituendum.

§ 75.

I. De paupertate seraphica in effectu.

1. Jam in primo capite Regulae S. Franciscus declaravit, Fratrem Minorem *sine proprio* vivere debere, et in hoc capite speciale hac de re praeceptum proponit dicens: *Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem;* perfectam ergo abdicationem rerum temporalium quoad omnes actus civiles, seu juridicos Fratribus injungit. Tales autem actus civiles, seu juridici quinque a Theologis recenseri solent; nimirum 1. *Dominium,* quod est legitima facultas disponendi de re tamquam sua ad omnem usum lege non prohibitum; 2. *Possessio,* quae est facultas insistendi rei tamquam suae; 3. *Proprietas,* quae addit supra dominium, et possessionem, quod rei dominus secum parem non habeat in possidendo et disponendo; 4. *Usus fructus,* qui est jus utendi et fruendi rebus alienis, harumque fructibus, salva tamen rerum substantia; 5. *Usus juris,* qui est facultas, seu jus rebus alienis utendi tantum. — Omnes isti actus a seraphica Regula interdicuntur, iisdemque Frater Minor per votum paupertatis penitus renuntiat; quo facto ipsi pro toto vitae tempore non remanet nisi *simplex usus facti,* innixus

juri naturali, utendi rebus ad propriam sustentationem necessariis, cui homo vivens nunquam renuntiare potest. Ideo Frater Minor juste et licite rebus sibi necessariis cum consensu Domini et licentia Superioris uti, illasve consumere potest. Ast etiam iste simplex usus facti statui paupertatis undequaque conformis esse debet, ut inferius declarabitur.

2. Nonnulli dixerunt, omnino absonum esse distinguere usum juris et usum facti, quia unus ab altero separari nequit. Nam, ajunt, si Fratres Minores licite rebus utuntur, certe etiam his utendi jus habent, et per consequens earumdem dominium et proprietatem: hoc idem sensit et declaravit *Joannes XXII,* qui (C. *Ad Conditorem*) distinctionem inter usum juris et usum facti ut frivolam et falsam rejecit, et inter alia dicit: « in rebus usu consumptibilibus non potest « usus a proprietate rei et a dominio separari ». — Objectio haec facile diluitur. Nam legitimus usus facti sine dominio et proprietate consistere potest, uti e. g. si quis pauperi vestem tribuat, ut hac per aliquod tempus utatur, quin tamen eam donet; pauper legitime veste utitur, quin ipsius dominium seu proprietatem habeat. Etiam usus facti datur sine usu juris, seu sine jure utendi *civili,* quod ex contractu, e. g. ex promissione oritur, atque ideo a Domino non pro libitu restringi, aut tolli potest: hic vero usus juris non adest, si Domino nulla inest obligatio, et res ad hujus nutum repeti potest. Talis est conditio Fratrum Minorum, qui, cum sint omnium contractuum et jurium temporalium incapaces, rebus, quibus utuntur, ad nutum vel Domini vel Superioris privari possunt, atque ideo usu facti gaudent, quamvis usum juris non habeant. Eadem distinctio etiam circa res, quae usu consumuntur, recte adhibetur, et nullatenus dici potest, in rebus usu consumptibilibus non posse usum a proprietate rei et a dominio separari; ex quo sequeretur, Fratres Minores omnium rerum, quas consumunt, dominos et proprietarios fieri. — Perperam id asseri, facile ostenditur. Quando enim Fratres Minores rerum usu consumptibilium dominium acquirunt? an ante usum, vel in usu? Certe non ante usum, quia ab hoc sine juris violatione vel a Dante, vel a Superiore impediri possunt; neque in usu, qui, ut notat *Corduba,* est quidem naturalis, sed non civilis rei consumptae appropriatio. Et sane res alienae sine jure in illis vel ad illas consumi possunt, ut contingit in rerum comestibilium furtis. Etiam in communi vita rerum consumptibilium usus a dominio secerni solent: ideo hincinde dicitur, e. g.: de meo comedi, non de

tuo; vel: de tuo saturatus sum, non de meo. Ipsa S. Scriptura huic sententiae suffragatur, dum circa uvas in aliena vinea usum permittit, proprietatem excludit dicens (Deut. 23, 24): *Ingressus vineam proximi tui, comede uvas, quantum tibi placuerit; foras autem ne efferas tecum.* Demum usum facti sine usu juris, et sine dominio et proprietate existere posse, teste *Barbosa,* est communis Theologorum sententia. Sufficiat audire *S. Bonaventuram,* qui paupertatem Fratrum Minorum ab omni dominio et proprietate alienam defendens (in cap. 4) dicit: « Duplex est usus rerum. Quidam enim « utuntur rebus auctoritate propria, ut Domini; quidam aliena, ut « servi; quia, ut dicit lex (ff. de peculio), Vestis, qua utitur servus, « est de peculio Domini.... In usu ergo illorum, qui sua auctoritate « utuntur rebus hujusmodi, non differt usus a dominio; in usu autem « aliorum differt. Quia ergo Fratres Minores pro Christo serviles « effecti sunt, utuntur rebus, quas usu consumunt, nec tamen eis « dominantur: et in hoc ipsum Dominum imitantur, qui cibo vesce- « batur alieno in alienis domibus continue hospitando ». Auctoritati *Joannis XXII* opponi potest auctoritas *Nicolai III,* et *Clementis V,* qui (C. *Exiit*) ait: « Fratres non acceptant res, ut velint « posse disponere de ipsis prout volunt, sed ad usum tantum facti, « id est, ut iis utantur de facto ad suas tantum necessitates; qui « tamen usus non infert proprietatem ». Dicunt ideo nonnulli cum *Bellarmino* (l. 4, de Rom. P. c. 14), videri « Joannem errasse in « hac re, quae tamen non pertinet ad fidem ». Addunt alii cum *Emman. Rodriquez,* Joannem ad vitae suae finem omnia contra Minoritas acta et sancita revocasse (v. Bullar. T. VI, pag. 104 etc.) (1).

3. Juxta Regulam S. Francisci non solum singuli Fratres nihil proprii possidere possunt; sed etiam integra Fratrum communitas neque cujusdam rei temporalis dominium et proprietatem habere, neque jure quodam civili gaudere potest. Id ex ipsis Regulae verbis patet, in quibus dicitur: *Fratres nihil sibi approprient, nec do-*

(1) Quaestio de actis Joannis XXII circa hanc materiam, hodie post Concilium Vaticanum caute tractanda. Pro praxi tenendum omnino: alia disciplinae mutabilis, alia doctrinalia laudatus Pontifex peregit quoad Ordinem Minoriticum. Quae doctrinalia, nullo pacto contradicunt declarationibus aliorum Pontificum; quae vero disciplinaria sunt, rite mutari potuerunt sive ab ipso Joanne XXII, sive ab aliis Pontificibus. Quae omnia hinc inde explanarunt varii Doctores moderni, qui de infallibilitate scripserunt.

mum, nec locum etc.; quod certe non de Fratribus singillatim sumptis, sed de Fratribus familiam constituentibus, et unam domum inhabitantibus intelligendum est, quibus sicut domus, sic etiam cujuslibet alterius rei appropriatio interdicitur. In hoc sensu Regulae verba esse intelligenda, declaravit *Gregorius IX,* qui (C. *Quo elongati*) inquit: « Dicimus, quod neque in communi, neque in speciali, « (Fratres) debent proprietatem habere; sed utensilium, et librorum, « et eorum mobilium, quae licet habere, Ordo usum habeat, et Fra- « tres, secundum quod Generalis Minister, vel Provinciales dispo- « nendum duxerint, iis utantur, salvo locorum et domorum dominio « illis, ad quos noscitur pertinere ». Idem confirmarunt *Nicolaus III* et *Clemens V.* Et in hoc Religio Seraphica ab aliis Ordinibus religiosis distinguitur, qui saltem in communi propria possident.

4. Quia Fratres nec in speciali, nec in communi aliquid proprii possidere possunt, et solummodo simplicem usum facti habent, sequitur, quod dominium rerum, quae ad ipsorum usum conceduntur, apud ipsum Dantem maneat, donec illae consumptae fuerint. Rerum vero mobilium, et immobilium in usum Fratrum concessarum, quarum dominio Dans renuntiat, dominium suscipit apostolica Sedes. Id declaravit, *Innocentii IV* vestigia secutus, *Nicolaus III* (C. *Exiit,* art. 3) dicens: « Cum ea, si secus non exprimat, offerentis, conce- « dentis, vel donantis verisimiliter credatur fuisse intentio, ut rem « hujusmodi oblatam, concessam, vel donatam perfecte concedat, donet, « et offerat, a se abdicet, ac in alios transferre cupiat propter Deum; « nec sit persona, in quam loco Dei congruentius hujusmodi rei do- « minium transferatur, quam Sedes praefata, vel persona Romani « Pontificis, Christi Vicarii, qui Pater est omnium, et Fratrum Mi- « norum nihilominus specialis; ne talium rerum sub incerto videatur « esse dominium, cum Patri Filius suo modo, Servus Domino, et « Monachus Monasterio res sibi oblatas, concessas, vel donatas acqui- « rant; omnium utensilium et librorum, ac eorum mobilium praesen- « tium, et futurorum, quae et quorum usum (facti scilicet) Ordini, « vel Fratribus ipsis licet habere, proprietatem et dominium in Nos, « et Romanam Ecclesiam Apostolica auctoritate recipimus, et ad Nos, « et ipsam Ecclesiam plene, et libere pertinere, hac praesenti Consti- « tutione in perpetuum valitura sancimus ». Hoc idem ab eodem Pontifice declaratum fuit circa Ecclesias, Oratoria, coemeteria, et etiam circa loca pro habitatione Fratrum destinata, nisi Concedentes, seu Fundatores expresse sibi horum dominium reservaverint. — Equi-

dem *Joannes XXII* in citata Bulla (*Ad Conditorem*) declaravit, quod dominium rerum aliquarum praecipue usu consumptibilium, quae Fratribus conceduntur a devotis, ipse utique in se non recipit, neque ad Ecclesiam romanam pertinet, sed ad Fratres, qui eis utuntur. Sed alii Pontifices ejus Successores, nimirum *Martinus IV, Martinus V, Alexander VI, Eugenius IV, Callixtus III,* et *Sixtus IV* approbaverunt, quae *Nicolaus* et *Clemens* praedicti in suis declarationibus dixerunt, annullantes, quod circa hoc determinavit *Joannes XXII,* cujus ideo decretum nullius amplius roboris est.

5. Ipse *Nicolaus III* declaravit, apostolicam Sedem recipere dominium eorum « quae, et quorum usum (facti scilicet) Ordini, vel « Fratribus ipsi licet habere ». Ex quibus inferunt Regulae Expositores, Sedem apostolicam non recipere dominium pecuniarum, equorum, instrumentorum bellicorum, etc.; quia denariorum, pecuniarum (1), et equorum usus in Regula expresse prohibetur; arma vero, et bellica instrumenta satis ex usu eorum illicita cunctis Religiosis regulariter esse probantur. — Quaestio autem movetur, an romana Ecclesia rerum pretiosarum, curiosarum, et superfluarum dominium recipiat, si Fratres his de facto utuntur? Nonnulli cum *Sancte* id negant; quia *Nicolaus III* expresse declaravit, apostolicam Sedem eorum tantum dominium recipere, quibus Fratres licite utuntur; quos ideo rebus paupertati suae contrariis utentes proprietarios declarant. Alii autem cum *Corduba* putant, praedictarum rerum dominium ad Ecclesiam romanam pertinere; quia talium rerum usus Fratribus licitus est ratione materiae, quamvis fiat eis illicitus ratione circumstantiarum, qualitatis scilicet, aut quantitatis, i. e. pretiositatis, curiositatis, aut superfluitatis. Volunt autem cum eodem *Corduba,* quod citata Nicolai verba intelligi debeant ratione materiae, i. e. quod ea in suum dominium non recipiat, quae ex materia ipsa Fratribus probantur illicita, uti sunt denarii, equi, etc.; quod autem dominium omnium rerum, quarum usus Ordini nostro in sua materia aliquo modo licitus esse potest, ad Papam, seu Ecclesiam romanam pertineat, licet respectu circumstantiarum, scilicet pretiositatis, curiositatis etc., ipsis Fratribus sit illicitus. — « Haec sententia, ait *Politius,* videtur « esse probabilior. Quoniam, si secus esset, sequeretur, quod omnes « res, quibus ex aliqua circumstantia illicite utimur, ut puta propria

(1) Vide quae notavimus ubi de Syndicis Martinianis.

« auctoritate, absque Praelati consensu, vel malo animo, aut minus « recto fine, non pertinerent ad Papam, quod nullus sane admitteret. « Et insuper, si per alia loca distribuantur, non erunt superflua, et « sic dominium eorum erit Ecclesiae. Quare sic semper videtur esse « dicendum, quod ubi usus non est Fratribus illicitus ratione ma- « teriae, sed circumstantiae, harum rerum dominium ad romanam « Ecclesiam pertinet » (in cap. 6, n. 17). Ejusdem sententiae est *Bernardus Bonon.,* qui exinde concludit, Fratrem cum licentia Superioris rebus nimis pretiosis, curiosis, aut superfluis utentem, peccare quidem contra paupertatem, sed tamen proprietarium non fieri (Lect. 14, § 12) (1).

6. Paupertas religiosa in *rerum temporalium* abdicatione consistit, ac proinde Religiosus sine paupertatis laesione dominium earum rerum retinet, quae inter temporales non numerantur. Est itaque Religiosus, ut docet *S. Thomas* (2. 2, Q. 186, a. 7, ad 4), *dominus sui honoris, et famae,* quae pretio temporali aestimari nequit; legitur enim Prov. 22, 1: *Melius est nomen bonum, quam divitiae multae.* Idem dicendum est de rebus sacris, quae solum pretium spirituale in se habent, et materialiter appretiari nequeunt, uti sunt oratio, celebratio Missae, suffragia, merita, reliquiae etc.: harum rerum Religiosus dominium habet, easque etiam sine Superioris licentia aliis applicare, seu donare potest. Aliter vero dicendum est, de aliis rebus sacris, quae praeter pretium spirituale etiam pretium materiale annexum habent, uti sunt calices, vasa et paramenta sacra, sacrae imagines, coronae, cruces, numismata etc.: harum rerum nec Religiosus privatus, nec etiam integra Fratrum communitas dominium habere potest; quia alias jam rem pretio temporali aestimabilem contra Regulae praeceptum sibi appropriaret.

7. *Manuscripta,* quae sunt proprii ingenii partus, manent in dominio auctoris, quamvis voto paupertatis ligati. Tales enim ingenii partus non sunt bona corporis, seu externa, quibus Religiosus per votum paupertatis quoad proprietatem penitus renuntiat; sed sunt bona animae, seu interna, quorum proprietas non obstante paupertate a Religioso retineri potest, ut docent *Suarez, Diana,* et communiter Theologi. Chartae equidem, quae inter res temporales numeratur, Religiosus dominium non habet, et ideo Superior eamdem, priusquam

(1) In dubio de suprefluitate, pretiositate etc., standum judicio Praelatorum.

scriptione referta sit, illi subripere potest, non autem postquam jam vel concionem, vel tractatum scientificum in illa conscripsit: quia, ut ait *Philippus a Castel.* (Praec. em. III, art. 12), tunc Religiosus etiam chartae proprietatem habet; nam accessorium sequitur suum principale, ac ideo charta, quae est accessorium vile, sequitur ingenii partum, qui est principale, et quidem nobilissimum. Quamvis autem Auctor suorum manuscriptorum dominus sit, non potest tamen haec vendere, seu cum aestimatione pretii commutare; quia talis contractus civilis Fratribus Minoribus nullatenus licitus est: potest autem per se loquendo aliis donare, etiam Saecularibus, aut Religiosis alterius Ordinis. Si autem agatur de manuscriptis majoris momenti, hoc absque Superiorum licentia fieri nequit (1); nam, ait citatus *Philippus*, Ordo jus saltem naturale habet in opera filiorum suorum, qui in ipso scientiam acquisierunt, ac ideo qui scripta sua extra Ordinem tradit, si non injustitiam, saltem magnam ingratitudinem erga proprium Ordinem committit. Ex eadem ratione ille quoque, qui scripta sua, e. g. conciones a se compositas, quae aliis prodesse possunt, comburit, aut alio modo destruit, a culpa non vacat; imo a *Rotario* gravis peccati reus dicitur, nisi vel ex speciali inspiratione, vel cum consensu Superioris, vel ex consilio Confessarii fecerit (2). — Certum autem est, magnam injustitiam committi ab illo, qui Auctori manuscripta surripit, vel qui sine ejusdem licentia, et cum ipsius incommodo conciones scriptas transcribit et applicat. Religiosus id agens, juxta *Philippum a Castel.*, tum furtum, tum sacrilegium (3) committit; quia in re sacra paupertatem laedit, et proprietarius fit.

---

(1) In praxi haec sententia omnino tenenda; nec excusabilis fieret Frater, qui conventum privaret notabilibus commodis ex dictis Manuscriptis. Labores enim Fratrum debent fructificare Fratribus, non vero solis parentibus et saecularibus.

(2) Haec combustio plerumque excusatur a peccato, praesertim cum de manuscriptis ordinarii momenti agatur. Unde post factum difficulter grave peccatum judicanda.

(3) Reatus Sacrilegii hic non videtur probabilis. Secus sacrilegium foret quaelibet Scriptorum asceticorum usurpatio, etiamsi de operibus typis editis ageretur. Hinc qui aliorum Auctorum opera edunt, tamquam proprie fures merito putentur, non vero sacrilegi.

§ 76.

II. De paupertate seraphica in affectu.

1. *S. Bonaventura* in hoc terrarum orbe quatuor hominum genera distinguit: « Sunt, ait (Apolog. Paup. P. I, art. 1), qui habentes « pecunias non amant; alii non habentes, amant; alii habent, et « amant; alii nec habere, nec amare se saeculi divitias gaudent, « quorum tutior status est ». Fieri omnino potest, ut homines divitias, quas possident, non ament, inordinato affectu illis non inhaereant, ac bonorum temporalium abundantia praediti paupertatem spiritus servent, uti egregia exempla habemus in *Abraham, Job* etc. Difficillimum autem id esse, experientia docet, et S. Scriptura testatur; nam (Eccl. 31, 8) dicitur: *Beatus dives, qui inventus est sine macula, et qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia et thesauris. Quis est hic, et laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua.* Hoc idem Christus innuit dicens: *Quam difficile, qui pecunias habent, in Regnum Dei introibunt?* (Marc. 10, 23). In quae verba *S. Thomas* (2. 2, Q. 186, art. 3) dicit: « id de his « intelligendum est, qui affectum in divitiis ponunt »; ex quo sequitur difficile esse, pecunias possidere, easque inordinate non amare. Ideo jam Apostoli omnia bona terrena relinquenda esse putaverunt, et dixerunt: *Ecce nos reliquimus omnia* (Mat. 19, 27). « Omnia « reliquerunt, ait *S. Bernardus* (Serm. de bon. deser.), non tantum « possessiones, sed et cupiditates; et eas maxime; plus enim concu- « piscentia mundi, quam substantia nocet. » Ex eadem causa enati sunt Ordines religiosi, in quibus omni bonorum temporalium proprietati renuntiatur, ut ab eorumdem amore etiam cor facilius avellatur. Itaque paupertas in effectu, seu externa bonorum temporalium abdicatio est medium, et paupertas in affectu, seu interna inordinatorum affectuum ad bona terrena abnegatio est finis, ad quem illa tendere debet. Id docet *S. Thomas* (l. c.) dicens: « Status Religionis est « quaedam disciplina, per quam pervenitur ad perfectionem chari- « tatis: ad quod quidem necessarium est, quod aliquis affectum suum « totaliter abstrahat a rebus mundanis ».

2. Si omnes Religiosi vi voti sui cum paupertate in effectu etiam paupertatem in affectu conjungere debent, multo magis Fratres

Minores ad hoc obligantur. Hisce enim S. Franciscus paupertatem spiritus, seu terrenorum affectuum abnegationem graviter inculcat in hoc eodem capite dicens: *Altissimae paupertati inhaerentes totaliter, nihil aliud pro nomine Domini nostri Jesu Christi in perpetuum sub coelo habere velitis.* Huc etiam spectant verba S. Patris, quae leguntur in capite decimo: *Moneo et exhortor in Domino nostro Jesu Christo, ut caveant Fratres ab omni avaritia, cura, et sollicitudine hujus mundi.* Ideo *Clemens V* (C. *Exivi*) pluribus in locis declaravit, S. Patrem Fratribus suis cum paupertate in effectu etiam paupertatem in affectu injunxisse; ait enim (art. 2, *Caeterum quia*): « Considerantes attente, intendisse S. Franciscum suae Regulae « professores, quos fundaverat in maxima paupertate, ab affectu tempo- « ralium rerum totaliter elongare »; (et art. 4, *Porro*) « Cum idem « Confessor summe affectaverit, suae Regulae professores totaliter esse « abstractos ab affectu et desiderio terrenorum »; (et art. 8, *Licet vero*) « Cum vir sanctus Fratres suos in paupertate summa fundare « voluerit quoad effectum pariter et affectum ». Eamdem paupertatem cuilibet Religioso, et praecipue Fratri Minori inculcat *S. Bonaventura* (Med. vitae Chr. c. 45) dicens: « Eam paupertatem amplectere, quae « emicuit in Christo; sed attende, de qua paupertate intelligere de- « beas: Professio enim, sine hoc intellecta, verbalis esset et vacua. « Dico igitur de illa paupertate, quae radicatur in corde: virtutes « enim in anima collocandae sunt, non in exterioribus ». Et (Apol. paup. R. 3, p. 1, a. 1) similiter ait: « Sicut vitium cupiditatis, ita « virtus paupertatis radicatur in affectu mentis ». — Nemo ergo putet, ait *Cajetanus M. a Bergomo* (Instr. II de paup., art. III, n. 2), paupertatem in affectu esse tantum supererogationis et consilii; quia absque dubio habenda est ut praecepta, utpote quae ex natura sua intrinsece ad substantiam voti (1) pertinet. Sicut enim (pergit idem Auctor) votum castitatis obligat ad munditiam non solum corporis, sed et cordis; sic etiam votum paupertatis obligat ad renuntiationem non solum externam, sed etiam internam quoad omnia bona temporalia, quae habentur, vel haberi possunt. Imo paupertas spiritus, quam solam Christus (Mat. 5) beatam praedicat, majoris est momenti, quam paupertas in effectu, quae sine illa non prodest, ut dicit Ab.

(1) Haec verba Cajetani a Bergamo circa paupertatem in affectu moderate intelligenda sunt; nec principia ascetica cum moralibus legibus confundenda.

Paphnutius (ap. Cassian. Collat. 3, cap. 7): « Nihil nobis proderit « abrenuntiatio corporalis, et localis ex Aegypto transmigratio, si « renuntiationem cordis, quae sublimior et utilior est, non habue- « rimus ». Idemque confirmat *Gregorius M.* (Hom. 5, in Evang.) dicens: « Affectum magis, quam censum; et cor, non substantiam « perpendit Deus ».

3. Paupertati in affectu maxime opponitur *avaritia*, qua homo duplici modo contaminari potest, dum vel inordinato appetitu ea desiderat, quae non possidet, vel immodico affectu ea, quae possidet, amat. Hoc lugendum vitium etiam pauperum corda penetrare posse, testatur *S. Bonaventura* dicens: « Avaritia est anxia cupido ha- « bendi bona temporalia, sive sequatur effectus, sive non; et sic « potest avarus esse etiam pauper, qui modicum habet, vel etiam « nihil » (de vitiis et remed., c. 42). Etiam Religiosos a gravi hac tentatione immunes non esse, fatetur idem S. Doctor (l. c. cap. 43); ait enim: « Videmus Religiosos quosdam post primam saeculi renun- « tiationem, qua ab ejus laqueis erepti fuerant, rursum involvi ava- « ritiae retibus, et insatiabiliter sitire res alienas, qui prius proprias « contempserunt propter Deum. Sic Judas omnibus suis renuntiaverat, « postea fur factus, et loculos colligens ». — Hujus avaritiae rei sunt, qui post emissum paupertatis votum necessariis haud contenti eleemosynas copiosas et superabundantes, si non actu quaerunt, saltem corde desiderant. Isti per inordinata sua desideria a recto tramite deviant, et paupertatis merita perdunt, uti *S. Bonaventura* asserit scribens: « Sufficit ad perdendum meritum, et ad omne pec- « catum perpetrandum concupiscentia cum consensu; et cum tali pau- « pertate non credas, te posse consequi retributionem » (Medit. vitae Chr. c. 35). Eodem fere vitio illi inquinantur, qui rebus licet parvis et vilibus, sibi ad usum concessis inordinato affectu inhaerent, ita ut nonnisi aegerrime illas dimittere vellent. De hac inordinatione ait Abbas *Moses* (ap. Cassian. Collat. 1, c. 6): « Nonnullos vidimus « Mundi hujus magnas facultates auri et argenti, et praediorum « contemnentes, et post haec pro minimis commoveri: qui si cordis « puritatem tenerent, nunquam utique pro parvis rebus admitterent, « quod ne pro magnis incurrerent, easdem abjicere maluerunt ». Et Abbas *Daniel* (ib. Collat. 4, c. ult.) ait: « Quid differt, utrum quis « perturbationem cupiditatis erga magnificas, an erga viliores exerceat « species, nisi quod in eo reprehensibilior judicandus est, quod qui « maxima spreverit, in minimis obligetur? » — *S. Bernardus* hac de

re se ipsum accusat (Medit. c. 10) dicens: « Acum, vel cultellum, « vel aliquid inutile multoties nimium desideravi, nec confessus sum, « quia peccatum non aestimabam propter rei vilitatem. Verumtamen « non multum distat, quaecunque substantia vilis, vel pretiosa re- « quiratur, dum aequaliter sit corruptus affectus; non enim cultellus « in vitio est, sed cultelli appetitus » (1).

4. Plerumque homines divitias appetunt, ut lautius comedendo et bibendo sensualitatis desideria explere valeant. Ex eadem causa hinc inde Religiosi largas eleemosynas desiderant, et sic facillime saltem paupertatem in affectu violant; nam, ait *S. Bonaventura,* « qui « lauta et delicata quaerit, nutrit avaritiam, et cupit divitias, ut « possit habere, quod appetit » (Op. de vitiis, et remed., c. 45). Ejusdem sententiae est *S. Bernardus,* qui (Epist. 144) haec notatu digna scribit: « Sufficit comedere, quod naturam et vitam sustentare « potest. Qui plus quaerit, potius Pharisaeus hypocrita est, quam « paupertatis evangelicae discipulus et imitator. — In tui excusa- « tionem affers, quod communes cibi tibi officiant. Sed tota erras « via: ad monasterium enim venimus, ut corporis incommoditates, et « non commoda et voluptates quaeramus. Major est, Frater mi! animae, « quam corporis tui infirmitas ». Dictum hoc praecipue in Ordine seraphico bene ponderandum est, in quo ob altissimam paupertatem lauta et delicata haberi non possunt. Sine merito ergo patitur pau- pertate in affectu carens. Ideo *S. Bonaventura* ait: « Si rerum pe- « nuriam exterius pateris, quia forte non abundas, ut sensualitas « vellet, interius autem cupiditatem habeas, non vivis in paupertate « virtuosa et meritoria, sed in egestate laboriosa et demeritoria ».

5. Ut Religiosus paupertatem in affectu conservet, continuo vi- gilare et orare, frequenter cordis sui affectus et inclinationes exa- minare, statim inordinata desideria reprimere, et praecipue strenuum in animo suo paupertatis amorem excitare debet, qui efficiat, ut etiam paupertatis incommoda laeto animo perferat (Cf. *Cajetan. M. a Berg.* l. c. n. 7, 8, 27) (2).

---

(1) Sedulo ergo distinguenda est inordinatio affectus quoad res minimas ab affectu quoad res majoris momenti. Et confessarius non facile judicet de peccato, sed prudenter ac devote adhortetur poenitentes ad amorem sanctae paupertatis. Iterum ergo cave, ne nimis rigorose sumas, quae potius ascesim et virtutem res- piciunt, quam formalem obligationem et conscientiae debitum. Meritum pauper- tatis non semel amittitur, quin tamen revera violetur paupertatis votum.

(2) Saluberrima praxis paupertatis in affectu exerceri debet praesertim cum

ARTICULUS II.

§ 77.

De Contractibus Fratribus Min. prohibitis.

Contractus in genere definitur: Duorum pluriumve in idem placitum, et consensus, signo sensibili manifestatus, pariens obligationem saltem in uno contrahentium. Juxta communem Theologorum sententiam valide contrahere possunt ii omnes et soli, qui habent liberam rerum suarum administrationem. Exinde facile patet, Fratres Minores contractus in sensu stricto inire non posse; cum enim ipsi nec in speciali, nec in communi aliquid proprii possideant, nullius quoque rei temporalis liberam administrationem habent, et neque obligationem civilem in se sumere, neque eamdem aliis ita imponere possunt, ut ipsi exinde jus civile acquirant. — Haec jam principia ad varii generis contractus applicanda sunt, ut appareat, quomodo Fratres in re tanti momenti caute procedere debeant, ne Regulae suae praevaricatores fiant. Agendum itaque est 1. *de promissione et donatione;* 2. *de emptione et venditione;* 3. *de permutatione, cambio, et pignore;* 4. *de locatione, conductione, deposito, et commodato;* 5. *de ludo et sponsione;* 6. *de testamentis et legatis.*

§ 78.

I. De promissione et donatione.

1. *Promissio* est liberalis, deliberata, et spontanea fidei datio, seu obligatio exterius facta et acceptata, de re possibili et licita. Ex hac definitione apparet, quod Frater Minor non possit promittere pecuniam, seu aliam rem temporalem ita, ut ad illam tradendam ex justitia obligetur; quia neque pecuniae, neque alterius rei tem-

---

sese offert occasio aliquid patiendi in victu, vestitu, itinere, etc. (salva lege charitatis erga alios et seipsos). Gaudenter laetemur, quum aliquod sentimus voti paupertatis incommodum.

poralis dominium et liberam administrationem habet. Potest tamen promittere rem sacram, e. g. orationem, celebrationem Missae etc.; et si talis promissio acceptata fuit, saltem ex fidelitate eam adimplere obligatur. Eodem modo potest etiam laborem quemdam, seu servitium praestandum promittere, sed nonnisi dependenter a voluntate Superioris; quia licet labor (1) Fratribus Minoribus non solum licitus, sed etiam ab ipsa Regula injunctus sit, in eo tamen tum eligendo, tum perficiendo, a voluntate Superiorum penitus dependent: cujus rei illi semper memores esse debent ita, ut cunctis promissionibus suis tum interne, tum externe conditionem (2) apponant, e. g. hoc praestabo, hoc faciam, si ita placuerit Superiori.

2. *Donatio* est gratuita ac liberalis rei collatio, per quam rei dominium a donante in donatarium transfertur. Cum ergo donatio tum rei dominium, tum liberam administrationem requirat, Fratres Minores, quibus neque haec, neque illud competit, nil possunt donare, seu propria auctoritate aliis tradere; sed ut id licite ab ipsis fiat, semper opus est tum consensu Domini expresso, tacito, aut praesumpto, tum licentia Superioris. Communiter vero praesumitur consensus Dominorum, qui rerum oblatarum (saltem si non sint magni valoris) administrationem judicio Superiorum committunt. Ideo *Nicolaas III* (Art. 6, *Quia vero*) dicit: « De vilibus autem mobilibus, vel parum « valentibus liceat ex praesenti nostra concessione Fratribus, pietatis « seu devotionis intuitu, vel pro alia honesta et rationabili causa, « obtenta super hoc prius Superiorum suorum licentia, juxta quod « inter Fratres in generali, vel in provincialibus Capitulis tam de « ipsis rebus vilibus, seu parum valentibus, et earum valore, quam « praefata licentia, scilicet a quibus, et qualiter sit habenda, exti- « terit ordinatum, intra et extra Ordinem aliis elargiri ».

3. Circa donationes Religiosorum probe notanda sunt Romanorum Pontificum decreta. Nam *Clemens VIII* (C. *Religiosae,* data 1594) prohibuit et irritavit omnes donationes a Religiosis quibusvis, quocunque modo factas, nisi in generali Capitulo re mature discussa, unanimi consensu, Superiorumque permissu causa fuerit adprobata. Dein prohibuit, ne unquam eisdem Regularibus liceat ullas pecunias

(1) Intellige: materialis, vel intellectualis.

(2) Haec conditio semper subintelligitur, nec expresse apponi debet vel effor-mari toties quoties, praesertim si de rebus minoris momenti agatur.

quocunque modo erogare in alicujus etiam benefactoris, aut Protectoris, aut Ordinarii honorem, etiam occasione transitus, aut primi ingressus, aut ad beneficiorum acceptorum memoriam, seu pro ipsis excipiendis, seu pro conviviis, comessationibus, compotationibus eisdem, aut quibusvis aliis exhibendis. Demum ab hac prohibitione excipit leviora esculenta et poculenta, munuscula ad Religionem vel devotionem pertinentia, item eleemosynas, et hospitalitatis exercitium. — Verum *Urbanus VIII* (C. *Nuper,* data 1640) innovando Bullam Clementis VIII, eam explicuit et temperavit: nam « 1. Declarat, « munera a Religiosis utriusque sexus tribui posse ex causis grati- « tudinis, conciliationis benevolentiae, ejusque conservationis erga « ipsam Religionem, vel conventum, aliisve causis ex sui natura « actum virtutis et meriti continentibus, modeste tamen et discrete, « et dummodo id non fiat nisi de Superiorum localium licentia, ac « etiam cum consensu majoris partis conventus, si talis consensus « de jure, vel ex Constitutionibus, seu consuetudine cujuscunque Re- « ligionis respective in hujusmodi casibus requiratur. 2. Consensum « vere conventus, in § 3. ejusdem Bullae (Clementinae) ad leviora « esculenta, aut poculenta, seu ad Religionem et devotionem perti- « nentia munuscula largienda etc. requisitum, intelligi debere de con- « sensu alias de jure requisito, et ubi concurrit ambitionis suspicio; « qua cessante, nec in his requiri licentiam Superiorum in scriptis « in § 4. ejusdem Bullae requisitam, sed sufficere licentiam etiam « oretenus eisdem concessam, declarat. 3. Comessationes autem, « compotationes, et convivia in excipiendis praesertim benefactoribus, « Protectoribus, vel Ordinariis honorifice et laute, de quibus in § 5. « et 6. ejusdem Constitutionis sermo est, censeri tantum prohibita, si « decentiae status regularis adversentur ». Denique *Benedictus XIV* (C. *Pastor bonus*) peccatum eorum, qui a Religiosis munera valorem 10 scutatorum, seu 25 circiter flor. excedentia (exceptis medicamentis, et ad devotionem pertinentibus) recipit, non quidem censura inurit, sed sibi reservat, declarans, Rom. Pontificem illum non absolvere, nisi restitutio jam facta, aut certe quam primum possibile fuerit, facienda sit: qui autem munus praedictum valorem non attingens receperit, a Majori Poenitentiario absolvit poterit.

4. Ex dictis jam colligi potest, quaenam requirantur, ut donationes Fratrum Minorum licitae dici possint. Requiritur enim, sicuti pro praxi bene observat *Viator a Cocaleo:* 1. ut res, quae donantur, non sint magni pretii, sed parvi valoris; 2. ut non sint vanae, sed

honestae aut devotae; 3. ut donentur ex bono fine, e. g. ex gratitudine, pietate, charitate, devotione, prudentia, hospitalitate etc., non vero ex vana gloria, ambitione, aut aliis finibus parum honestis; 4. ut res sint mobiles, quia res immobiles, e. g. aedificia, aut partes horti, non possent donari aliis sine consensu et licentia Ecclesiae romanae, aut domini fundi; 5. ut adsit licentia legitimi Superioris. Juxta has regulas omnino licitae sunt illae ciborum distributiones, quae ad portas Conventuum pauperibus fieri solent. Ast Religiosi privati nullam prorsus donationem, etsi remuneratoriam, aut eleemosynariam facere possunt, nisi de licentia expressa, tacita, vel praesumpta sui Superioris; quia nec dominium, nec administrationem habent. Graviter ergo reprehendendi sunt, qui, inscio Superiore, vinum, granum, butyrum, aut horti flores (1), fructus, olera etc. aliis donant, putantes, se, quibus horti cultura injuncta est, rerum, quas progignunt, dominos factos esse (2).

§ 79.

II. De emptione et venditione.

1. *Emptio* est pactio pretii pro merce, seu definiri potest: contractus onerosus mutuo consensu constitutus dandi pretium determinatum pro merce. Ex hac definitione patet, Fratres Minores proprie emere non posse. Nam ille proprie emere dicitur, qui ad pretium pro re empta dandum ex ipso emptionis contractu obligatur; sed talem obligationem contrahere non potest, nisi qui in pecuniam, seu pretium dominium, seu jus habet, quod Fratribus est interdictum. Communiter autem Expositores docent, Fratribus licitam esse emptionem improprie, seu largo modo acceptam, quae tunc contingit, cum de re emenda pretio convenitur, et exclusa civili pretium solvendi obligatione, bona fide promittitur, quod solutio pretii pro re empta sit procuranda. Id Fratribus licitum esse, declaravit *Nicolaus III* (Art. 4, *Caeterum*) dicens: « Possunt Fratres pro satisfactione fa-« cienda pro eorum necessitatibus citra alicujus obligationis vinculum

(1) Id est: veros fasciculos florum. Secus generatim de paucis floribus hinc inde collectis.

(2) Quaenam materia sit gravis? vide Theolog. Moralem.

« dicere, quod per eleemosynas et amicos intendunt fideliter laborare. « — Quo casu procuretur a Fratribus, quod ille, qui dabit eleemo- « synam, hujusmodi satisfactionem faciat in totum, vel in partem, « prout Dominus sibi inspirabit ». — Ut autem Fratres in tali negotio recte procedant, cum *Bernardo Bonon.* in emptione varii actus distingui debent, nimirum *pactio pretii, obligatio pretium solvendi, ipsa solutio,* et *mercis receptio.* Primo enim in emptione a venditore proponitur rei pretium, et ab emptore judicatur, an hoc justum sit, an non; et hoc judicium, quod est dispositio ad contractum, non vero substantia contractus, etiam Fratri Minori licitum est: imo hic etiam potest, ut recte observat *Bernardus Bon.,* suggerendo motiva aequitatis et conniventiae, vel humiles preces adhibendo venditorem movere, ut rem minori pretio vendat: potest ergo dicere, e. g.: alii eamdem rem minori pretio vendunt; vel: cogitate, quod rem tradatis pauperi, cui charitas debetur; vel: ego inops sum, rem, quae tanti valet, sumere nequeo, etc. etc. Abstinere autem Fratres debent a talibus locutionibus, quas in paciscendo emptores adhibere solent, qui propria auctoritate contrahunt. Ideo *Nicolaus III* (Art. 3) dicit: « Fratres cavere debent, ne verbis statui suo incompetentibus utan- « tur ». Non licet ergo Fratribus dicere: res tanti valet, tantum dabo, et non plus; vel: si hoc pretio rem vendis, statim solvam; vel: hanc rem emi tali pretio, eamdem emam apud alium etc. Similes enim loquendi modi dominium et proprietatem indicant, atque ideo ab illis solum adhiberi possunt, qui propria auctoritate contrahunt. — Si inter venditorem et emptorem de pretio convenitur, sequi solet ipse emptionis contractus, quo venditor rem tradit, et emptor rei pretium solvendi obligationem in se sumit. Talem vero obligationem suscipere nequit, qui nullius rei temporalis dominium habet: rectissime ideo scribit *Politius*: « Fratres in emendo ita se gerere debent, ut scilicet « solvendi obligationem excludant; vel emptionem per pecuniae de- « positarium faciant proprio ipsius depositarii nomine; vel aliquem « Ordinis devotum praesentent, qui proprio, non Fratrum nomine, pro « solutione facienda se obliget venditori: et hic scire debet, se Fra- « trum gratia, non auctoritate id facere, et praedictos Fratres « sibi, vel aliis nulla posse obligatione teneri. Nam si Fratrum auc- « toritate talis emptio fieret, tunc ad solvendum tenerentur, et contra « professionem suam facerent, ut adnotavit *Hugo* hic ». — Ipsa quoque solutio pretii seu pecuniae non per Fratres, sed per amicum spiritualem, Dominum pecuniae, seu per ejus Substitutum fieri debet,

ad quem spectat, ipsum emptionis contractum inire: male ergo agunt Fratres, qui de contractu ineundo verba non facientes Substituto tantum indicant, quantum pecuniae huic vel illi solvere debeat: isti, ait *Bernardus Bon.*, propria auctoritate emptionis contractum perficere, et Regulam graviter violare (1) convincuntur. Quod demum rei emptae receptionem attinet, meminerint Fratres, quod nullius rei dominium acquirere possint, et quod ideo etiam rei pro ipsis emptae dominium vel apud benefactorem, qui eam emit, maneat, vel ad apostolicam Sedem transeat.

2. *Venditio* est pactio mercis pro pretio, seu definitur: contractus onerosus, mutuo consensu constitutus, dandi mercem pro pretio determinato. Venditor ergo mercem in emptoris dominium tradit, et ab hoc pretium exigendi jus acquirit. Fratres vero Minores, qui nihil proprii possident, vendere non possunt; quia neque alicujus rei dominium in alios transfundere, neque jus civile acquirere valent. Venditio ergo rei, ad usum Fratrum destinatae, solummodo per hujus dominum fieri potest. Ideo *Nicolaus III* (Art. 6, *Quia vero*) declaravit, quod, si res vendenda ad Ecclesiam romanam pertineat, haec de licentia Provincialium, vel Custodum, et aliorum Fratrum, quibus ipsi Praelati commiserint, per Syndicum nomine Ecclesiae romanae vendi poterit; et si pretium pecuniarium est, nonnisi per dictum Syndicum, vel de ejus auctoritate per alium recipi, et in Fratrum necessitates expendi poterit; si vero pecuniarium non sit, ipsis Fratribus licet, rem recipere per seipsos, ut eadem utantur. — Quodsi res vendenda ad Dominum ipsius rei, qui illam Fratribus concessit, dominio sibi reservato, pertineat, tunc de voluntate et auctoritate ipsius Domini, et non aliter vendi potest; ita ut aestimatio rei et translatio dominii in ementem, et receptio pretii pecuniarii, ejusque expensio per ipsum rei vendendae dominum, vel alios

(1) Ex locorum consuetudine et ex modo agendi devotorum Substitutorum ac Praelatorum, non sunt improbandi Guardiani, qui occurrentes expensas in globo declarantes, solam solutionem faciendam P. Temporali humiliter indicant. Tunc enim datis hujusmodi adjunctis, omnia quae agit Frater acquiparari possunt praeliminaribus contractus, qui per solam pretii solutionem a Substituto ultimate perficitur. Secus nimis onerosum saepe foret toties quoties P. Temporalem adire. Verum expensae magni momenti pro viribus fiant de praevia P. Temporalis intelligentia. Prudenter tamen agendum, ne generentur incommoda vel abusus. Subditi hac in re nihil perficiant propria auctoritate.

quoslibet ab eo substitutos fiat: nec per alios a praedictis licet vendere etiam cum consensu et licentia Praelatorum; quia sic esset per interpositam personam accipere et dare pecuniam, contra Regulam et Declarationes Pontificum. — Quaestio autem movetur, an res licite ab ipsis Fratribus vendatur, si ad hoc a Domino rei facultatem obtinuerint? — *Corduba* respondet affirmative; ait enim: « Quamvis « sit purius et honestius, quod conventio et aestimatio pretii rei « vendendae ejusque traditio per Syndicum D. Papae, aut per ami- « cum spiritualem auctoritate Domini rei fiat, et non per Fratres; « non tamen dogmatizandum est, quod sit necessarium. Quoniam « nulla videtur esse ratio, qua id Fratres facere non possint de li- « centia Syndici Ecclesiae Romanae, vel Domini ipsius rei, cum nec « ex Regula, nec ex declaratione Pontificum id videatur esse prohi- « bitum, sed tantum pecuniae receptio et expensio. Unde si caveatur « scandalum sine strepitu judiciali et civili obligatione, et omni alia « circumstantia vitiante actum, poterunt Fratres personaliter talem « rem vendere aestimando pretium, eamque tradendo de auctoritate « Syndici, vel Domini ipsius rei ». — Huic vero sententiae *Politius* subscribere recusat; ait enim: « Quia raro hujusmodi venditio fieri « posset absque admiratione et dedecore Ordinis, vel strepitu judi- « ciali et obligatione civili, et regulae sunt dandae de his, quae ut « plurimum, et non de his, quae raro accidunt; merito cum com- « muni sententia tenendum est, a praedictis actibus Fratres ar- « ceri » (1).

3. Quaestio etiam movetur, an licitum sit, res quasdam mendicare, ut postmodum in commodum Fratrum vendantur? — *Politius* id negat, quia *Nicolaus III* expresse (Art. 3) dicit: « Fratres — « nec utensilia, nec alia — eo animo, ut ea distrahant sive vendant,

(1) Dummodo in venditione seu traditione rei vendendae, non fiat contractatio pecuniae aut contractus vere pecuniarius, Fratres, servatis modis et verbis statui minoritico convenientibus, non possent argui de peccato, quia in talibus adjunctis non essent veri venditores nec commissionarii venditoris, sed simpliciter executores traditionis et aestimationis in contractu a solo Patre Temporali vel Substituto per pretii receptionem perficiendo. Caute tamen agendum, et in praxi pro viribus abstinendum. Hinc facilius tolerandum v. g. ut Frater librum a librario petat vendendum, quam ut librario librum tradat emendum, quamvis in utroque casu a solo Substituto contractus perfici possit per pretii solutionem vel receptionem. Unde majora incommoda habentur in talibus venditionibus, quam in ordinario occurrentibus emptionibus. Vide not. praeced.

« recipiant ». Sed *Bernardus Bonon.* illud licitum esse affirmat, et (Lect. 16, § 3) ex contextu probat *Nicolaum III* non absolute prohibere praedictam receptionem animo vendendi factam, sed tantum hypothetice, si res receptae superfluae essent; quia immediate antea loquitur de thesaurizatione, et de iis, quae derogant paupertati. Quamobrem ipse *Politius* pro sua sententia verba *Nicolai III* citans addit: « nisi tu velis, Decretalem praedictam de superfluis habere sermonem ». Ergo receptio rei prohibita non censetur, quae, quamvis in se necessaria non sit, tamen requiritur, ut per eam pro aliis necessitatibus provisio fiat. *Bernardus Bonon.* citat etiam pro sua sententia *S. Bonaventuram,* qui (Apol. q. 13 et 14) idem docet, et inter alia dicit: « Per se, et remotis odiosis circumstantiis mendicare « ad vendendum ut licitum admitti potest, quotiescunque Fratribus li- « citum est ad pecuniam recurrere ». — Venditio autem fieri debet a Substituto Dantium et cum horum licentia, si isti expresse sibi dominium reservarunt; si autem expresse sibi dominium non reservarunt, censentur illud abdicasse, et dein venditio fieri debet de licentia Praelatorum a Syndico apostolico. Monet tamen citatus *Bernardus Bon.,* quod praedicta venditio, quamvis in se licita sit, difficillime peragatur sine scandalo saecularium, aut sine indignatione benefactorum, qui se a mendicantibus delusos putant, et ab eleemosynis erogandis facile detinentur; et praeterea facile contingit, ut Guardiani (1) illicite agant, praedictam venditionem sine requisita P. Provincialis licentia procurantes.

4. Cum contractu emptionis et venditionis intime cohaeret *negotiatio,* quae definitur: actio, qua quis rem comparat eo animo, ut eam integram et immutatam cum lucro vendat vel permutet. Negotiatio generatim Monachis et Clericis interdicta est. *Alexander III* dixit: « Secundum instituta Praedecessorum nostrorum sub intermi- « natione anathematis prohibemus, ne Monachi vel Clerici causa lucri « negotientur » (C. *Secundum. Ne Monachi, vel Clerici*). Hoc idem in variis aliis canonibus sancitur, et *Concilium Trid.* canones ad Clericorum vitam, et honestatem pertinentes confirmavit (Sess. 22,

(1) Expedit, ut licentia P. Provincialis postuletur saltem semel pro triennio, sed hoc non est de praecepto: imo Guardianus generatim melius cognoscit indolem Benefactorum sui conventus, quam P. Provincialis. Unde judicium Guardiani vere prudentis praesertim accedente Discretorum consensu magni faciendum quoad casus singulos.

c. 1 de Reform.). Quodsi in genere Monachis et Clericis negotiatio interdicta est, multo magis id de Fratribus Minoribus dicendum est, qui proprie nec emere, nec vendere possunt. Illicite ergo agunt, qui e. g. tabacum, imagines, numismata, vel alias res pro aliis procurant, et his majori pretio tradunt, ut pro se, vel pro conventu lucrum referant. Neque ratione sollicitudinum et laborum excusari possunt: nam si hos, ut decet, ex charitate suscipiunt, a Domino mercedem obtinebunt; si autem propter illos temporale lucrum ambiunt, veri negotiatores et canonum transgressores fiunt, ut recte observat *Bernardus Bon.* (l. c., § 9). Idem docet, quod illi, qui propria arte et industria rem conficiunt, aut immutant, ut juxta licentiam a S. Patre in capite quinto datam mercedem accipiant, non sint inter negotiatores computandi. Nam (C. *Ejiciens*) dicitur: « Quicun-« que rem comparat, non ut ipsam rem integram et immutatam « vendat, sed ut materia sibi sit aliquid operandi, ille non est ne-« gotiator ».

§ 80.

III. De permutatione, cambio, et pignore.

1. *Permutatio* fit, cum non pecunia pro merce, sed una res pro alia traditur, e. g. granum pro vino. Permutatio haec, si fiat cum aestimatione pretii, est verus contractus, in quo tum translatio dominii, tum obligatio rem aequivalentem tradendi, seu jus hanc repetendi occurrit. Fratres Minores ergo talem permutationem licite non perficiunt; quia rerum temporalium dominium non habent, nec obligationem in se sumere, nec jus civile acquirere possunt. Sed tamen circa res in eorumdem usum destinatas permutationes locum habere possunt. Rerum, quarum dominium manet apud Dantem, permutatio non potest licite fieri, « nisi de voluntate Domini expressa vel pro-« babiliter praesumpta, quando expressa commode haberi nequeat », ut cum *quatuor Magistris,* et *Hugone* dicit *Politius* (n. 21). Si vero res commutanda ad Ecclesiam romanam pertinet, ejus permutatio fieri potest de licentia Ministri Generalis, aut Provincialium (1),

(1) Et ex consuetudine et quasi delegatione generali, etiam *Guardianorum,* quoad res mediocris momenti. Serventur ergo Provinciarum legitimae consuetudines.

quibus praedictam facultatem *Nicolaus III* (Art. 6) expresse concessit. Hi ergo possunt res commutare pro aliis quibuscunque vel ejusdem, vel diversae speciei, quibus Fratres licite uti possunt, ita tamen, ut nulla interveniat aestimatio pretii, seu ut non detur res ut pretium aequivalens alterius rei; quia tunc vera esset emptio et venditio Fratribus prohibita. — Si vero permutatio cum Saecularibus sub aestimatione pretii facienda sit, haec vel de licentia Dantium per horum Substitutum, vel de licentia Provincialis (1) per Syndicum apostolicum fieri debet. Illicite autem agunt Fratres subditi, si propria auctoritate rem, quae ipsorum usui non amplius inservit, Saeculari cuidam tradunt, ut illam vendat vel commutet; talis enim Saecularis non est Syndicus apostolicus (qui a Provinciali denominari debet), sed est Procurator ipsius Fratris, qui peccat suo arbitrio de re disponendo, ut ait *Bernardus Bon.* (§ 5). Inter se vero Fratres res parvi valoris sibi in usum concessas permutare possunt; imo id etiam ex charitate facere jubentur, si quadam re abundant, qua alii indigent, juxta dictum S. Petri: *mutuam in vobismetipsis charitatem habentes* (I. Petr. 4). Talis autem permutatio, ait *Philippus a Castel.,* sine aestimatione pretii, et sine obligatione civili fieri debet; quapropter qui pro re accepta longe minorem, aut deteriorem tradit, non injustitiam committit, sed foedam avaritiam ostendit, Fratrem decipit, et charitatem laedit (2). Ne tales inordinationes contingant, optimum est, ut juxta morem Religiosorum timoratorum nihil fiat sine licentia Superioris, hujusque judicio tota permutatio subjiciatur. — Etiam inter conventum et conventum res permutari possunt: in hoc enim etiam benefactores, qui generatim ex amore Fratrum res tradunt, saltem tacite consentire censentur, nisi, ut ait *Bernardus Bonon.,* expresse asserant, traditam rem in determinato conventu manere aut consumi debere. Cum autem communiter Dantes rei dominio renuntient, quod dein transit in dominium apostolicae Sedis, sufficit proinde, ut ait *Philippus a Castel.,* licentia Provincialis tacita, si agitur de rebus usu consumptibilibus, e. g. grano, vino etc.; requiritur autem licentia ipsius expressa, si commutandae sunt res permanentes, e. g. calices, libri etc. In tali vero permutatione iterum aestimatio pretii et pactio civilis licita non est; sed tamen,

(1) Vel *Guardiani,* ut in nota praecedenti.
(2) Raro tamen adest laesio charitatis.

qui pro re magna valde parvam retribueret, non quidem injustus, sed tamen ingratus et avarus dicendus est. Optimum sane, et convenientissimum est, praedictam inter conventus permutationem ita sub auspiciis Provincialis perfici, ut ab hoc determinetur, quid a quolibet Guardiano aliis conventibus tribuendum sit. Imo *Corduba* dicit, « Provinciales saepe obligari, ut tales inter conventus permu-« tationes ordinent; quia ipsorum est, pro necessitatibus Fratrum « totius Provinciae providere ».

2. *Cambium* est permutatio pecuniae pro pecunia cum lucro campsoris. Quia communiter permutatur pecunia praesens pro distante, vel distans pro praesente, permutatio ista fieri solet per litteras, quae *cambiales* dicuntur. Quaeritur jam, an his Fratres Minores in suum commodum uti possint. Ad quaestionem hanc *Bernardus a Bon.* sequentia respondet: Litterae cambiales in se non sunt denarii aut pecunia, sed sunt authentica testimonia, quibus ab uno Negotiatore alteri imponitur obligatio certam pecuniae quantitatem illi solvendi, qui praedictas litteras praesentat. Per se ergo illicitum non est Fratribus tales litteras recipere et deferre; quia per hoc non pecuniam recipiunt, aut denariis utuntur contra Regulae praeceptum, sed solum certi redduntur de eo, qui ipsis in necessitatibus succurrat. — Cautela tamen opus est circa modum, quo obligatio solvendi in litteris exprimitur. Communiter enim campsores ita scribunt: *Solvas talem pecuniae quantitatem juxta dispositionem et ordinationem Domini N. N.* Quodsi tales termini pro Fratre Minore adhiberentur, huic dispositio et dominium pecuniae committeretur, et sic Regula violaretur. Aliis ergo terminis in litteris cambialibus pro Fratre Minore utendum est, et scribendum e. g.: *Solvas tantum pro necessitate, seu in commodum Patris N. illi, quem hic tibi suggeret.* Hoc in casu non ipse Frater pecuniam recipit, sed ille, quem campsor substituit: neque ille dici potest Fratris interposita persona; sed quia a Fratre ex mandato campsoris nominatur, fit hujus Substitutus, ad quem Frater in sua necessitate licite recurrere potest. Si autem in litteris cambialibus praedicta cautela adhibita non fuit, Frater ita se gerere debet, ut ostendat, se dominium pecuniae non habere, et de hac disponere non posse: licite autem illi, a quo pecunia solvenda est, necessitates suas manifestare, et ut illis provideat, rogare potest. In subscriptione vero litterarum cambialium caveat Frater, ne subscribat: Ego volo, seu dispono etc.; sed convenit potius, ut scribat: Frater N. rogat, ut pecunia huic vel illi

consignetur etc. Generatim in tali negotio prudentia opus est, ut Frater pecuniae dominium vel administrationem neque interius sibi arroget, neque exterius prodat, sed statui suo convenienter agat (Lect. 10, in cap. 4, § 8) (1).

3. *Pignus* formaliter sumptum definitur: contractus, quo in securitatem debiti res mobilis creditori traditur, ita ut illa in hujus dominium transeat, si statuto tempore promissa solutio non fiat. Fratres Minores talem contractum civilem inire haud possunt, atque ideo ipsis non licet pignus dare vel accipere ita, ut aut obligationem civilem incurrant, aut jus civile acquirant. Hoc autem fieri potest a Domino rei oppignorandae. Si nimirum haec pertinet ad Ecclesiam romanam, per ejus Syndicum, si vero manet in dominio Dantis, per hunc aut ipsius Substitutum contractus pignoris iniri potest. — Putat quidem *Politius,* quod etiam Fratres pignus dare et accipere possint, si nulla interveniat obligatio civilis, et nulla actio in judicio locum habere queat, et pignus non sit nisi signum obligationis naturalis, et attestatio fidelitatis moralis (n. 22). Sed *Bernardus Bon.* (Lect. 16, § 13) haud incongrue observat, quod, qui per pignus vel obligationem suam, vel jus suum firmare, seu securum reddere nititur, terminos obligationis naturalis, et fidelitatis moralis transeat, et juris politici et civilis rigorem ingrediatur; quapropter docet, Fratres per se pignus dare aut accipere non posse (2).

---

(1) Quia saepe haec sola cautela possibilis fit, non videtur inquietandus Frater, qui litteras cambiales ipsi missas subscribit eo modo, quo secura evadit solutio. Si tamen ipse cambiales litteras mittere debeat, id per Substitutum faciat: difficilius enim subscribuntur modo minoriticae professioni licito litterae quae mittuntur, quam quae accipiuntur. Aliunde in litteris cambialibus acceptis adest major et gravior causa, quae et formalitates quasdam (etsi externam aliquam speciem receptionis pecuniarum exhibeant) excusat ac cohonestat, salva substantia praecepti, et detrimentum Fratrum impedit ex facili privatione vel deperditione eleemosynarum secuturum.

(2) Ex circumstantiis locorum et personarum desumendi casus, in quibus expediens fiat usus sententiae Politii, quae in se non videtur levis. Generatim pro viribus abstinendum.

§ 81.

IV. De locatione, conductione, deposito, et commodato.

1. *Locatio* et *conductio* sunt contractus onerosi, quibus res aliqua mobilis, vel immobilis, aut persona (quoad laborem et industriam) ad certum tempus pro pretio traditur vel accipitur. Cum Fratres Minores nullius rei temporalis dominium habeant, et neque obligationem civilem in se suscipere, neque eam aliis imponere possint; ideo in sensu stricto locare aut conducere ipsis non licet. Hac de re *Bernardus a Bon.* ita disserit: « Conductio in nonnullis circumstantiis Fratribus competere potest, dummodo alius contractum ineat, uti dictum est de emptione et venditione; et tunc pro Fratribus exurgit conductio impropria. Locare autem Fratribus in nullo casu licet; quia semper contingeret illicita negotiatio, dum sine sua arte aut industria lucrum de re reciperent; et si per se aut per interpositam personam contractum locationis inirent, lucrum receptum rationem haberet pecuniae in capite quarto Regulae interdictae » (Lect. 16, § 12). Haec autem sententia mihi non satis solida videtur. Certum equidem est, quod Fratres non possint contractum locationis perficere, e. g. non possunt cum aliquo pacisci, ut pro foeno, quod crescit in horto conventus, tantum solvat; tum quia non sunt domini horti, tum quia jus civile acquirere nequeunt. Quod autem Fratribus illicitum est, id auctoritate Sedis apostolicae praestari potest a Syndico: sed tamen contractus locationis non ad plures annos extendi debet, ne pro Fratribus exurgant annui reditus a *Clemente V* ipsis interdicti.

2. *Depositum* est contractus, quo res aliqua alteri custodienda traditur, ut eodem numero reddatur, cum a deponente requisita fuerit. *Commodatum* est contractus, quo res aliqua mobilis vel immobilis, usu tamen non consumptibilis ad certum usum pro determinato tempore gratis conceditur. In utroque contractu imponitur aut suscipitur obligatio civilis rem traditam fideliter custodiendi, eam statuto tempore reddendi, et damnum, quod in re ex culpa lata contingit, resarciendi. Talem autem obligationem civilem Fratres Minores nec in se suscipere, nec aliis imponere possunt. Sed sine obligatione civili possunt commodare, et commodata accipere, solum bona fide promit-

tentes, se rei commodatae bonam custodiam habere, eamque debito tempore restituere velle. Monet autem *Politius,* Deponenti aut Commodanti, si forte professionis nostrae conditionem ignorat, expresse dicendum esse (1), quod a nobis obligatio civilis neque imponi, neque suscipi possit. — Intra Ordinem vero bene possunt Fratres sibi invicem commodare, et invicem accipere commodata, quia actus est charitatis; et cavendum est oppositum, quod inordinatum affectum ad res sibi in usum concessas proderet, ut recte notant *Hugo, Pisanus, Politius, Bernardus Bon.* etc.

§ 82.

V. De ludo et sponsione.

1. *Ludus* a Theologis definitur: contractus, quo ludentes inter se paciscuntur, ut victori cedat, quod uterque deposuit. Juxta hanc notionem per ludum jus lucrandi in uno, et obligatio solvendi in altero producitur; et sub hoc respectu Fratribus Minoribus ludus licitus esse nequit. Ludus vero, prout consideratur ut honesta animi recreatio, Fratribus Minoribus interdictus dici non potest. Ut autem ipsis licitus et conveniens sit, *Philippus a Castel.* sequentes regulas observandas proponit: 1. Ludus ipse in se honestus et Ecclesiasticis minime interdictus sit oportet; 2. Ludus praecipue lucrosus suscipi non debet sine consensu, seu licentia Superioris expressa, tacita, vel interpretativa, quae habetur, dum vel hic ipse ludit, vel ludentes videns non contradicit; 3. Frater ludens res sibi in usum concessas sorti exponere debet, et non licet ei ad hoc sine expressa Superioris licentia rebus communitatis uti; 4. Res sorti

(1) Si commodata speciem juridicam habentia vel scripto firmata excipiantur, generatim non dicenda absolute necessaria *expressa declaratio,* quam indicat Politius. Sic nemo reputat necessariam hujusmodi declarationem facere quoad res, quae ex usu regionis facillime commodantur, v. g. sedilia et candelabra ad aliquam ecclesiasticam functionem, libros ad publicam lectionem, utensilia in casu tantum extraordinario adhibita, etc. Tunc enim etiam saeculares potius attendunt ad honestatem personarum earumque integritatem, quam ad rigorem juridicum.

expositae parvi valoris esse debent, imo minimi, si per longius tempus ludus protrahatur; 5. Fugienda demum est nimia ad lucrandum affectio, ac quaelibet inordinata passio, neque ille, cui fortuna in ludo favet, sibi jus civile arrogare potest id, quod lucratus est, exigendi. — Reprehensione ergo, ut addit *Bernardus Bon.*, omnino digni sunt, qui id, quod in ludo lucrati sunt, nimia aviditate repetunt, ineptis terminis utuntur dicendo e. g.: juxta omnem justitiam tantum mihi debes; hoc meum est, etc.; vel qui, si res non statim tradatur, in ira effervescunt et rixas movent: isti sane ostendunt, quod non tam recreationis ergo, quam lucri causa ludo incumbant, et quod, jus a Regula interdictum sibi arrogantes, vitium proprietatis incurrere videantur. Si autem quaeratur, an qui sortem in ludo expositam perdit, eam victori tradere teneatur, respondet *Philippus a Castel.*, illum ad hoc non quidem ex titulo justitiae, sed tamen ex titulo fidelitatis et aequitatis naturalis obligari: praecipue si cum consensu Superioris ludus institutus fuit, censeri potest, hunc velle, ut sors exposita victori tradatur, quam ideo alter contra voluntatem Superioris retineret: certum autem est, hunc omnia, quae acta sunt, rescindere posse (1).

2. *Sponsio* est contractus, quo duo, vel plures de veritate alicujus rei contendentes ponunt praemium pro eo, qui veritatem fuerit assecutus. Sponsiones sine obligatione civili inter Fratres permitti possunt; sed, ut monet *Philippus a Castel.*, in illis cautelas circa ludum praescriptas observare et cavere tenentur, ne cum Saecularibus sponsiones ineant: nam mutuae inter Fratres rerum exiguarum donationes a summis Pontificibus permittuntur; sed ipsis non licet, res ad usum acceptas periculo exponere, quo in dominium Saecularium transferri possent (2).

---

(1) In praxi omnino impediendus ludus cum sorte. A fortiori haud tolerandus cum saecularibus etsi piis et benefactoribus. In Fratribus ludus cum sorte facillime causat deperditionem devotionis, reverentiae, mansuetudinis, imo non semel paupertatis ac obedientiae jura periculo exponet non levi.

(2) Expedit quamlibet materialem sponsionem rejicere, juxta dicta in nota praecedenti.

§ 83.

VI. De Testamentis et Legatis.

1. *Testamentum* est ultima voluntas cum directa institutione haeredis, in quem post mortem testatoris rerum in testamento relictarum dominium transfertur. Ut quis testari possit, requiritur, ut bona temporalia possideat, eorumque libera dispositione gaudeat. — Certum igitur est, Fratres Minores, qui nihil proprii possident, non posse testari, seu de rebus sibi ad usum concessis sine expressa Superioris licentia disponere. Convenit potius, ut morti appropinquantes cum sincero mentis affectu omnia in manus Superioris resignent; et maxime profecto laudandi sunt, qui moribundi non habent, quod resignent.

2. Fratres Minores etiam non possunt esse testamentorum, seu ultimarum voluntatum *executores;* et generatim cavere debent, ne se hujusmodi negotiis tamquam scriptores, vel dictatores, vel testes etc., implicent, ex quo variae inordinationes enasci solent. Ideo *Clemens V* (*Exivi,* Art. 7) dicit: « Cum dicti Ordinis Fratres non « solum a receptione, proprietate, dominio, sive usu ipsius pecuniae, « verum etiam a contrectatione qualibet ipsius, et ab ea sint penitus « alieni, quemadmodum saepe dictus Praedecessor noster in declara- « tione hujusmodi Regulae plane dixit; cumque dicti Ordinis pro- « fessores pro nulla re temporali possint in judicio experiri, prae- « dictis Fratribus non licet, nec competit, quin potius considerata « sui puritate status debent sibi scire interdictum, quod hujusmodi « executionibus, et dispositionibus se exponant, cum haec saepius « absque litigio, et contrectatione vel administratione pecuniae ne- « queant expediri: verum tamen in his exequendis dare consilium « ipsorum statui non obsistit, cum ex hoc ipsis circa bona temporalia « nulla jurisdictio, sive actio in judicio, sive dispensatio tribuatur ».

3. Fratres Minores non possunt in testamentis institui *haeredes;* nam haereditas est successio juridica in jus defuncti, talis vero successionis illi sunt incapaces. Optime id exponit *Clemens V* (Art. 6) dicens: « Quia in successionibus transit non solum usus rei, sed et « dominium suo tempore in haeredes, Fratres autem praefati nihil

« sibi in speciali acquirere, vel eorum Ordini possunt, etiam in com-« muni: declarando dicimus, quod successionum hujusmodi, quae « etiam ex sui natura indifferenter ad pecuniam, et etiam ad alia « mobilia et immobilia se extendunt (considerata sui puritate voti), « nullatenus sunt capaces ». Fratres Minores etiam nequeunt haeredes institui, apposita causa expressa, quod scilicet dicta haereditas vendatur et in necessitates Fratrum expendatur: nam in tali casu non quidem dominium bonorum relictorum, sed tamen jus ad valorem haereditatis ad Fratres perveniret, et id quoque illicitum declaravit *Clemens V* (l. c.) sic pergens: « nec licet eis valorem haereditatum « talium, vel tantam earum partem, quod praesumi posset hoc in « fraudem fieri, quasi sub modo et forma legati sibi dimitti facere, « vel sic dimissa recipere, quin potius ista sic fieri ab ipsis sim-« pliciter prohibemus ». *Politius* tamen (n. 53) addit: « Si vero « Fratres non instituantur haeredes, sed alter, qui ipsam debeat « haereditatem vendere, et ejus pretium in Fratrum necessitates « expedire; nullo hoc videtur jure Fratribus esse prohibitum. Quare « licite hoc poterunt acceptare, ex quo non succedunt in aliquo « jure defuncti; modo quantitas non sit excessiva et immoderata, « sed moderata; ita ut in fraudem paupertatis non possit prae-« sumi ». — Nonnulli cum *Bartholo* putarunt, in haeredes institui posse Fratrum Minorum Ecclesias, quae sunt Sedis apostolicae, in cujus proinde dominium haereditas transit. Sed quia *Clemens V* (Art. 4) generaliter prohibet, pecuniam in Ecclesia offerri, seu oblatam posse acceptari, quin distinguat, an pro necessitatibus Fratrum, an pro fabrica, seu Ecclesia impendatur; et quia ideo supponi non potest, Sedem apostolicam oblatae pro Ecclesiis haereditatis dominium recipere, *Corduba, Politius,* et alii dicunt, etiam Fratrum Ecclesias non posse institui in haeredes (1).

4. *Legatum* est donatio quaedam a defuncto alicui relicta, et ab haerede praestanda. Legata Fratribus Minoribus licita sunt, si requisitae conditiones serventur; alias tum illicita, tum invalida reddantur. Id patet ex declaratione *Nicolai III,* qui (Art. 5) ait: « Declaramus, ordinamus, et dicimus, quod si testator modum, se-

(1) Haec sententia omnino tenenda. Ad S. Sedem pertinent et ecclesiae et conventus, ad normam alibi dictorum. Ergo sola ratio dominii ex parte S. Sedis non sufficit, ut ecclesiae nostrae instituantur haeredes, sicut non sufficit pro conventibus.

« cundum quem Fratribus (eorum conditione inspecta) recipere non « liceret, exprimat in legando; ut si legaret Fratribus vineam, vel « agrum ad excolendum, domum ad locandum, vel similia verba in « similibus proferret, aut modos similes in relinquendo servaret, a « tali legato, ejus receptione per omnem modum Fratres abstineant. « Si vero modum licitum Fratribus in legando Testator expresserit, « ut si diceret: Lego pecuniam pro Fratrum necessitatibus expen- « dendam, vel domum, agrum, vineam, et similia ad hoc, quod per « certam personam, vel personas idoneas distrahantur, et pecunia de « rebus ipsis accepta in aedificia, vel alia Fratrum necessaria con- « vertatur; aut in legando similibus modis, vel verbis utatur: in « hoc casu illum in omnibus, et per omnia (consideratis eorum ne- « cessitatibus, et moderaminibus supra dictis) quantum ad Fratres « servari decernimus, quod per nos est superius in concessis pecu- « niariis eleemosynis declaratum ».

5. Variis modis fieri potest, ut legatum statui nostro inconveniens, atque ideo illicitum et invalidum reddatur. Id contingit: 1° si Testator Fratribus minoribus bona quaedam temporalia titulo haereditatis relinquat; quia, ut jam dictum est, illi tanquam haeredes institui nullatenus possunt: 2° etiam legata tam magna, et pinguia, ut sufficiant ad integrum victum Fratribus praestandum, permitti haud possunt; quia statui paupertatis, et mendicitatis opponuntur: 3° idem dicendum est de legatis, per quae Fratribus talia relinquuntur, quae iidem licite recipere non possunt, e. g. si quis Fratribus legaret vineam, vel agrum ad colendum, domum ad locandum etc. Notat tamen *Philippus a Castel.* (Art. 17), quod si ager conventui continguus, hujusque hortus valde exiguus esset, ille, si legaretur, a Fratribus acceptari posset, et in hortum adoptari, ita tamen, ut intra clausuram reponi deberet: ager ergo longe a conventu dissitus acceptari nullo modo potest (1).

6. Si Testator generalibus, seu ambiguis terminis Fratribus quidquam legaverit, ita ut dubium oriatur, an statui Fratrum congruum sit, an non; legatum ut validum et licitum est habendum. Id enim declaravit *Nicolaus III* dicens: « Si Fratribus ipsis ge- « neraliter aliquid absque modi expressione legetur, in hoc legato « sic indeterminato relicto in omnibus, et per omnia intelligi ac

(1) Secus si in illo agro institueretur, servatis servandis, verum Hospitium cum familia religiosa Guardiano districtus subjectum.

« servari volumus, et in perpetuum praesenti Constitutione jubemus, « quod supra in pecunia, seu eleemosyna Fratribus indeterminate « oblata vel missa, voluimus, ac expressimus observari: videlicet, « ut sub modo licito Fratribus intelligatur esse relictum: ita quod « nec legans merito, nec Fratres ipsi effectu relicti fraudentur ».

7. Si legata Fratribus Minoribus facta valida et licita sunt, haeredes in conscientia obligantur, vel ipsas res legatas illis tradere, vel, si est legatum pecuniarium, pecuniam per se aut personam a se substitutam pro illorum necessitatibus expendere; imo ad hoc etiam per Episcopos aut per Judices saeculares compelli possunt et debent. Nam *Nicolaus III* (l. c.) dicit: « Ad quae legata solvenda « tam haeredes testatorum, quam executores se liberales exhibeant, « et etiam Praelati et Saeculares, quibus de jure, vel consuetudine « provisio ista competeret, (cum expedierit) se ex officio suo promptos « exhibeant ad pias voluntates deficientium adimplendas: nam et « nos etiam per modos licitos, et Fratrum Regulae congruos inten- « dimus providere, quod haeredum cupiditas legitimis ictibus feriatur, « ne pia defunctorum destituatur intentio, ac ipsi Fratres pauperes « opportunis auxiliis non fraudentur ».

8. Quamvis autem obligatio sit in haeredibus ea, quae legata fuere, tradendi, nullatenus tamen in Fratribus jus est ea exigendi, quia omnis juris civilis sunt incapaces. Ideo Fratres non possunt in judicio agere contra haeredes, vel pro haeredibus, neque his debitum aut hujus partem remittere aut commutare; quia haec omnia jus et dominium requirunt, ut recte *Viator a Cocaleo* observat. Inepte etiam, addit *Bernardus Bonon.* (§ 9), Fratres legato renuntiare dicuntur; quia in Jure renuntiatio definitur: juris proprii spontanea refutatio. Si ergo legatum ex quadam ratione intuitu status Fratrum Minorum invalidum aut illicitum esset, simpliciter Fratres declarare deberent, se ea, quae legata fuerunt, acceptare nec posse, nec velle, quin de juridica renuntiatione verba faciant. — Si autem legatum validum et licitum est, ea, quae ab haeredibus offeruntur, considerare, et recipere debent non ut de jure sibi debita, sed ut eleemosynas sponte oblatas. In gravi tamen necessitate, ait *Viator a Cocaleo,* Fratres modeste et religiose haeredes adire possunt non ut debitum exigentes, sed ut eleemosynam quaerentes. Si vero haeredes elargiri et ultimam testatoris voluntatem implere recusant, quid faciendum erit? — Possunt quidem Fratres ipsos rogare et monere, ut conscientiae suae consulant; sed tamen non possunt cum ipsis

per se, aut per alium judicio contendere, quamvis, si quis non a Fratribus excitatus, sed propria benignitate motus actionem juridicam contra haeredes moveret, Fratres, ut dicit *Bernardus a Bon.* (§ 7), illam non impedire tenerentur, et per hanc recuperata percipere possent. Caeterum Fratres in praedicto casu etiam ad Episcopum, non ut ad Judicem, sed ut ad Patrem pauperum recurrere possunt. Id patet ex eo, quia *Nicolaus III* declaravit, Praelatos etc., de adimplendis piis voluntatibus curam gerere debere: in quae verba *Corduba* ait: « Quomodo autem tales haeredes et executores possent « compelli ad id, nisi praefati judices id scirent? quomodo autem « scirent, nobis non esse datum legatum secundum formam testa- « menti, nisi ipsis significaretur a nobis, qui certius id scimus tam- « quam defraudati tali legato? » — Hoc idem docuit *S. Bonaventura,* qui (in c. 4 Reg.) dicit: « Si haeredes malitiose pecuniam « detineant, nec eam velint commendare alicui fideli pro Fratrum « necessitatibus dispensandam, possunt Fratres Ordinariis denuntiare « injuriam defuncti, et suam sine perfectionis suae detrimento aliquo: « nec tamen possunt judicialiter repetere sicut suam, quamvis sit « eis debita quaecunque portio testamenti ». Haec doctrina approbata fuit ab *Urbano VIII* (C. *Sacrosanctum Apost. minist.*).

9. Magna quaestio agitatur circa *legata perpetua,* seu circa legata, per quae certa pecuniae, aut aliarum rerum quantitas Fratribus quotannis contribuenda statuitur. Haec a multis omnino illicita dicuntur; quia conveniunt cum annuis reditibus, quos Fratribus Minoribus prohibitos declaravit Clemens V (Art. 6) dicens: « Cum « annui reditus inter immobilia censeantur a jure, ac hujusmodi re- « ditus obtinere paupertati et mendicitati repugnet, nulla dubitatio « est, quod praedictis Fratribus reditus quoscunque, sicut et pos- « sessiones, vel earum etiam usum, cum eis non reperiatur concessus, « recipere, vel habere (conditione considerata ipsorum) non licet ». Sicut ergo annui reditus, sic etiam legata perpetua Fratribus Minoribus prohibentur; quia a jure inter bona immobilia censentur, quae illi licite habere non possunt, et quorum ideo dominium Sedes apostolica non suscipit. Nec sufficit, ut Fratres interne nullum jus ea, quae ipsis relicta sunt, exigendi sibi vindicent; haec enim eorum intentio ipsam rei naturam non immutat: denique absonum est dicere, ea ut eleemosynas libere oblatas recipi, quae ex gravi obligatione ab haeredibus tradenda sunt. Hisce de causis multi clamitarunt, legata perpetua Fratribus Minoribus facta illicita et invalida esse, et

vel inter haeredes dividi, vel pro aliis causis piis applicari debere. — Hisce autem difficultatibus occurrit *Urbanus VIII* per Decretum S. Congreg. anno 1633. In isto jus de legatis perpetuis Fratribus Min. factis disponendi vindicatur apostolicae Sedi; dicitur enim, praedicta legata in suo vigore conservanda esse « ad effectum, ut in usus Ro- « mano Pontifici pro tempore existenti bene visos possint appli- « cari »: si ergo legata perpetua bona immobilia censentur, dominium illorum, sicut horum ad Papam spectat. Praeterea statuitur, haeredes, si Papa non aliter ordinaverit, posse libere ea, quae legata fuerunt, Fratribus tradere, quamvis (ut eadem Congr. anno 1628 decidit) ad hoc « in foro conscientiae non teneantur ». In priori enim Decreto additur: « ita tamen, ut quamdiu applicationem specialem auctori- « tate apostolica fieri non contigerit, haeredes, vel debitores possint « libere (si velint) dictis Fratribus dare dicta annua legata, per « eosdem Fratres recipienda in eleemosynam, non autem per eos « exigenda ». Ex quo patet, nullum jus in legata perpetua Fratribus competere, sed ea, quae traduntur, vere ut eleemosynas libere oblatas recipi. — Nullatenus tamen putandum est, haeredibus licere, ea, quae Fratribus legata fuere, vel sibi retinere, vel pro suo libitu in alias pias causas applicare; nam in praedicto decreto subjungitur: « Nolentibus dictis haeredibus, vel debitoribus dare supradictis Fra- « tribus dictas eleemosynas etc., eadem Fabrica S. Petri possit, et « valeat hujusmodi praestationes annuas exigere ». Postmodum omnis compositio, vel reductio legatorum sine auctoritate pontificia interdicitur: excommunicantur etiam ipso facto Fratres, qui in judicio, vel extra judicium jus percipiendi legatorum fructus praetendunt, quamvis permittatur, ut ipsi preces tamquam eleemosynam quaerentes adhibeant, vel ut *unus de populo motu proprio* pro ipsis in judicio actionem moveat: excommunicantur pariter Fratres, qui receptas haeredibus tradunt, priusquam rem acceperunt, vel pro majori quantitate, quam receperunt (v. *Viator a Cocaleo* in c. 6. Expos. 7). Major difficultas exurgit pro locis, in quibus citatum decretum non est in suo vigore, et Fabricae S. Petri actio non admittitur: sed, ait *Bernardus Bon.* (§ 11), ubique locorum Papa supremam in beneficia ecclesiastica, ceu in patrimonia Ecclesiarum et pauperum, auctoritatem tenet, et pro hac sibi jus disponendi de legatis piis Fratribus Minoribus factis sibi reservare, et per Episcopos vel Commissarios, ad quos in genere spectat pro legatorum piorum conservatione et executione curam gerere, exercere potest; et sic ubique

Fratres Minores jus disponendi de legatis perpetuis Papae adscribere, et sibi tradita ut eleemosynas libere oblatas considerare, et recipere possunt ac debent.

10. Dantur legata, cum quibus conjuncta est obligatio certum Missarum numerum celebrandi. In talibus legatis verus occurrit contractus; quia una pars obligationem suscipit dictas Missas celebrandi, et altera pars obligatur ad stipendia a Testatore determinata tradendi. Certum est, Fratres Minores talem contractum inire nullatenus posse; quia omnis obligationis civilis, et juris civilis sunt incapaces. Ideo *Leo X* (in Comp. Privil. v. Missa) declaravit, Fratres Minores praedicta onera Missarum, seu Anniversaria recipere non posse. Nihilominus, ait *Bernardus Bon.*, licitum est Fratribus, praedicta onera recipere, excluso omni contractu civili: possunt ergo Fratres libere, et sine obligatione civili contestari, quod velint requisitas Missas celebrare, quoties ipsis determinata a Testatore stipendia tradenda forent ab haeredibus, quibus vero a Fratribus nulla ad hoc obligatio imponitur. Talem receptionem licitam declaravit *Clemens X* (C. *Nuper.*, anno 1674) dicens: « Posse Fratres Mi« nores recipere per viam eleemosynae quidquid eis traditur ab Exe« cutoribus ultimarum voluntatum pro celebratione Missarum et « Anniversariorum ». — Convenit ideo, ut dictae Missae non ut annuae, seu quotannis celebrandae libro inscribantur; sed ut celebrentur, quando haeredes illas exigunt, et stipendia offerunt: haec autem, si in pecunia consistunt, non a Fratribus, sed ab alio nomine Testatoris, aut haeredis recipienda sunt.

11. Circa praedicta legata *S. Congregatio* (ann. 1628) Fratribus praecepit, ut formaliter protestentur, se Missas quidem celebrare, sed nullam obligationem in se sumere, sed a libera haeredum dispositione dependere velle. Similem protestationem Expositores etiam circa alia legata perpetua faciendam praescribunt. *Cyrillus a Berg.*, *Bernardus Bon.* et *Viator a Cocaleo* formulam protestationis proponunt, quam ab *Urbano VIII* approbatam dicunt, et quae ita sonat: « Nos Fr. N. Guardianus Conventus N., et Discreti ejusdem « dicimus, ad nostram notitiam pervenisse, quod N. N. certam eleemo« synam huic Conventui distribuendam perpetuo gratis (vel forsitan « pro aliquibus Missis et Officiis celebrandis) legavit. Cumque le« gata hujusmodi nisi per simplicem eleemosynam ex nostra Regula « nobis acceptare non liceat; per praesentes protestamur in Domino, « quod Legatum praedictum tamquam incapaces, ex vi Legati reci-

« pere nolumus, nec intendimus. Si tamen haeres, aut executor te-
« stamentarius dictam quantitatem per modum simplicis eleemosynae,
« omni obligatione, dominio, et proprietate penitus cessantibus, nobis
« libere conferre voluerit, illam simpliciter accipiemus, et piae Te-
« statoris voluntati, quantum in nobis fuerit, plene, et fideliter sati-
« sfaciemus ». Protestatio haec subscriptione Guardiani et Discre-
torum firmanda est.

12. Cautelis hactenus allatis opus non est in legatis, quae ad cultum divinum, seu pro Ecclesiis Fratrum destinantur: haec enim, quia statui mendicitatis non opponuntur, licite a Fratribus recipi possunt, et haeredes illa adimplere tenentur. Ita decidit *S. Congregatio Concilii* anno 1697, cui quaestio proposita fuit a Conventu quodam Monialium, qui vi legati Capuccinis quotannis certam olei et cerae quantitatem, et qualibet hebdomada determinatum cibum tradere debebat, an id praestandi vera obligatio adsit? — S. Congregatio quoad ceram et oleum affirmative, quoad cibum negative respondit.

13. Cavere summopere debent Fratres, ne legata sibi procurare nitantur: quia id faciendo avaritiam, aut saltem firmae in divinam providentiam confidentiae defectum proderent, facili modo scandala darent, vel etiam aliorum odia incurrerent. Ideo jam inter Statuta *S. Bonaventurae* (ap. Firm. 3. Ord. p. 1) haec verba leguntur: « Inhibemus, ne ullus Fratrum inducat aliquam personam ad or-
« dinandam aliquam eleemosynam perpetuam annuatim, vel certis
« temporibus Fratribus exhibendam ». — Et Constitutiones nostrae (cap. 4) dicunt: « Caveant penitus Fratres, ne infirmum quemdam
« visitantes, hunc directe vel indirecte inducant ad rem temporalem
« nobis relinquendam; imo si sponte id facere velit, ipsi, quantum
« prudenter possunt, resistant, cogitantes, quod divitiae et paupertas
« simul consistere non possint ». Qui spiritum seraphicae paupertatis intelligit, ait *Bernardus Bon.*, aurea haec verba semper in mente habebit, et ubique observabit.

ARTICULUS III.

§ 84.

De paupertate in usu servanda generatim.

Ut vitam nostram in hac terra conservemus, et officia nostra impleamus, multarum rerum usus nobis necessarius est; indigemus enim habitatione, vestitu, cibo, et potu, utensilibus, etc. etc. Dubitari autem non potest, etiam in hoc usu, cui ex jure naturali nemo in hac vita penitus renuntiare potest, a Fratribus Minoribus rationem paupertatis servandam esse. Id in ipsa Regula haud obscure indigitatur; nam post praeceptum: *Fratres nihil sibi approprient* etc., statim subjungitur: *sed tamquam peregrini, et advenae in hoc saeculo, in paupertate, et humilitate Domino famulantes* sint: quibus verbis innuitur, Fratres Minores totam vitam suam in paupertate et humilitate agere, atque ideo etiam usum rerum juxta normam paupertatis et humilitatis dirigere debere. Ut autem cognoscatur, quid in genere Fratribus circa usum rerum liceat, aut non liceat, agendum est 1. *de usu arcto, vel moderato,* 2. *de necessitate,* et 3. *de licentia Superioris ad licitum usum requisita.*

§ 85.

I. De usu arcto et moderato.

1. Duplex usus relate ad statum paupertatis secerni solet, nimirum *arctus,* qui nonnisi summe necessaria pro vitae conservatione praebet, varia proinde incommoda producit, et in illis inveniri solet, qui summa egestate premuntur, dum e. g. unicam, eamque vilem et obsoletam vestem, et pro victu tantummodo legumina et panem habent; et *moderatus,* qui tum ab abundantia, tum a notabili penuria remotus, variis quidem divitum commodis caret, sed nec in magna egestate degentium incommoda sentit.

2. Certum est, Fratribus Minoribus usum arctum ab ipsa Re-

gula in nonnulis praescribi: talia sunt, quae de paucitate et vilitate vestium, de non portandis calceamentis, de non equitando, de non recipiendis denariis, de mendicatione victus (1) praecipiuntur. In his Fratres ad usum arctum ex Regula obligari, declaravit *Clemens V* (Art. 11) dicens: « Declarando dicimus, quod Fratres Minores ex « professione suae Regulae specialiter obligantur ad arctos usus, seu « pauperes, qui in ipsorum Regula continentur, et eo obligationis « modo, sub quo continet, seu ponit Regula dictos usus ».

3. Nonnulli putarunt, quod usus arctus a Fratribus Minoribus in omnibus sit servandus; pro qua sententia citatur etiam *S. Bonaventura,* qui (in c. 6. Reg.) dicit: « Oportet, ut omnia, quantum « patitur fragilitas, ad paupertatis strictissimam regulam redu- « cantur ». Haec autem sententia communiter ab Expositoribus non admittitur (2), qui dicunt, in iis, in quibus usus arctus non praescribitur a Regula, Fratribus licitum esse usum moderatum. Nam, ait *Philippus a Cast.* (Art. XIV), ad usum arctum non obligamur per paupertatis votum, quo tantum promittimus vivere sine proprio, nec per Regulae praeceptum, quod solummodo pecuniam et proprietatem tam communem, quam privatam prohibet, nec per statum altissimae paupertatis, quae ex plena omnis proprietatis abdicatione resultat. Hoc idem *Politius* sentit; ait enim (n. 83): « In Regula dicitur: « *Fratres nihil sibi approprient* etc., et subditur: *haec est illa* « *celsitudo altissimae paupertatis,* et tamen ibi nulla fit mentio de « usu taliter, vel taliter limitato; et hoc ideo, quia virtus hujus « evangelicae paupertatis essentialiter consistit in quodam exteriori « privativo, scilicet in abdicatione omnis dominii et juris civilis cu- « jusque rei, et in quodam interiori positivo, scilicet in firmo pro- « posito non habendi praedicta ». Praeterea Christus, perfectissimum evangelicae paupertatis exemplar, « usum pauperem, ut addit *Poli-* « *tius,* in summo gradu, cibum, vestitum, domum etc. minime habuit: « imo Joannem Baptistam arctiorem usum habuisse ex Evangelio « convincitur, cui erat cibus locusta et mel sylvestre, vestitus tunica « de pilis camelorum, et erat ei pro domo desertum, et aqua potus.

(1) Intellige: ad usum arctum pertinet ipsa mendicatio, non vero materia ex mendicatione habita. Nam in victu sufficit usus moderatus, ut infra dicetur.

(2) Ex verbo *oportet,* et ex aliis Seraphici Doctoris scriptis, evidenter probatur, eum admisisse ac probasse *usum moderatum.* Unde neque a declaratione Nicolai III, neque a communi sententia dissentit.

« Ex quo satis patet, usum arctum taliter, vel taliter limitatum non « esse de ratione essentiali evangelicae paupertatis ». Demum eadem sententia ex Rom. Pontificum declarationibus confirmatur. *Nicolaus III* (Art. 2) dicit: « Necessariarum rerum tam ad vitae susten- « tationem, quam ad officiorum sui status executionem (excepto quod « de pecunia infra subjungitur) *moderatus usus* secundum eorum « Regulam, et veritatem omnimodam concessus est Fratribus ». Idem constat ex citata declaratione *Clementis V*, qui, dum usum arctum ad ea restringit, quae a Regula determinata sunt, in reliquis usum moderatum admittit.

4. Difficile est, uti cordati Expositores fatentur, determinare, qualis sit usus moderatus Fratribus Minoribus licitus. Quamvis enim moderatus usus ille dicatur, qui medius est inter abundantiam et penuriam, et apud personas mediocris fortunae inveniri solet, vix tamen pro illo regula generalis statui potest. Nam, ut egregie observat *Ludovicus Parisiensis,* ex variis circumstantiis dependet, an usus moderatus et licitus dicendus sit, an non: neque enim idem usus sanis, qui infirmis licitus esse potest; in Festis, et magnis Solemnitatibus usus quidam moderatus esse potest, qui aliis temporibus immoderatus esset; in una regione usus alicujus rei, utpote etiam infimae plebis hominibus communis, moderatus dici potest, non vero in alia regione, in qua eadem re solummodo divites utuntur: ideo, concludit idem Auctor, ad circumstantias attendendum est, ut determinetur qualis usus moderatus dicendus sit.

5. *Bernardinus Bon.* alias regulas addit ad usum moderatum et licitum dijudicandum: *primo,* ait, attendendum est ad exempla Religiosorum timoratae conscientiae, et praecipue ad exempla Patrum antiquorum, qui regularis disciplinae zelo eminebant; et non omnia licita putanda sunt, quae Religiosi laxiores sibi permittunt, sed ea servanda sunt, quae patres nostri doctrina et pietate conspicui tradiderunt: *secundo* respiciendum est ad eos, qui in saeculo vitam pauperem, seu mediam inter magnam abundantiam et gravem penuriam agunt, uti communiter sunt opifices, agricolae etc.; et caveant Fratres, ne ea sibi in usu rerum attribuere audeant, quae illi statui suo convenientia non putant: regulam istam ipsae Constitutiones nostrae praescribunt, dum (c. 6) dicunt, aedificiorum nostrorum normam esse debere parvas pauperum domus, et non magna divitum palatia: *tertio* quilibet semper memor esse debet professionis suae, et voti paupertatis; quamvis enim hoc directe solum in perfectam

omnis proprietatis abdicationem cadat, indirecte tamen etiam usum afficit, nam, ait *Politius* cum *Aureolo:* « qui in aliquo statu ali-« quam virtutem vovet, ex condecentia obligatur ad actus aliarum « virtutum illi virtuti, seu statui annexarum; e. g. vovens castitatem « tenetur ad jejunium ad eam conservandam opportunum, et fugere « consortia, aspectus, et verba lasciva. Sic vovens paupertatem te-« netur ad eas virtutes, quae paupertati connectuntur, ut est humi-« litas (1), vitae parsimonia, sufficientia, seu moderantia » (n. 84). — Ideo ut usus Fratribus Minoribus licitus fiat, communiter requiritur tum necessitas, tum licentia Superioris, de quibus duobus requisitis fusius agendum est.

§ 86.

II. De necessitate ad licitum usum requisita.

1. Ut licite Fratres Minores re quadam utantur, requiritur, ut haec ipsis necessaria sit. Nam *Nicolaus III* (Art. 2) dicit: « *Ne-« cessariarum* rerum tam ad vitae sustentationem, quam ad officiorum « sui status executionem moderatus usus concessus est Fratribus »; et (Art. 3) inquit: « in omnibus appareat in eis quoad dominium « omnimoda abdicatio, et *in usu necessitas* ». — Triplex autem communiter necessitas distinguitur; *extrema,* dum sine usu rei vita sustentari, vel officium impleri nullatenus potest; *gravis,* cum sine usu rei admodum aegre vita duceretur, aut officia implerentur; et *accommoda,* quae ex certis circumstantiis facit, ut aliquid necessarium, vel valde conveniens sit (Cf. § 59, n. 1). Similem distinctionem proponit *S. Thomas,* dum (2. 2, Q. 83, art. 13) ait: « Necessarium dicitur « uno modo, per quod melius pervenitur ad finem; alio modo, sine « quo res non potest consequi suum effectum ». Convenit jam inter

(1) Tamen peccatum superbiae in Fratre non induit malitiam violatae paupertatis. Defectus vero parsimoniae et sufficientiae seu moderantiae, pertinent ad ipsam paupertatem generatim. Insuper Frater, qui immoderate bibendo violaret virtutem temperantiae, non statim hac sola de causa violaret paupertatem saltem notabiliter. Secus, si ex furto vel absque necessaria licentia, tali vino vel liquore uteretur. Quod notandum, ne ex falsa conscientia multiplicentur reatus. Vide Theol. Moralem.

omnes, quod non requiratur necessitas extrema, aut gravis, sed quod sufficiat etiam accommoda ad usum licitum constituendum. Quoniam autem haec saltem semper requiritur, excluduntur ab usu Fratrum Minorum superflua, nimis pretiosa et curiosa. Superfluum enim opponitur necessario, et necessaria dici nequit res pretiosa et curiosa, si ad eumdem finem res vilior, simpliciorque sufficit. Ideo *S. Bonaventura* (in c. 6) ait: « Cum Fratres sint professores altissimae pau-« pertatis, oportet, quod omnia, quae in eorum usum veniunt, habeant, « ut est possibile, parvitatem, vilitatem, et asperitatem: quae tria « paupertatem altissimam naturaliter consequuntur ». Hoc idem clare pronuntiat *Clemens V* (Art 10) dicens: « Superfluitas, aut nimia « pretiositas, vel quaecunque curiositas in his (paramentis sacris), seu « aliis quibuscunque non potest ipsorum Professioni, vel statui con-« venire; cum enim haec sapiant thesaurizationem, seu copiam, pau-« pertati tantae quoad humanum judicium derogant manifeste: — « quapropter praemissa servari a Fratribus volumus, et mandamus ». Verba haec propius consideranda sunt, ut appareat, quae verae necessitati opponantur, et qualis usus illicitus sit.

2. Necessitati opponitur *superfluitas*. Superfluum dici debet, quod nec ad vitae sustentationem, nec ad officiorum executionem requiritur; seu, ut ait *S. Bernardus* (l. 1. de Consid.), « superfluum est, quod « plus est eo, quod satis est, et nimium dicitur esse ». Ipsa jam ratio dictat, ea relinquenda esse, quae ad honestum finem non referuntur; ea ergo, quae ad vitam sustentandam, aut ad officia adimplenda necessaria, aut valde convenientia, et utilia non sunt, repudiare debemus: nam, ait *Philippus a Cast.*, si homines, voto silentii non adstricti, de verbo otioso rationem reddere tenentur, quanto magis nos, paupertatis voto ligati, de rebus otiosis, seu superfluis rationem rigorosam reddere debebimus? Praeterea lex evangelica nemini superflua concedit; nam ipsi Saeculares superflua licite non retinent, dicente Christo: *quod superest, date eleemosynam* (Luc. 11, 41): quanto magis ergo nobis majoris perfectionis viam ingressis, et altissimae paupertatis professoribus superflua retinere non licet? — Denique etiam lex ecclesiastica Religiosis superflua interdicit; nam *Concilium Tridentinum*, Sess. 25, de Reform. Regul. c. 2, ait: « Mobilium vero « usum ita Superiores permittant, ut eorum suppellex statui pauper-« tatis, quam professi sunt, conveniat, nihilque superflui in ea sit ». Si autem haec lex etiam Religiosos afficit, qui saltem in communi bona possident, quanto magis per eam ad superflua rescindenda

Fratres Minores obligantur, qui nihil proprii possidentes ex eleemosynis vivunt?

3. Sicut superfluitas, ita etiam *nimia pretiositas* rerum usum illicitum reddere potest. Nam non solum qui magna egestate premuntur, sed etiam qui mediocris sunt fortunae a rebus valde pretiosis abstinent, et ea, quae minoris pretii sunt, eligunt: neque immerito ab ipso mundo corrupto carpitur ille, qui, etsi divitiis non abundet, pretiosis tamen inhiat, et Nobilium, ac Divitum morem sequi praesumit. Quanto majori ergo jure reprehenditur Frater Minor altissimae paupertatis professor, et de solis eleemosynis vivens, si pretiosa quaerit, cum ad eumdem finem viliora sufficerent? — Notat tamen *Bernardus Bonon.* (Lect. 17 § 10), distinguendum esse pretium *intrinsecum,* qui ex ipsa rei materia petitur, uti fit in vasis aureis vel argenteis, telis sericis etc., et *extrinsecum,* quod a circumstantiis externis, puta ex ordinationibus politicis, aut ex negotiatorum machinationibus oritur, uti exemplum habemus in tabaco: ea, quae intrinsece magni pretii sunt, nobis interdicta censentur, si res minoris pretii ad eumdem finem sufficiunt; ea vero, quorum pretium magnum ab extrinseco petitur, in se nobis prohibita non sunt, sed licite comparantur, dummodo illicitus recursus non contingat. Eodem modo citatus auctor dicit, nobis prohibita non esse ea, quae non ratione materiae, sed ob praestantiam artis liberalis magnum pretium habent; et ex hoc principio deducit, licitas nobis esse excellentissimas picturas, quas equidem per recursum procurare non liceret, quae autem tamen acceptari possunt, si vel ab artifice, vel a benefactore donentur: et hoc semper ut licitum habitum fuisse, ostendunt summi valoris picturae, quae ex antiquis jam temporibus in Ecclesiis nostris habentur. Idem judicium ferri potest de libris, qui ob excellentiam doctrinae magno pretio venduntur, qui in se nobis illiciti non sunt, et stante saltem accommoda necessitate etiam procurari possunt.

4. Vitanda demum est a Fratribus in rebus, quibus utuntur, quaecunque *curiositas,* quae sanctae simplicitati et asperitati opponitur, et saeculi fastum redolet. Absit ergo, ut Fratres Minores, rebus simplicibus et vilibus repudiatis, tales ambiant, quae sunt pulchrae oculis, aspectuque delectabiles; per quod nimis luculenter ostenderent, se non paupertatis et humilitatis, sed vanitatis et pompae amatores esse. — Non autem ideo externa mundities interdicitur, quae Religiosum ubique, et in omnibus decet: ast caute procedendum est, ne commendandum munditiei studium in reprobandam vanitatis cupidi-

nem degeneret. Media ergo via incedendum est; « culpatur enim, ait « *S. Bonaventura* (Spec. disc., c. 25), et cultus munditiae nimius, et « neglectus ». Et *S. Hieronymus* (epist. 22, ad Eustoch.) scribit: « Nec « affectatae sordes, nec exquisitae munditiae conveniunt Christiano ».

5. Judicium, an necessitas sufficiens adsit, an non, spectat ad Superiorem, cui subditus acquiescere potest et debet. *Joannes XXII* enim (Extrav. *Quorumdam* et *Quocirca*) ait: « Mandamus, teneri « Fratres sequi arbitrium, et judicium Superiorum: et insuper, quod « sequendo judicium Superiorum illis parendo nec sint, nec dici pos- « sint vel debeant suae Regulae, vel Constitutionum sui Ordinis « transgressores ». — Si vero subditi usum quemdam ex gravibus rationibus illicitum judicarent, « possent tunc, ait *Politius*, et de- « berent (si viderint expedire) suum judicium Praelatis humiliter no- « tificare: quod si hi eorum sententiae, et judicio non assenserint, « ipsorum praelatorum determinationi, et praecepto obediant, et pro- « prio non innitantur sensui; — sed patienter exspectent visitationem « Superioris Praelati, cui propriam sententiam, et judicium notificare « poterunt ». Caeterum hac in re memoratu dignum est, quod *S. Bernardinus Sen.* ut Minister generalis scripsit: « Declaratur, ait, « quod si in locis sint manifestae superfluitates, vel curiositates, ex « eis non vitiantur, nisi solum eas introducentes, vel consentientes, « vel, si ad eorum officium pertinet, legitime non resistentes (1), et non « alii, qui dictis rebus utuntur ob aliquam necessitatem, vel scandali « evitationem » (ap. *Cordub.* q. 13, c. 6).

(1) Unde errant Fratres subditi, qui proprio sensui innixi, pacem perturbare, reverentiam et amorem Superioribus debitum imminuere non timent, ex falso resistentiae principio, ipsorum Superiorum acta ac gesta quasi tot relaxationes temere aut leviter decantantes. Imo resistentia Discretorum et similium, quando necessaria, debet esse pro viribus secreta, non autem publica vel quasi publica. Sicque et observantiae consulitur, et devitantur notabiles charitatis et obedientiae jacturae sub praetextu paupertatis. Virtutes enim sunt inter se amica foedera- tione adunatae.

§ 87.

III. De licentia Superiorum ad usum requisita.

1. Cum Fratres Minores nihil proprii possideant, et solummodo simplicem usum facti habeant, omnes res, quibus utuntur, ut alienas, ac sibi commodatas considerare, atque ita easdem retinere debent, ut ad nutum domini illas reddere parati sint. Rerum autem, quibus Fratres licite utuntur, dominium est apud apostolicam Sedem, quae expresse declaravit, quod dispositio quoad usum rerum spectet ad Superiores. *Nicolaus III* (Art. 3) inquit: « Hoc autem secundum « exigentiam personarum et locorum Ministri, et Custodes simul, et « separatim in suis administrationibus et custodiis cum discretione « disponant »: et (Art. 6) de iisdem Praelatis ait: « quibus etiam « de dispositione usus talium rerum concedimus ordinare ». Hoc idem *Concilium Tridentinum* statuit; nam (Sess. 25. De Regul. c. 2) dicit: « Mobilium usum Superiores ita permittant.... ut nemini Re- « gularium liceat bona mobilia, cujuscunque qualitatis fuerint, etiam « quovis modo ab eis acquisita, tenere; sed ea statim Superiori tra- « dantur ». Non potest ergo Frater Minor bona conscientia aliquid accipere, retinere, aut in usum applicare sine licentia Superioris, quae ad usum licitum reddendum semper requiritur: Quamobrem *S. Bonaventura* (Spec. disc. P. 2, c. 2) ait: « Rem aliquam, licet parvam, « occulte, id est, sine licentia accipere, vel habere, quasi furtum « Frater abhorreat ».

2. Licentia alia est *generalis,* quando Superior suis subditis permittit, ut in certis casibus libere agant sine recursu ad ipsum; alia est *specialis,* quae ad certum casum limitatur: illa etiam indigentias futuras, haec praesentem solum necessitatem respicit. Iterum licentia alia est *expressa,* quae datur verbis, signis, vel scripto; alia *tacita,* quae implicite includitur in actu expresse concesso, et ex illo rationabiliter deducitur; alia *praesumpta,* quae adest, quando prudenter judicatur, quod Superior expressam licentiam daret, si praesens foret. — Licentiae generales vix justificari possunt, cum viam aperiant laxitati; quia subditum judicem constituunt in propria causa, qui amore proprio facillime corrumpitur; et praeterea eaedem omnino contra substantiam vitae religiosae pugnare videntur, cum Reli-

giosum veluti voluntati et libertati suae restituant. Non negatur tamen, ut ait *Viator a Cocaleo,* Superiorem ex gravi causa posse, vel etiam debere licentias generales concedere. Caeterum non sufficit licentia generalis, neque tacita, neque praesumpta, si potest haberi expressa (1). Si autem Subditus non possit adire Superiorem, tunc potest sufficere tacita aut praesumpta, ita tamen, ut statim ac possit, Superiorem adeat, expressam licentiam petiturus. Notandum etiam est, silentium Superioris non semper approbationis, aut dati consensus signum esse; quia prudentia saepe postulat, ut taceamus, ne majora mala oriantur, quamvis in corde minora quoque reprobemus. Caute ergo silentium Superioris a tacita ejus licentia distingui debet.

3. Superiores, ad quos spectat de usu rerum disponere, in concedenda ad hunc licentia caute procedere debent, utpote rationem hac de re Deo reddituri. Nam, ait S. Thomas (1. 2, Q. 97, art. 4): « Si « Superior absque ratione pro sola voluntate licentiam tribuat, erit « infidelis in dispensatione, et imprudens, dum rationem dispensandi « ignorat: dicit autem Dominus, quod sit *fidelis dispensator et « prudens, quem constituit Dominus super familiam suam* » (Mat. 24, 22). Superior nunquam negare debet suam benedictionem et licentiam pro re, quam Subditus humiliter petit, et quae justa et necessaria esse cognoscitur; nam in Jure (l. *justum.* C. *de edendo*) legitur: « Justa petentibus non est denegandus assensus »; et *Concilium Tridentinum* dicit (S. 25, c. 2): « Nihil, quod sit necessasarium, Fratribus denegetur ». Nullo modo autem Superior licentiam dare potest in iis, quae paupertati a Regula praescriptae contraria, utpote vel superflua, vel nimis pretiosa, vel curiosa sunt. Nam ait *S. Thomas* (2. 2, Q. 88, art. 12): « Potestas Praelati spiritualis, « qui non est dominus, sed dispensator, ei data est in aedificationem, « non in destructionem, prout (II. Cor. 8) ait Apostolus »: et *Conc. Trid.* Sess. 25, de Regul. c. 1, dicit: « Compertum est, a Su« perioribus non posse ea, quae ad substantiam vitae regularis per« tinent, relaxari ». — Maxime ideo necessarium est, ut Superiores circa seraphicam paupertatem bene instructi sint, et probe cogno-

(1) Hoc benignius intelligendum. Etenim « sufficit licentia tacita ad dandum vel acceptandum, etiamsi Superior adiri possit, quia licentia tacita censetur de facto existere » (*Gury* cum *Lacroix, Suarezio,* etc.). — A fortiori sufficit licentia generalis quoad res sub illa generaliter comprehensas: nam talis licentia est omnino *expressa.* Ordinario tamen cavendum a licentiis generalibus.

scant, quid hac in re licitum, quidve illicitum sit: et praeterea, ait *Cajetanus M. a Berg.* (Instr. 3, art. 3), sine respectu humano res, pro quibus licentia petitur, indagare, et ad circumstantias personae, loci et temporis attendere debent; nam quod uni superfluum est, alteri necessarium esse potest, et quod in uno loco, vel uno tempore licitum est, in alio loco, et alio tempore illicitum erit: unde *Nicolaus III* (Art. 3) ait: « Interdum personarum qualitas, et non-« nullae aliae circumstantiae plus minusve, et aliter provideri re-« quirunt ».

4. Licentia a Superiore concessa ex variis rationibus invalida fieri potest, ut recte observat *Cajetanus M. a Berg.* (Instr. 3, Art. 3, n. 14 etc.). Invalida est, si per dolum et fraudem (1) obtinetur; nam « fraus et dolus nemini patrocinari debent ». Invalida pariter est, si in petitione vel veritas reticetur, vel falsitas proponitur (2); nam *Conc. Trid.* Sess. 22, de Reform. c. 5, dicit: « Dispensationes quacunque « auctoritate concedendae suum non sortiantur effectum, nisi prius « cognoscatur, expressas preces subreptionis vel obreptionis vitio non « subjacere ». Invalida demum est, quae per importunas et valde molestas preces extorquetur, seu quam Superior solum concedit ad majora mala praecavenda; nam in Jure (C. *Notificasti*) dicitur: « Coacta licentia et voluntas nulla est ».

5. Quaestio movetur, an Religiosus licite re uti possit, si ipsi ad hoc licentia a Superiore inique et injuste denegatur? — Ad hanc quaestionem solvendam, cum *Suarez* distinguendum est. Si nimirum Superior denegat licentiam pro re, cujus usus Religioso necessarius est ad obligationem majoris momenti implendam, a qua Superior ipsum dispensare nequit, tunc Religiosus etiam sine licentia praedicta re uti potest, quia praevalet praeceptum juris divini. Si autem Religiosus, usu rei carens, nullam ideo obligationem infringit, tunc absque licentia non potest praedicta re uti; quia tali in casu voto paupertatis ligatur, et ab hoc servando nec per licentiam obtentam, nec per moralem impossibilitatem, nec per concursum cum obligatione majori dispensatur. Quia autem quilibet facile per amorem proprium decipitur, putans necessarium aut obligatorium esse, quod

(1) Intellige: si fraus aut dolus fuerit notabilis et causa principalis concessionis licentiae.

(2) Id est: si reticeatur veritas necessario aperienda, vel dicatur falsitas licentiae principaliter causativa. Quod sedulo notent confessarii.

ita non est; ideo, ait *Philippus a Castel.*, caute in similibus casibus procedendum, nec suo judicio fidendum est, et doctorum ac timoratorum consilia audienda sunt, vel, ut monet *Cajet. M.*, recurrendum est humiliter et sincere ad Praelatum majorem.

ARTICULUS IV.

§ 88.

De paupertate in usu servanda speciatim.

Principia de usu arcto et moderato proposita jam ad praxim reducere oportet. Equidem de iis, in quibus a Regula arctus usus praescribitur, jam alibi actum est. In reliquis vero usus moderatus servandus est: horum autem variae species dantur, circa quas etiam tum Romani Pontifices, tum Constitutiones nostrae varia ordinarunt. Ostendendum ergo est speciatim, quomodo in variis rebus, quae ad Fratrum Minorum usum destinantur, sancta paupertas servanda sit; atque ideo agendum est 1. *de aedificiis;* 2. *de ornamentis Altarium, paramentis, et vasibus sacris;* 3. *de victu;* 4. *de utensilibus;* ac demum 5. *de hortis, et ad istos pertinentibus.*

§ 89.

I. De aedificiis, seu de Conventibus et Ecclesiis.

1. *S. Franciscus* Conventus pauperes et sancte moestos maxime amavit et summopere commendavit, tum ut Fratribus illos inhabitantibus humilitatis et paupertatis sensus inspirentur, tum ut Saeculares illos considerantes aedificentur et ad sanctam compunctionem excitentur. Ideo dixit: « Si aliquando Praelati, vel Cle« rici religiosi, aut Saeculares ad loca Fratrum venerint, domus pau« perculae, et cellae angustae eis praedicabunt; et animas adven« tantium magis quam verba composita aedificabunt » (Opusc. S. Patr., Colloq. 16). Idem videns Conventum Bononiensem cum aliquantula magnificentia exstructum indignabundus exclamavit: « Haeccine il« lorum pauperum evangelicorum aedes? haec Fratrum Minorum ma-

« jora et superba palatia? Nostram hanc domum non agnosco, neque « meos Fratres reputo, qui in illa permanserint » (Wadding. ad ann. 1220, n. 15). Denique in suo Testamento S. Pater ait: « Ca- « veant sibi Fratres, ut Ecclesias et habitacula, et omnia alia, quae « pro ipsis construuntur, penitus non recipiant, nisi essent sicut « decet sanctam paupertatem, quam in Regula promisimus, semper « ibi hospitantes sicut advenae et peregrini ». Ex his satis clare patet, quantum S. Pater paupertatem in aedificiis, i. e. in Conventibus et Ecclesiis commendaverit.

2. *Clemens V* (*Exivi,* Art. 10) eadem de re ita disserit: « Cum « vir sanctus Fratres suos in paupertate summa et humilitate fun- « dare voluerit, quoad affectum pariter et effectum, sicut fere tota « Regula clamat, convenit ipsis, quod nullo modo deinceps fieri fa- « ciant vel fieri sustineant Ecclesias, vel alia quaecunque aedificia, « quae considerato Fratrum inhabitantium numero excessiva in mul- « titudine debeant reputari. Ideoque volumus, ut ubique in suo Or- « dine deinceps temperatis et humilibus aedificiis sint contenti, ne « huic tantae paupertati promissae quod patet oculis contrarium « foris clamet ». — Cum vox « volumus » strictam obligationem imponat, patet, quod Fratres Minores juxta hoc decretum pontificium aedificia temperata et humilia habere, et a nimis amplis, aut nimis splendidis, et magnificis abstinere debeant.

3. Quomodo conventus exstruendi sint, ut paupertas sancta servetur, *Constitutiones nostrae* optime praescripserunt; ex quibus etiam colligi potest, nos in hujusmodi aedificiis non quidem ad usum arctum, sed certe ad usum moderatum obligari. Juxta formam ergo ab ipsis praescriptam conventus nostri exstruendi sunt; et si ab extraneis, seu a Saecularibus aedificia pro nobis erigantur, tradendae et declarandae sunt illis leges a Constitutionibus circa aedificia latae, et a Fratribus invigilandum est, ne istae temerarie violentur. Generatim loquendo, ait *Viator a Coc.* (Exp. 9), illa omnia aedificanda sunt, et in conventu adesse possunt et debent sine quibus vita religiosa et communis servari non potest: licitum quoque, imo et conveniens est, omnes aedificii partes sic studiose coordinare, ut pro fine suo aptiores reddantur. Nullatenus autem licet, in aedificandis conventibus, magnificentiae et pulchritudini studere; atque ideo, dum eriguntur, non tam regulae architecturae, quam regulae paupertatis observandae sunt. Nam, ait *Bernardus Bon.* (Lect. 18, § 8), si regulas architecturae non observamus, forte ab hominibus

vituperabimur; si autem regulas paupertatis non observamus, cum summo animae detrimento a Deo ipso reprobamur.

4. Magna obligatio Superioribus incumbit, aedificia jam exstructa in suo statu conservandi. Diligens ideo cura tectorum habenda est, et necessariae reparationes statim suscipiendae sunt, ne serius cum multo majoribus sumptibus fieri debeant. Nihil autem spiritui paupertatis magis contrarium est, quam sine necessitate in conventibus reparationes et mutationes suscipere, aut solius pulchritudinis vel commoditatis gratia haec et illa innovare, vel penitus ea destruere, quae alius aedificavit, vel ea iterum aedificare, quae alter destruxit. Considerent, qui tali continuo fabricandi genio abripiuntur, quae hac de re *S. Bonaventura* (Determ. mult. Quaest. super Regulam: quaest. 6) scribit. — Ipse quidem ab initio Fratres Minores contra calumnias innominati auctoris defendit, qui illos reprehenderat, quod conventus spatiosos (quamvis valde pauperes) habeant. Postea vero S. Doctor subjungit: « Non tamen intendo in his « excusare, nisi quae valde necessaria sunt, et rationabiliter. Ubi « autem superfluitas, curiositas, et irreligiositas, et Regulae et pau« pertati nostrae derogantes essent structurae, reprehendo tecum, et « omnia alia, quae Deo displicent tam in moribus, quam in rebus. « *Quintuplicis enim peccati* rei sunt, qui superflua in aedificiis et « aliis, quibus utimur, procurant et acquirunt. *Primo* propter trans« gressionem professionis, quia pompis renuntiantes saeculi in pau« pertate et humilitate vera promiserunt Domino famulari; unde « Apostolus (Gal. 2, 18) ait: *Si enim, quae destruxi, iterum haec « aedifico, praevaricatorem me constituo: Secundo* propter malum « exemplum, quo alii discunt ab eis similia facere, vel scandali« zantur, quoniam vident eos, qui humana omnia pro Christo sper« nere deberent, talia quaerere vel sectari: *Tertio* propter inquie« tudinem Fratrum propter hujusmodi aedificia et procurationes; « quia et devotio exstinguitur et disciplina religionis plurimum dis« sipatur, sicut scriptum est (Isa. 49, 17): *Venerunt structores « tui; destruentes te, et dissipantes a te exibunt: Quarto* propter « spoliationem aliorum pauperum, quibus saepe eleemosynae praeri« piuntur, et hujusmodi structurae fiunt, ex quibus illi deberent ve« stiri et pasci; dum quod istis datur, eis negatur, quia ad dan« dum utrisque saepe deficit dantium largitas et facultas: *Quinto* « quia quando nimis urgemus homines ad dandum, perdunt devo« tionem ad nos prius habitam, quod nec de praedicatione, nec exem-

« plis, nec aliis, quae facimus, aedificantur; unde cum vident nos « accedere, terrentur et timent, quod aliquod velimus ab eis expe- « tere, quod grave sit dare, et erubescunt negare, et si dederint non « libenter, minus merentur, et sic rebus et devotionis merito pri- « vantur ». — Errant ergo, et vehementer errant, qui putant, conventus nostros tunc saecularibus placituros esse, si omnia in eis nova, commoda, speciosa, et gustui mundano conformia reddantur: contrarium enim fieri experientia docet. Primorum sane Capuccinorum conventus ob sanctam eorumdem simplicitatem et paupertatem placuerunt, et Saeculares in illorum venerationem et admirationem pertraxerunt. Testatur id *Boverius* (ad ann. 1529, n. 18) scribens: « Conventus pauperum more constructi, vimineae cellae, atque an- « gustissimae dormitorii viae, quae vix unum incedentem caperent: « horridi parietes, claustrorum angustia, inculta aedificatio, quae « nihil praeter luctum et asperitatem animo objiceret, spectantium « animos terrebant, et ad poenitentiam suo aspectu provocabant; « praesertim cum nulla in conventu vox audiretur, nisi forte sub- « missa, silentio ubique commeante ».

5. Ecclesiis, quae sunt domus Dei, plus concedendum est, quam conventibus, qui sunt habitationes Fratrum; non enim Ecclesias illa paupertas, rusticitas, et moestitia decet, quae in conventibus commendatur. In Ecclesiis ergo aliqua magnificentia adesse potest et debet; sed talis, quae paupertati contraria non sit. Imprimis oportet, ut Ecclesiae Fratrum Minorum non nimis magnae et amplae sint. S. Pater enim (Opusc. S. P., Colloq. 16) dicit: « Ecclesias etiam « strictiores aedificare debent: nec enim sermonum ergo, aut alia « quacunque occasione Ecclesias, aut templa spatiosa, aut magnae « capacitatis vel molis aedificare debent. Majorem etenim humilita- « tem et melius exemplum populo praebebunt, cum in aliis, vel « alienis Ecclesiis praedicabunt ». Hoc idem praescribunt Constitutiones nostrae (cap. 6) dicentes: « Ecclesiae nostrae sint parvae « et pauperes, sed devotae, honestae, et mundissimae ». Ideo a nostris Ecclesiis abesse debent columnarum series, marmorea septa i. e. columnellarum certo ordine dispositarum congeries, gradus ex marmore, statuae ex petra confectae (1), ornatus, et flosculi marmorati,

(1) Intellige, ex petra pretiosa, uti generatim ex marmore: secus ex petra ordinaria, ex terra decocta, vel ex alia materia, quae ordinariis expensis habetur. Unde attende etiam ad conditiones regionum.

seu opera albaria, parietes inaurati, et cancelli ferrei, uti *Viator a Coc.* docet. Tota autem Ecclesiarum nostrarum magnificentia consistere debet in conveniente proportione, in munditie, in albedine, et nitore nobili, sed simplici. Haec enim paupertati conveniunt, et veram devotionem mire promovent. — Hisce principiis insistendum est, si nova Ecclesia aedificatur; si autem jam erecta est, omnis cura eo tendere debet, ut munda et in bono statu conservetur.

§ 90.

II. De ornamentis Altarium, paramentis et vasibus sacris.

1. Nonnulli putant, majorem ornamentorum Altarium, paramentorum et vasorum sacrorum copiam, ac magnificentiam Fratribus Minoribus licitam esse; quoniam in Dei gloriam et populi devotionem redundat. Errant autem, qui ita sentiunt. Externus enim Dei cultus juxta voluntatem ipsius instituendus est; quoniam nihil illi placet, nisi quod ipsius voluntati conforme est. Hoc autem semper Dei gloriam promovet, atque ideo sapientissimus Creator noster sicuti a sideribus splendidissimis, ita et a minimis herbis glorificatur: quare si in Ecclesiis Sacerdotum et Religiosorum divitiis abundantium per pompam et magnificentiam glorificari vult; in Ecclesiis Pauperum per humilitatem, simplicitatem et pietatem honorari cupit. Fratres Minores ergo Deum in Ecclesiis modo statui suo convenienti glorificare debent, ne contrarium facientes Deo displiceant et homines scandalizent: qua de re jam *S. Bernardus* (Apol. ad Ab. Guil.) scripsit: « absonum est, nos per res magnificas et splendidas, quas « ex virtute reliquimus, velle aliis virtutem et devotionem inspirare ». Multo efficacius populo devotionem inspirari, si conveniens paupertas etiam in Ecclesiis servetur, testatur *Boverius,* qui (ad ann. 1529, n. 50) de primis Capuccinorum Ecclesiis scribit: « Nova quippe res, « ac pietatis plena cunctis videbatur, Ecclesias illas pauperculas « quidem, sed mundissimas contemplari, Altaria simplici apparatu, « ac nitidissima supellectili strata atque ornata cernere. Denique « cum ibi non laqueata templa, non aurata tecta, sed sola pauper- « tate cum summa rerum munditia ac nitore conjuncta decora con- « spicerent; novum Dei cultum admirabantur, ac primaevae Ecclesiae

« faciem, virtute magis, quam rerum splendore fulgentem, sibi in-« tueri videbantur ».

2. Fratres Minores etiam in supellectilibus ecclesiasticis ad usum moderatum obligari, declaravit *Clemens V*, qui (Art. 10) ait: « Quamvis paramenta et vasa ecclesiastica ad honorem divini no-« minis ordinentur, propter quem omnia fecit ipse Deus; tamen qui « absconditorum est cognitor, ad animum sibi ministrantium respicit « principaliter, non ad manum, nec per illas sibi vult serviri, quae « suorum servitorum conditioni et statui dissonarent: propter quod « sufficere eis debent vasa et paramenta ecclesiastica decentia, in « numero et in magnitudine sufficientia competenter. Superfluitas « autem, aut nimia pretiositas, aut quaecunque curiositas in his « seu aliis quibuscunque, non potest ipsorum professioni vel statui « convenire; cum enim haec sapiant thesaurizationem seu copiam, « paupertati tantae quoad humanum judicium derogant manifeste. « Quapropter praemissa servari a Fratribus volumus et mandamus ». Quae *Sixtus IV* Ecclesiae Assisiensi ob honorem corporis S. Francisci, quod in illa asservatur, concessit, ad reliquas Ecclesias non pertinent; et quae *Leo X* Ecclesiis Observantium indulsit, neque a Reformatis, teste *Philippo a Castel.*, neque a Capuccinis, teste *Bernardo Bonon.*, acceptata fuerunt.

3. *Constitutiones nostrae* satis clare praescribunt, quomodo in supellectilibus ecclesiasticis usus moderatus, seraphicae paupertati conformis, servandus sit. Altaria nimirum, et candelabra levigata quidem esse possunt, sed ex ligno confecta esse debent: unica campana, eaque exigua permittitur: missalia simplicia et sine vano ornatu sint oportet: ut in ornamentis altarium, paramentis, et vestibus sacerdotalibus, juxta *Clementis V* decretum, superfluitas et nimia pretiositas vitetur; in illis usus auri, argenti, telae sericae, et serici villosi prohibetur: ab hac autem prohibitione excipiuntur calices, ostensoria, ciboria, s. pyxides, in quibus SS. Sacramentum asservatur, sicut etiam tabernacula, et vela calicibus aut S. Eucharistiae custodiis imponenda (1). Generatim enim loquendo, quo propius

(1) Vide Dubia liturgica die 17 Decemb. 1888 pro Capuccinis authentice soluta, ex quo constat, Capuccinos teneri ad exactam observantiam Decretorum S. Rit. Cong. etiam quoad paramenta sacra. Nam ad dubium XVI: « Utrum Capuccini teneantur ad observantiam Decretorum, praesertim 18 Decembris 1877 et 28 Julii 1831, circa materiam paramentorum? Et quatenus affirmative: Utrum

ornamenta ad sacrosanctae Eucharistiae mysteria pertinent, eo etiam pretiosiora esse possunt; quia ipse S. Pater in Testamento dixit: « Et haec sanctissima mysteria volo super omnia honorare et vene-« rari, et in locis pretiosis collocare ». Ideo etiam *S. Bernardinus* dixit: « Declaratur, quod uti calicibus et patenis argenteis, dum-« modo non nimiae et excessivae magnitudinis et pretiositatis, non « repugnat Regulae; imo satis convenit, si possint haberi ad vitandam « immunditiam et pericula erga SS. Eucharistiam » (ap. Phil. Cast., art. 16). Nullatenus autem, ut declaravit *Urbanus VIII* (ap. eumdem), habere licet ampullas, thuribula, candelabra, lampades ex argento confectas.

4. Quamvis vasa sacra pretiosa esse possint, nullatenus tamen nimia eorumdem copia aut excessiva pretiositas licita est; nam inter Ecclesias Fratrum Minorum et Ecclesias Cathedrales discrimen adesse debet. Generatim a nimiis pro ornatu Ecclesiae sumptibus abstinendum est, praecipue si propter istos Fratres in aliis rebus penuriam pati debent; talem enim inordinationem jam *S. Bernardus* objurgavit, dicens (l. c.): « Fulget Ecclesia in parietibus, et in « pauperibus eget; — inveniunt curiosi, quo delectentur, et non in-« veniunt miseri, quo sustententur ». — Econtra maxime curandum est, ut paramenta et vasa sacra integra sint, non lacera, munda, non fastidium et nauseam procreantia: magna enim inordinatio est, quae priori opponitur, dum cellae ornantur et Ecclesia negligitur, dum cernitur abundantia in refectorio et penuria in sacrario.

5. Quoniam Ecclesiae nostrae pauperes sunt, ideo, ait *Viator a Coc.*, illae caeremoniae solemnes ad ipsas non spectant, quae talia paramenta supponunt et exigunt, quae nobis licita non sunt, e. g. Pluvialia, Dalmaticas, Tunicellas, etc. (1). Possumus tamen incensum dare; quia *Benedictus XIII* hunc ritum etiam Ecclesiis minoribus parochialibus permisit (2), in quibus Ministrorum sacrorum penuria est.

---

licite uti possint paramentis ex gossypio, lino aut lana *bona fide* confectis, post istius materiae prohibitionem? »; S. Congr. respondit: « *Affirmative: facta vero venia utendi hujusmodi paramentis jam existentibus, donec consumentur* ».

(1) Hoc tamen hodie sustineri non potest, ut patet ex Decreto citato 17 Decemb. 1888, praesertim ex Dubiis IV et XII.

(2) Ex eodem Decreto 17 Dec. 1888, dubio XVII, « Capuccini si Ecclesiae sufficiens Clerus suppetat, peragant functiones juxta Missale Romanum; si tres aut quatuor clericos tantum habeant, utantur Memoriali Rituum Benedicti XIII. »

§ 91.

III. De victu, seu de cibo, potu etc.

1. Si temperantia ab omnibus hominibus observanda est, multo magis Fratribus Minoribus commendari debet, quibus major ad perfectionem tendendi obligatio incumbit, et qui altissimam paupertatem profitentur. Nam ait *S. Bonaventura* (Apol. Paup. 2. R., 2. P.): « Abstinentia promovet ad perfectam virtutem; valet enim ad ser- « vandum pudicitiae sanctae nitorem, ad custodiam paupertatis altis- « simae, ad conquirendam animi fortitudinem et mentis sereni- « tatem ». — Vera paupertas praecipue ex vili et modico victu dignoscitur: qui enim quotidie opipare vescitur, pauper nominari non consuevit. Magna ideo inordinatio contingit in Religioso voto paupertatis ligato, qui rudi amictus habitu, cibo, potuque abundat; cui irridens *S. Hieronymus* dicit: « Vestis pulla, cingulum sacceum, et « sordidis manibus pedibusque, venter solus, qui videri non potest, « aestuat cibo » (Ep. 22, ad Eustoch.). S. Franciscus absque dubio voluit, ut Fratres etiam in victu paupertatem servent: id colligi potest ex monito Fratribus (c. 2) dato: *Ne judicent homines, quos viderint mollibus vestimentis et coloratis indutos uti cibis et potibus delicatis;* quae verba exponens *S. Bonaventura* ait: « Non « est ergo Fratrum uti cibis et potibus delicatis, sicut nec vestibus « uti coloratis: hoc enim ad jus pertinet altissimae paupertatis, quae « quanto est altior, tanto arctior debet esse victus ». — Equidem, cum in victu a Regula usus arctus specialiter praescriptus non sit, juxta Rom. Pontificum declarationes sufficit, ut usus moderatus observetur. Hunc vero omnes graviter inculcarunt, quicunque seraphici Ordinis reformationi studuerunt. *S. Bernardinus Sen.* (Declar. sup. Regul.) inquit: « Usus carnium non convenit Fratribus, nisi mode- « ratus et discretus: talis autem vitiosum dici non potest, sed « omnino licitus est secundum Regulam et omnem veritatem ». *S. Joannes Capistranus* (Constit. sup. Reg. c. 3) ait: « Sint Fra- « tres temperati in usu carnium, ne cuiquam scandalum generetur « in procurando carnes in locis publicis eundo per macellos ». *Constitutiones nostrae* (cap. 3) praescribunt, ut communiter unico, et in diebus jejunii duplici cibo contenti, a vino generoso, et a con-

viviis nimis lautis abstineamus; et (cap. 6) prohibent, ne carnes, ova, et alii cibi pretiosi, nostro paupertatis statui non convenientes, pro Fratribus sanis quaerantur, licet tempus recreationis adesset. Demum juxta decretum *Clementis V,* ut usus etiam in victu moderatus sit, fugienda est in cibo et potu superfluitas, nimia pretiositas et curiositas, seu excessivum studium cibos nitide et delicate praeparandi.

2. Superioribus localibus obligatio incumbit, subditis suis moderatum, seu statui paupertatis convenientem victum suppeditandi, et etiam curam habendi pro iis, qui ob infirmitatem, vel ob itinerationem, aut alios graves labores, vel ob decrepitam aetatem quodam alimento indigent; quod in ipsis Constitutionibus nostris (cap. 3) innuitur. Convenit etiam, ut Superiores, quantum status oeconomicus Conventus permittit, bene familiam tractare satagant, et in victu concedendo potius abundent, quam subditos suos penuriam pati sinant: tuta conscientia, ait *Viator a Cocaleo,* hoc agunt ad majora mala praecavenda (1), nimirum ad impediendas odiosas querimonias, pacis perturbationes, et scandalosas evagationes. Praeterea omnibus, ergo etiam infirmis, gravibus laboribus occupatis, et senibus competentem victum suppeditare debent; atque ideo, ut vita communis a Rom. Pontificibus maxime commendata servetur, toti familiae plures cibos praebere possunt: nimis grave enim jugum Superioribus imponeretur, si perpetuo suorum subditorum necessitates indagare, et his omnibus specialiter providere deberent. Neque, uti observat *Bernardus Bon.,* Superiores ita agentes Constitutiones violant, quae communiter unum solummodo cibum permittunt; nam Constitutiones ipsae volunt, ut etiam pro infirmis, itinerantibus, senibus etc., convenientia obsonia procurentur; ex adductis vero rationibus praestat, ut id non in speciali, sed in communi mensa fiat, ita ut quilibet, quod sibi coram Deo necessarium putat, sumere possit (Lect. 19, § 6). Nullatenus tamen Superioribus licitum est, contra paupertatis spiritum lauta quotidie convivia parare, quamvis forte eleemosynae indifferentes abundent, quae vel in alios necessarios usus impendendae,

(1) Minus recte dicitur « ad majora mala cavenda »: nam haec obligatio in se et relate ad praelatos non est « minus malum », sed bonum positivum, respiciens prudentiam administrationis: non est concessio negativa ad majora mala praecavenda, sed positio actus boni ac recti. Subditi tamen hac in re non sunt judices.

vel benefactoribus restituendae, vel pauperibus distribuendae sunt. — Generatim loquendo, ait *Viator a Cocaleo*, usus Provinciarum, a doctis probisque Religiosis approbatus, praeclaram regulam subministrat systema victus cum decentia ordinandi: illi quilibet Superior localis insistere, et maxime cavere debet, ne novi quid introducat, quod, si postea ab alio non detur, importunis querelis ansam praebet, et si continuetur, laxitati portas aperit.

3. Jam tempore *S. Bonaventurae* extitit, qui Fratres Minores reprehenderet, eo quod in victu usum arctum paupertati conformem non servarent, sicuti primi eorum patres servaverant. Ut illos defenderet, S. Doctor (Determ. m. Q. sup. Reg. quaest. 9) plures memoratu dignas et praecipue a Superioribus pensandas rationes adducit, ex quibus licite in victu discretionem quamdam sequuntur: « *Una* est, ait, quia plures habemus debiles et infirmos, quam « olim, cum omnes fere erant novi in Ordine; qui cum lassati jam « et exhausti sint viribus, oportet, ut reficiantur, ne penitus de- « ficiant; quod esset contra misericordiae, charitatis, et discretionis « virtutem, cum tales maxime consilio suo, et zelo, et pietatis exemplo « sustentent Ordinem in suo vigore, ne subito corruat a pristina « puritate. — Quodsi tales contra misericordiam deficere subito per- « mittantur, tunc ex hoc magis fovebitur in Ordine carnalitas; quia « quilibet juvenis et sanus, instructus carnis prudentia, cogitabit « apud se dicens: si tales viri pro aedificatione Ordinis corpora sua « tradiderunt omnibus laboribus, et modo debilitati sic permittuntur « absque misericordia perire, volo mihi cavere, et parcere corpori, et « illud fovendo custodire, ne mihi similiter contingat: et sic aliquis « audebit de caetero vix ferventer in Dei servitio se exercere. Si « autem debent debiles misericorditer refoveri, expedit, ut etiam alii, « qui unum corpus societatis cum eis sunt, et eis serviunt, et la- « bores Ordinis pro eis in domo, in divino officio, in frigore, et « petendis eleemosynis, et aliis obsequiis, aliquo modo mitius per- « tractentur et melius reficiantur, ut minus de illis scandalizentur, « et minus murmurent contra eos, quasi ipsi soli consumant omnia, « quae offeruntur, et ut patientius pro eis laborent, et hilarius mi- « nistrent, et ut ipsi debiles minus erubescant et confidentius ac- « cedant necessitates suas manifestare, cum videant alios etiam « secum esse participes in consolatione. — *Alia causa* est, quia « eorum, qui nuper de saeculo venerunt, quidam delicate sunt nu- « triti, et cum in Ordine subito contra solitum coguntur aliter vi-

« vere in labore, et victu, et coertione magisterii, territa caro tenera « languescit; et nisi clementer foveantur, donec paulatim assuescant « Ordinis pati rigorem, aut semper tabescendo languescent, aut ex « rigoris horrore ad vomitum revertentur: et ideo expedit, ut supra. « — *Tertia causa* est spirituale studium. Nam assiduum lucrum in « studio S. Scripturae, in devotionis desiderio, in tentationis cer- « tamine, in internae sollicitudinis vigore ita consumit et desiccat « vires corporis, ut nisi exterius quandoque aliquatenus refocillentur, « non valeant diu subsistere ».

4. Obligatio paupertatem in victu servandi est, ut ait *Viator a Cocaleo,* personalis, atque ideo quemlibet Fratrem professum ubique comitatur, quamvis forte extra conventum commoretur. Non quidem Frater Minor peccati reus dici potest, si hinc inde occasionaliter lautiori mensae assideat, et cibos magis delicatos et pretiosos comedat; sed paupertatis praevaricator censendus esset, si habitualiter, et per longum tempus ad effugienda paupertatis incommoda lautioribus conviviis frui praesumeret. Communiter ergo quilibet Frater Minor in cibo et potu usum moderatum observare tenetur; atque ideo nonnisi ea, quae ad vitae viriumque conservationem necessaria sunt (§ 86), et haec non sine licentia Superioris (§ 87) (1), comedere et bibere debet. Nullus audeat, hunc vel illum cibum aut potum tamquam de jure sibi debitum exigere, et si negetur, iniquas querelas movere. Graviter etiam monet *S. Bonaventura* Fratres omnes, ut sine speciali necessitate et licentia extra statutas refectionis horas nihil aut comedant, aut bibant: ait enim (Spec. Disc. P. 2, cap. 2): « Extra communem refectionem ad bi- « bendum et comedendum vix Fratres inflectat ipsa necessitas »: et iterum: « Ultra duas vices in die puerorum, seu pecudum more « comedere, et potum frequentare, Religionis temperantiam et de- « corem evidenter offendit »: et iterum: « Quae, rogo, Religio? quae

(1) Expressa, tacita, praesumpta vel interpretativa, juxta rei qualitatem. Expressa generatim requiritur quoad prandia et comessationes extra conventum; tacita saepe sufficit ad res ordinarias postulandas apud officiales conventus; praesumpta vel interpretativa cum rationabili causa habetur, ad minimum aliquid bibendum vel comedendum, v. g. apud aliquem benefactorem, absente Superiore: item ad aquam bibendam, et similia. Cavendum tamen ne indebite praesumatur licentia in rebus alicujus momenti. Unde optima regula erit probata consuetudo Provinciarum.

« Paupertas, si mox ut esuris, mox ut sitis, concupiscentiae pares, « et satias appetitum, nec eum usque ad statutam horam scias com- « pescere? » — Inter ipsos Saeculares multi dantur, qui extra jentaculum, prandium et coenam nihil sumunt; multo autem magis Religiosos haec temperantia decet. Praecipue omnes Fratres in usu vini moderati sint oportet; qui enim in potum excedunt, non solum temperantiam omnibus Christianis injunctam, sed etiam paupertatem a Religiosis observandam graviter laedunt, seipsos infamant, scandala praebent, et in magnam perniciem ruunt; nam juxta *S. Gregorium M.*, dictae intemperantiae « filiae sunt inepta laetitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo mentis etc. ». Fratres ergo omnes maxima sollicitudine monitum Christi observare debent: *Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula, et ebrietate* (Luc. 21, 34). Equidem usus vini Religiosis penitus interdici non potest, cum ipse S. Paulus illum Timotheo suo consuluerit dicens: *modico vino utere propter stomachum tuum, et frequentes tuas infirmitates* (I Tim. 5). Oportet autem, ut monitum Apostoli ex integro observent *modico vino* utentes; nam illud ex una parte, et non ex alia observare velle, magna inordinatio est, de qua lamentatus *S. Bernardus* (Apol. de vit. et mor. Relig. c. 8, n. 24) scripsit: « Omnes, ex quo Monachi sumus, infirmos stomachos habemus, et « tam necessarium Apostoli de utendo vino consilium merito non « negligimus; *modico* tamen, quod ille praemisit, nescio cur prae- « termisso ».

5. Quaestio movetur, an Fratribus licitus sit usus potionum exquisitarum, seu liquorum pretiosorum, quales sunt *Caffee, Chocolata, Rosolia*, etc.? — Ad hanc quaestionem *Viator a Coc.* (Exp. 12) sequentia respondet: Prout Fratribus Minoribus hincinde lautioribus conviviis assidere licet, ita etiam ipsis licitum esse, hincinde — nimirum in circumstantiis extraordinariis — talibus potionibus frui, nemo est, qui dubitet. — Sed de usu eorumdem quotidiano, aut saltem admodum frequenti multi aliter sentiunt, ipsumque Fratribus prorsus illicitum esse asserunt ex triplici potissimum ratione: 1. quia tales potiones, quae a Fratribus particularibus privatim sumi solent, vitae communi adversantur a Summis Pontificibus cum magno rigore omnibus Religiosis praeceptae; 2. quia liquores pretiosi, quibus divites uti solent, quamvis dono accipiantur, paupertati tamen seraphicae repugnant, quae solummodo usum moderatum permittit; ac 3. quia cum spontaneae oblationes non semper fiant, ansa prae-

betur ad illicitum recursum, ad blandiendum Saecularibus vel ad alias inordinationes. — Quamquam autem istae rationes soliditate non careant, et in genere loquendo ab omnibus et approbandae et observandae sint; nihilominus, cum non detur regula sine exceptione, dicendum est, casus dari posse, in quibus praedictorum — vel saltem *Caffee* usus quotidianus licitus est: et quidem 1. licitum ipsum facit *physica necessitas,* dum nimirum ob infirmitatem aliquam, aut stomachi debilitatem ab ipso medico necessarius declaratur, vel tamquam valde proficuus praescribitur; et 2. licitum eumdem reddit *moralis necessitas,* dum officia gravioris momenti e. g. Concionatoris, Lectoris, Scriptoris etc., sine illo nonnisi aegre adimplerentur. — At etiam in istis casibus saltem pro usu quotidiano observandum est, ipsum Superiorem de sufficientia causae judicare debere, ne quis amore proprio obcaecatus nimis benignum pro sua sensualitate judicium ferat; et praeterea cavendum est, ne id, quod ex necessitate, aut ex justa causa permittitur, ex sola sensualitate, vel contra omnes limites temperantiae sumatur; quod si hominem saecularem dedecet, multo magis in Religioso abhorrendum est. Porro si nonnullis Fratribus usus Caffee, aut alterius potionis exquisitae usus physice aut moraliter necessarius sit, Superiores, necessitate rite examinata et approbata, non solum possunt, sed et debent illis necessaria providere; et hunc in finem, cum licentia tamen Provincialis (1), etiam ad amicos spirituales recurrere possunt. — Si autem usus potionum exquisitarum pro ipsis Fratribus indiscriminatim approbari nequit, multo minus ferendum est, ut a Fratribus tales potiones personis saecularibus sine causa justa, sed ex sola amicitia aut urbanitate porrigantur. Tali modo enim Religiosi facillime contemptum, derisiones, et detractiones Saecularium incurrunt, qui spiritum paupertatis et poenitentiae non observant, quem ipsi in Religiosis supponunt et exigunt. Si autem justa adfuerit causa, e. g. si pauper infirmus, vel reconvalescens, vel peregrinus itinerans, etc. reficiendus sit, exquisitae cujusdam potionis porrectio non solum reprehendenda non est, sed potius ceu exercitium charitatis et hospitalitatis commendari meretur. Ultimo animadvertendum est, facilius concedi posse quotidia-

(1) Guardiani idipsum possunt: Nam hodie multis in locis Caffee non habetur ut quid exquisitum (praesertim pro refectiuncula matutina), sed illo utuntur etiam pauperes operarii. Attendendum ergo ad mores regionum.

num usum potionis Caffee (quae nostris temporibus etiam mediocris fortunae hominibus communis est, ac ideo parce sumpta moderati usus limites non excedere videtur), quam potionis Chocolatae (1), quae magis pretiosa, et tantum divitibus communis esse solet: hujus ideo quotidianum, seu valde frequentem usum paupertati contrarium declarant *Bernardus Bon., Gaudentius a Brixia, Philippus a Castel., Gabriel a Vicentia,* et alii. Hoc idem dicendum est de spiritu vini, et aliis similibus liquoribus, quorum frequens usus eo magis paupertati contrarius est, quo minus necessarius dici potest, cum ipsi sanitati potius obesse, quam prodesse comperiantur.

§ 92.

IV. De utensilibus.

1. Nomine utensilium omnia ea intelliguntur, quae serviunt ad officinas communitatis, et ad cellas Religiosorum in debitum ordinem collocandas: sub eodem nomine comprehenduntur etiam instrumenta, quibus Fratres ad varios labores perficiendos indigent. *Nicolaus III* (Art. III) etiam circa utensilia paupertatem graviter inculcat, superfluitatem et proprietatem penitus prohibet, et ait: « in omnibus « appareat in eis, quoad dominium omnimoda abdicatio, et in usu ne- « cessitas ». Juxta *Clementem V* autem (Art. 10) « sicut in aliis quibuscunque », ita et in utensilibus fugere oportet superfluitatem, nimiam pretiositatem, et quamcunque curiositatem. — Probe ergo cavendum est, ne superflua utensilia conglomerentur, et ne nimis pretiosa aut curiosa procurentur, si viliora et simplicia sufficiunt; sed potius procurandum est, ut sancta paupertas in omnibus reluceat.

2. Nonnulli putarunt, melius conventibus consultum esse, si pro vasis fictilibus vasa stannea adhiberentur; quia cum illa facillime frangantur, et ista diutissime perdurent, minoribus expensis opus esset. Sed *Bernardus Bonon., Viator a Cocaleo,* et alii talem assertionem, ceu dictatam a prudentia mundi rejiciendam esse dicunt,

(1) Quae de Caffee dicta sunt in nota superiori, valent etiam simillime de causa pro Chocolata, cujus potione variis in regionibus et divites et pauperes generatim utuntur. Pretiositas hisce in rebus est relativa.

1. quia talem regulam pauperes sequi non solent; 2. quia vasa fictilia facilius gratuita benefactorum donatione accipiuntur, cum stannea plerumque per recursum procuranda essent; 3. quia si adducta ratio valeret, juxta paupertatis regulas vasa fictilia — saltem ea, quibus Fratres in mensa utuntur, in lignea (1) commutanda forent; 4. quia per majorem diligentiam et attentionem saltem frequentes fractiones impediri queunt (2).

3. In cellis Capuccinorum sancta paupertas ubique conspicua sit. Nihil superflui adsit, nihilque, quod ad solum ornatum inserviat, in iis inveniatur. Omnia mobilia consistant in lecto a Constitutionibus praescripto, in imaginibus Crucifixi, B. V. Mariae, et alicujus Sancti, in lucerna, scamno, libris, et aliis rebus ad officium suum rite adimplendum requisitis. Omnia reliqua, quibus Religiosus non indiget, ex cella removeantur, et in conservatoria pro usu communitatis reponantur.

4. Superiores et Officiales, quibus specialis quarumdam rerum cura commissa est, semper memores sint, oportet, se utensilium etiam pro tota communitate destinatorum non dominos, sed solum administratores, seu dispensatores esse. Ideo maxime cavere debent, ne studium partium ostendant, uni plurima concedant, et alteri pleraque vel denegent, vel subripiant. Tali enim modo procedentes murmurationibus ansam praebent, familiam perturbant, seque vitio proprietatis pessumdant. Nam ait *S. Bonaventura* (Spec. disc. p. 1, c. 4): « Cum illud proprium esse dicatur, de quo dispensare licet « juxta propriam voluntatem, non pauper, sed dominus reputandus « videtur, qui rem quamcunque aliis distribuit, ut libet ». Quamvis autem aequalitas in dispensando servanda sit, attamen non negatur, quod hac in re etiam ad meritum, officium, et indigentiam personarum, et ad locorum temporumque adjuncta attendendum sit; nam *Nicolaus III* (Art. 3) hanc memoratu dignam regulam praescribit: « Hoc autem secundum exigentiam personarum et locorum, Ministri « et Custodes in suis administrationibus et custodiis cum discretione « disponant, cum de talibus interdum personarum varietas, locorum

(1) Nec desunt regiones, ubi pauperes utuntur vasis ligneis parvo pretio comparatis. Iterum attende ad usus locorum.

(2) Superiorum Provinciae erit judicare, an attenta consuetudine loci, vilitate metalli, etc., tolerari vel concedi possint vel debeant vasa metallica, excluso semper metallo sive absolute sive relative pretioso.

« conditio, et nonnullae aliae circumstantiae plus minusve, ac aliter « provideri requirant. Ista tamen sic faciant, quod semper in eis, « et eorum actibus paupertas sancta reluceat, prout ipsis ex eorum « Regula invenitur indicta ».

§ 93.

V. De hortis, et ad istos pertinentibus.

1. Hortos nobis licitos esse, declaravit *Clemens V* (Art. 8), et quidem ex triplici causa: 1. ut « Fratres, qui in laboribus spiri- « tualibus orationis et studii occupantur, hortos et areas habeant « competentes ad recollectionem, vel recreationem sui »; 2. ut post labores hujusmodi etiam corporaliter seipsos occupare possint; 3. ut fructus quosdam et necessaria hortalitia pro seipsis habeant; 4. causam addit *Cyrillus a Bergomo,* ut Saeculares ab interioribus Fratrum habitationibus facilius arceantur (1).

2. Si fines hortorum a Papa expressi rite attenduntur, facile patet, illicitum esse, fructus hortorum vendere, vel hortos ita habere, ut exinde annui reditus proveniant, vel hortum, aut campum a conventu dissitum habere et colere, etc. Expresse enim *Clemens V* (l. c.) ait: « Habere hortos aliquos, ut colantur, ac olera et alia « hortalitia pretio distrahantur, nec non et vineas, repugnat suae « Regulae et Ordinis puritati; secundum quod dictus Praedecessor « declaravit ac etiam ordinavit, quod si talia ad usus proxime « dictos, ut puta agrum, vel vineam ad colendum, et consimilia « Fratribus legarentur, per omnem modum Fratres a receptione « talium abstineant, cum etiam praemissa habere, ut pretium fruc- « tuum suis temporibus habeatur, ad naturam et formam proven- « tuum appropinquet ». Falluntur ergo illi, qui putant, hortos nostros omni possibili modo colendos esse, ut exinde, quantum fieri potest, necessaria pro nostra sustentatione acquiramus, et aliis per mendicationem molesti non reddamur. Talis sententia repugnat finibus,

(1) Haec valent pro Conventibus valde separatis a civitatibus et locis, ubi saecularium accessus est rarior; ordinario sufficit, imo valde expedit, ut saeculares admittantur ad solum locutorium, non vero ad hortum.

ob quos Summi Pontifices hortos nobis licitos declararunt. Non licet ergo nobis, partem horti in agrum commutare, ut frumentum ex isto colligatur; neque etiam tot vitibus hortus repleri potest, ut rationem vineae habeat, et hac praecise ratione, ut vinum pro usu Fratrum inde hauriatur (1).

3. Certe autem, ait *Viator a Cocaleo*, licitum est, in hortis habere *flores* tum ad recreationem Fratrum, tum in usum Ecclesiarum, uti etiam *olera*, et *alia hortalitia* vel pro cibis, vel pro medicamentis necessaria, ac demum *arbores* et *vites* tum ad umbram in deambulationibus obtinendam, tum ad fructus pro usu Familiae colligendos, et praecipue pro Quadragesimis reservandos. Neque etiam interdictum est, ex fructibus pro usu communitatis ecligmata praeparare, aut etiam ex uvis vinum producere (2), praecipue si periculum adesset, quod illae reservatae putrefierent.

4. Licitum autem non est, uti ait *Cyrillus a Bergomo*, pro usu Fratrum in hortis agnos, pecora, sues, etc., nutrire, columbaria, vel alvearia habere: quia id quoque decreto *Clementis V* contrarium est, et a Capitulo generali anno 1633 prohibitum fuit. Nonnulli quidem cum *Corduba* putant, licitum esse, gallinas habere et alere, ne ova desint pro infirmis, dummodo scandalum Saecularium praecaveatur: sed nos Capuccini, ait *Viator a Coc.* (Exp. 20, in c. 6), strictae Regulae observationi, et Rom. Pontificum *Nicolai III* et

(1) Intellige, in quantitate notabili. Quoniam vero hisce in rebus opinionum diversitas pacem fraternam destrueret, subditi tenentur stare judicio praelatorum. In dubio, Superiores provinciales rem sincere exponant Ministro Generali et ejus sententiae stent: novi Superiores neque severe judicent praedecessores, neque facile permittant notabiles mutationes hortorum; sed prudenter et maturissime procedant.

(2) Improbandi Laici hortorum cultores, qui ad multiplicanda olera, vites, etc., imminuunt amoenitatem, vias deambulationum, umbrantia etc., ipsorum hortorum. Hoc enim est contra charitatem Sacerdotibus et Clericis debitam, et contra mentem S. Sedis, quae hortos primario destinat ad moderatam recreationem Fratrum. Provinciales ergo debent cohibere omnes abusus, nec Guardiani permittere, ut hortus transformetur in quasi agricolarum commercium. — *Quoad uvarum usum*, teneto: eorum usus apud Minores communi mensae, non vero eliciendo vino destinetur, ut deducitur ex quadam declaratione S. Cong. Episc. et Regul., Septemb. 1843 (Vide *Analecta Ord. Min. Cap.*, vol. I, pag. 335). Quod si in aliquibus Conventibus elicitur vinum in notabili quantitate; tunc Superiores, habita ad hoc *necessaria licentia* per Min. Gen., sedulam navent operam, ut charitas paterna erga subditos detrimentum nullatenus patiatur.

Clementis V sententiis et limitationibus insistentes, a tali usu abstinere debemus; praecipue in locis, in quibus necessaria ova per mendicationem obtineri possunt (1).

ARTICULUS V.

§ 94.

De peccato proprietatis.

Fratres Minores in solemni sua professione vovent, quod sine proprio vivere velint, et ad hoc etiam per expressum S. Regulae praeceptum obligantur. Nam, ait *S. Bonaventura* (quaest. 24 sup. Reg.): « Fratribus aliquarum rerum concessus est usus, sed vetatur appro- « priatio. Nam non dicit Regula: Fratres nihil habeant, neque aliqua « re utantur, quod esset insanum; sed dicit, quod *nihil sibi ap- « proprient* ». — « Appropriare autem est, ut *quatuor Magistri* « (in c. 6) dicunt, rem suam facere, seu in suum dominium con- « vertere: sua autem res est, quae transit in arbitrii facultatem, ut « de ea faciat habens, quod vult, utendo, donando, commutando, « alienando etc. » Hujus jam proprietatis peccati 1. *malitia est ostendenda,* et 2. *varii, quibus committitur, modi sunt explicandi.*

§ 95.

I. Peccati proprietatis malitia.

1. Peccatum proprietatis in Religiosis, qui sive rem, sive jus, qui solemniter renuntiarunt, sibi arrogare praesumunt, omni sem-

(1) De causa sufficiente judicent Provinciales, qui in dubio consulent Min. Generalem. Ordinario ubique habetur causa sufficiens ad paucas gallinas tenendas, intuitu infirmorum et debilium, qui ovis indigent. Insuper magni faciendae sunt probatae consuetudines Provinciarum circa hanc materiam: nam, quamvis in rigore juris, juxta quosdam, gallinae, pecora, sues, et similia possint tolerari, dummodo 1° sint in parva quantitate, 2° ad strictum usum Fratrum tantum, et 3° secluso scandalo: ut habet clarissimus canonista Piccirelli; in praxi tamen pro viribus abstinendum, nec a Provincialibus permittendum nisi in locis ubi adsit vera necessitas, data praesertim tristissima temporum conditione.

per abominatione dignum habitum est. SS. Patres illud furto aequipararunt. *S. Basilius* (Const. monast. c. 34) ait: « Qui aliquid pro-« prium habere studet, non cogitat, quod propter vilia propriam « salutem amittit; et concedite mihi, ut paulo audacter loquar, quod « alter quispiam Judas sit, a furto initium faciens; furtum enim « est illa privata possessio, et in proditionem desinens ». *S. Augustinus* (Ep. 109, ad Monial.) inquit: « Si quis rem sibi collatam « celaverit, furti judicio condemnabitur ». *S. Bernardus* (lib. de modo bene vivendi, c. 48) scribit: « Possidere aliquid peculiare apud « servos Dei pro magno crimine habetur. Hoc quippe furtum est, « grande peccatum est, hoc est iter inferni: ait enim Paulus Apo-« stolus (I. Cor. 16, 10): *neque latrones, neque rapaces regnum « Dei possidebunt;* et qui sibi separat aliquid proprium, poenas « Judae sustinebit in inferno ». — Notae furti in Religioso proprietario addenda est nota horrendi sacrilegii, quia temerario modo votum solemne violat. Talis Religiosus etiam de foedissima hypocrisi arguendus est, quia sub habitu sancto cor gestat penitus depravatum; nam ait *Cassianus* (lib. 12. Instit., c. 26): « Qui sibi « aliquid proprium congregant, nihil amplius egressi a saeculo, quam « nomen acquisisse tantum, ac vocabulum Monachi comprobantur ». (Ibid. l. 7, c. 8): « Hi nullam humilitatis, nullam charitatis, nullam « obedientiae, non dicam: virtutem, sed ne umbram quidem virtutis « retinentes, indignantur ad omnia ». (Ibid.): « Qui proprium habet, « non mendacii, non perjurii, non furti facinus admittere perhorre-« scit, non fidem frangere, non iracundia furere; et tantis se per-« nitiosis involvit, ut usque ad profundum inferni devolvatur ». — Peccatum proprietatis a *S. Leandro* « pestis, et adulterium », et a *Concilio Londinensi* « idololatria » vocatum est.

2. Gravitas peccati, quod Religiosus proprietarius committit, ex poenis dignosci potest in illud latis. Nam, ait *S. Thomas* (1. 2, Q. 105, art. 2), « gravis poena infligitur propter quantitatem de-« licti, et majori peccato, caeteris paribus, poena gravior debetur ». Sed jam antiquitus tam gravis poena in Religiosos proprietarios lata fuit, ut ipsis etiam sepultura ecclesiastica negaretur. Qua de re SS. Patres testes habemus. Nam *S. Hieronymus* (Ep. 20, ad Eustoch.) ait: « Seniores decreverunt, sancto in eis loquente Spiritu, « proprium esse cum proprietario infodiendum in ejus perditionem. « Neque hoc crudeliter quisquam putet factum: ex hoc enim cunctos « per totam Aegyptum terror invasit ». *S. Augustinus* (Serm. 5 ad

Fratr.) exclamat: « Januarii perditionem flere debemus, qui pauper-« tatem, quamdiu viveret, servare promisit, et tamen agrum, nobis « ignorantibus, in saeculo possidebat. O professio mortifera! Sanctum « credebamus, qui omnibus pejor erat. Male vixit, quia, quod suum « non erat, secreto tenuit; et male moritur, quia in fine se non co-« gnovit. Ligate igitur manus cadaveris ejus cum siclis, quos reti-« nebat, dicentes: *pecunia tua tecum sit in perditionem;* non enim « nobis licet ea uti, quia pretium damnationis est ». Simile exem-plum narrat *S. Gregorius M.* et ait: « Postquam ille Monachus « fuit in sterquilinio sepultus, Fratres omnes, ea sententia perterriti, « coeperunt singuli quaeque, etiam vilia, in medium proferre, vehe-« menterque formidare, ne quid apud eos esset, unde reprehendi po-« tuissent ». Eadem gravissima poena etiam subsequentibus tempo-ribus Religiosis proprietariis inflicta fuit; imo in *Concilio Latera-nensi* sub *Alexandro III*, iste canon legitur: « Qui peculium ha-« buerit, a Communione removeatur Altaris: et qui in extremis cum « peculio inventus fuerit, et digne non poenituerit, nec oblatio pro « eo fiat, nec inter Fratres recipiat sepulturam: quod de universis « Religiosis praecipimus observari ».

3. Quoad peccatum proprietatis Theologi communiter levitatem materiae admittunt; non consentiunt autem in gravitate materiae, ad peccatum mortale requisita, determinanda. Juxta Capitulum ge-nerale, anno 1662 habitum, materiam mortaliter gravem constituunt tres Julii, qui aequivalent dimidio floreno. Alii pro regula statuunt, tantam requiri materiam, quanta requiritur, ut furtum sit mortale peccatum (1). Alii iterum dicunt, ad determinandam gravitatem peccati proprietatis, rationem personarum et circumstantiarum attendendam esse; quia pro earumdem diversitate Superior magis vel minus in-vitus esse potest (2). Circa comestibilia vero et poculenta, ait *Viator a Coc.*, longe major materia requiritur, et hic iterum bene debent

(1) Multo probabilior vereque tuta dicenda opinio, quae requirit materiam gravi furto aequivalentem, ad normas Theologiae Moralis. Hodie data vilitate monetarum, et diversitate divitiarum nationum, non potest nec debet pro toto Ordine talis vel talis quantitas assignari. Confessarii ergo consulent probatos Auctores.

(2) Generatim haec ratio non attenditur: secus fieret magna rerum confusio ex diversitate indolis Praelatorum. In casu expedit ut materiae parvitas in seipsa consideretur.

considerari circumstantiae personae et temporis; nam e. g. tempore recreationis solent Superiores minus inviti esse, quam alio tempore; et sic pariter Superiores facilius indulgent Religiosis senioribus bene meritis, aut multis laboribus onustis, quam caeteris; minus etiam peccat, qui id, quod de victu aut potu accipit, cum aliis Religiosis in charitate consumit, quam si idem sine licentia Saecularibus communicaret. Attendendum denique est, quod actus proprietatis in materia levi, si per poenitentiam non expientur, in sui prosecutione fieri possint mortales; coalescunt enim omnes, licet separati, in unum, si non retractentur, et dein materiam gravem constituunt (1).

§ 96.

II. Varii modi, quibus peccatum proprietatis committitur.

Frater Minor per professionem suam dominio, possessioni, proprietati, usuifructui, et usui juris renuntiat, ita ut nihil ipsi maneat, nisi simplex usus facti (§ 75, n. 1), cui essentiale est, ut omnino dependeat a voluntate Superioris (§ 87). Qui ergo praedictos actus civiles, vel usum rei sine Superioris licentia sibi arrogat, a professione sua recedit, votum violat, et detestandum proprietatis peccatum committit. Id autem, ut Expositores docent, variis modis fieri potest.

1. Qui sine licentia Superioris rem quamdam in usum suum recipit, retinet, aut alteri tradit, proprietarius est; quia talis, cum requisita ad simplicem usum facti dependentia desit, jus utendi et disponendi sibi attribuit. Multo magis id dicendum est, si quis rem recipit, retinet, aut alteri tradit contra expressam, vel probabiliter praesumptam voluntatem Superioris: notat tamen *Bernardus Bon.* (Lect. 15, § 1) quod, si Superior solummodo quoad *modum* rei recipiendae vel tradendae contrarius sit, tantummodo peccatum ino-

(1) Vide *Theologiam Moralem*, et nota quod in ordinariis esculentis et poculentis ab ipso Fratre consumptis, generatim non adest peccatum mortale, quia tunc potius modus quam substantia principalem turpitudinem actus constituit. Secus dicendum de furtis esculentorum, inter amicos saeculares et extraneos, praesertim non vere pauperes, distribuendorum.

bedientiae, si autem quoad *substantiam* contrariam voluntatem habeat, vere peccatum proprietatis committatur (1).

2. Proprietarius censendus est etiam ille, qui sine licentia Superioris ea, quae ad usum totius communitatis spectant, e. g. cibos, libros, utensilia etc., in usum sibi specialem assumit, vel alteri concedit. Nam ait *S. Bernardus* (l. c.): « Qui hoc, quod commune est, « sibi proprium facit, furti reus est, Judas est ». Hoc idem dicendum est de eo, qui aliquid ex cella alterius Fratris surripit, quod huic in usum concessum fuit: talis enim, ait *Cajetanus M. a Bery.* (Instr. 4, Art. 1, n. 10), non solum peccatum furti contra virtutem justitiae, et peccatum proprietatis contra votum paupertatis committit, sed etiam charitatem laedit (2); quia animum Fratris contristat et perturbat, sinistris judiciis ansam dat, et caeteris scandalum praebet. Vana est etiam excusatio, quae proferri solet dicendo: in Religione omnia sunt communia; nam ex hoc ipso principio sequitur, quod nullus independenter sibi aliquid proprium facere possit. Ideo *S. Bonaventura* (Spec. Disc. P. 1, c. 4) dicit: « Res quidem « sunt communes, sed usus dispositio pertinet ad Praelatos: usur« patus autem sine licentia usus prorsus illicite et culpabiliter vin« dicatur ».

3. De peccato proprietatis merito arguitur, qui contra Praelatum de rebus ad usum suum particularem concessis aliquid tollentem, vel de istis aliter disponentem, turbatur et obmurmurat (3). Hic secundum *S. Bernardinum Sen.* pessimus proprietarius censendus est, si constans in proposito et voluntate permaneat rem illam sibi habendi contra Praelati voluntatem, cum hic solus possit de rebus loci disponere, prout judicaverit expedire.

4. Juxta *S. Bernardinum* actus proprietatis est, rem quamcunque Praelato suo celare, seu illam vel Superiori locali vel Pro-

---

(1) In foro conscientiae distingue repugnantiam Superioris ab expressa prohibitione, ne imprudenter judices de gravitate malitiae et actus, sive ex capite paupertatis, sive ratione obedientiae.

(2) Peccatum contra charitatem hic improbabile dicendum, saltem generatim; secus in omni furto saecularium adesset laesae charitatis hujusmodi malitia, quod in praxi negandum, quamvis saeculares ordinario magis contristentur per se de rebus amissis, quam regulares.

(3) Tunc generatim et per se hoc peccatum non excedit veniale. Secus, si obedientiam etc., graviter violet.

vinciali visitanti abscondere, ne surripiatur; et multo magis, ait *idem Sanctus,* proprietatis notam incurrit, qui eumdem in finem res vel sibi, vel toti communitati in usum concessas Saecularibus custodiendas tradit, post factam Visitationem iterum reddendas (1).

5. A *S. Bernardino* proprietariis etiam adnumerantur, qui abscondunt clavem, ne Praelatus quidquam tollat, aut aliud disponat. — Haec autem assertio, ait *Philippus a Castel.*, expositione indiget. Antiquitus enim claves cellarum omnino prohibitae erant, et ut proprietatis signa considerabantur; modo autem ex causis sat aequis, claves cellarum ab ipsis Superioribus permittuntur, ita tamen, ut hi clavem communem habeant (2), per quam omnes cellas visitare possint. Modo igitur, qui clavi cellae utitur, proprietarius non censetur. Si autem fraus interveniat, per quam quis Superiorem a visitatione cellae retinere conatur, e. g. si quis ita vel cellam, vel scrinium in cella obseret, ut nonnisi per occultum artificium, aut per vim aperiri queat, talis certe proprietatis notam incurrit; a qua tunc solum excusari posset, si nihil aliud quam manuscripta sua, vel litteras gravioris momenti a nemine legendas praedicto modo recluderet. — Quoad exeuntes ex conventu sequens regula statui potest: Si consuetudo viget, non contradicente Superiore introducta, clavem secum ferendi, hoc faciens non peccat; si autem consuetudo vigeat clavem Superiori consignandi, id non praestans, proprietarius fit, nisi per inadvertentiam vel aliam rationem excusetur. Communiter autem, qui solummodo per unum diem exit, non tenetur clavem Superiori tradere, bene vero, qui per plures dies e cella abest. Conscio Superiore potest etiam clavis Janitori, vel bono amico tradi, qui in reditu statim inveniri possit (In Praec. III emin., art. 11).

6. Maxime reprehendendi sunt Officiales, qui exeuntes secum claves eorum locorum portant, in quibus res communitatis reservantur, ita ut Fratres etiam in casu necessitatis his uti non possint. Officiales, e. g. coqui, cellarii, hortulani, custodes bibliothecae etc., sic agentes, proprietarii fiunt; nam cum *Corduba* etiam *Politus* (n. 38) inter actus proprietatis hunc quoque recenset: « Claves quorumcunque

(1) Tunc enim notabiliter laeditur jus Superioris, et non semel scandalizantur saeculares.

(2) Subditi tamen non debent inquirere, an Superior clavem hujusmodi habeat; sufficit, ut nullo pacto contradicant Superiori hujusmodi clavem habenti vel habere volenti.

« scriniorum, vel repositariorum, ubi res ad communitatis necessi-
« tatem servantur, secum extra monasterium deferre (1), et nolle Prae-
« lato assignare, ne eis Fratres uti possint, cum expedierit, vel
« Praelatus possit de eis disponere, cum voluerit ». Eodem modo peccant Officiales lamentantes, et de furto conquerentes, si ipsis absentibus, quamvis annuente Superiore, aliquid mutatum vel ablatum fuerit, et qui restitutionem seu damni compensationem exigere non verentur: meminerint hi dicti *S. Bernardini:* « Actus proprietatis
« est de damno in horto vel alibi facto requirere, repetere, exigere,
« et mandare satisfactionem suo nomine et auctoritate » (2). Culpa etiam illi Officiales non vacant, qui, dum Fratres in suis necessitatibus cum licentia Superioris ad ipsos veniunt, duros tenacesque se ostendunt, necessitatem examinare volunt, et nonnisi inviti et cum murmure postulata concedunt, vel etiam ex parte negant. Isti in officio suo non ut fideles dispensatores, sed ut domini ac proprietarii procedunt, et ipsi Superiores conscientiam suam possumdant, si tales Officiales non corrigunt, aut non removent; tum quia alienorum peccatorum participes fiunt, tum quia pro Fratrum necessitatibus debitam curam non gerunt (3).

7. Proprietarius censetur etiam Frater, qui libros vel res quascunque, quibus non utitur, et saltem per aliquod tempus non indiget, ab aliis rogatus noluerit ad tempus concedere: « hoc enim, ait *Po-*
« *litius,* sibi usum appropriare est, nisi ad hoc facultatem habuerit
« a suo Superiore, vel ex rationabili causa eas denegaverit, ut puta,
« quia petens dilapidator est rerum sibi praestitarum » (4).

8. Regula dicit: *Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum;* ergo conventu et cella solum uti possunt ut re aliena, i. e. cum consensu dominorum et cum licentia suorum Praelatorum.

---

(1) Hoc praesertim intelligendum de absentia a Conventu, saltem per integrum diem, et ultra. Qui vero *nolunt* claves Praelato assignare, et obedientiam et paupertatem violant plus minusve juxta rei gravitatem.

(2) Ordinariae querimoniae non excedunt veniale; sed tempestive corrigendae, ne pejores fiant.

(3) Periit pretiosissima gemma vitae communis, ubi Superiores vel difficiles sunt in concedendis necessariis, vel negligentes in corrigendo avaritiam et morositatem officialium quoad rectam ac fraternam indigentiarum subditorum sublevationem. Hinc officiales charitate abundent, nec gravosi fiant.

(4) Ante factum fortiter impediendi tales abusus; post factum non facile de notabili reatu judicandum.

Qui ergo contra voluntatem Superiorum conventum aut cellam inhabitare praesumit, proprietarius est judicandus. Ideo *S. Bernardinus* inter actus proprietatis hunc quoque recenset, « quando Frater im-« patienter queritur de cella vel alia re sibi a Superiore ablata, vel « in ea manere procurat ». *Bartholomaeus de Pisis* (in cap. 6) ait: « Ex quo dicitur, quod Fratres nihil sibi approprient, sequitur, quod « nec usum sibi possunt appropriare: quare patet, quod graviter « peccant Fratres appropriantes sibi loca ad usum, sed debent per « omnia voluntati Superioris in omnibus talibus esse subiecti ». Hujus proprietatis reus fit, non solum qui vi physica resistit mutationi suae, verum etiam qui ad finem suum obtinendum vim moralem adhibet, e. g. insignium benefactorum aut amicorum auxilium implorat, vel qui a medico falsum testimonium sibi procurat, vel qui se contra Superiorem indignatum ostendit, domum murmurationibus replet, aut importuno agendi modo consensum Superiorum extorquet. — Proprietarius vero non est, qui Superioribus rationes suae mutationi obsistentes candide manifestat, aut humiles preces adhibet, ita tamen, ut ad obediendum se paratum ostendat (1).

9. Species proprietatis, priori haud dissimilis, est in illis, qui vel praelaturam, vel certum quoddam officium sibi appropriare tentant. Ideo *S. Bernardinus* ait: « Actus proprietatis quoad proprie-« tatem propriae voluntatis est, procurare sibi indebite praelaturam; « quia secundum *S. Augustinum* avaritia non solum in rebus, sed « etiam in honoribus subsistit ». Proprietarii ergo dici possunt, ait *Philippus a Castel.* (Art. 5), qui inordinato modo procurant, ut ad regimen vel officium quoddam promoveantur, vel in eo retineantur, quasi ad hoc jus haberent. Isti sane non crucem Christi, sed crucem latronis perditi portant, et ex dementia sua pereunt. Etiam Laici hoc vitio inquinantur, si, quia in praedilecto suo officio permanere cupiunt, in quovis alio munere se inexpertos, desides et inertes monstrant, aut, quae ad officium spectant, alios docere nolunt, ut ad illud quasi necessarii habeantur (2).

---

(1) Caveant insuper a falsa obedientia, seu ab usu industriae non sanctae, ut Superior nostrae sese accommodet voluntati, ob exaggeratas, vanas et minus sinceras rationes.

(2) Qui resistunt mutationibus officii, sunt proprietarii voluntatis: sed quamvis valde reprehensibiles sint et Deum offendant, non tamen peccant *per se* contra paupertatem, sed potius contra obedientiam. Laici qui, ne ab officio quaestuarii

10. Frater Minor, cui persona saecularis rem quamdam in usum concedit, dominio sibi retento, non potest, ait *Cajetanus M. a Berg.*, eamdem recipere; quia, cum Superior illam auferendi potestatem non haberet, usus ipsi certus, fixus, et quasi perpetuus obtingeret, et sic proprietarius rei fieret, non obstante quacunque licentia, quae nulla censetur. Nam *S. Antoninus* (3. P. tit. 16, c. 1, § 11) dicit: « Circa « certum usum, qui scilicet non potest auferri, dispensari non potest: « semper enim voluntas Religiosi debet esse subdita Praelato, ut « resignet, quando iste voluerit ». — Sed hoc dictum S. Antonini nullo modo assertionem Cajetani M. probat, sed potius contrarium ostendit. Nam quamvis verum sit, Superiorem de re, cujus alius est dominus, disponere non posse, tamen usum a Fratre auferre potest, praecipiendo huic, ut rem domino restituat; et si Frater id ad nutum Superioris praestare paratus sit, nullatenus usum certum, fixum, et quasi perpetuum habet; sed etiam in hoc usu subditus est Praelato, atque ideo proprietarius dici non potest (1).

11. Proprietarius certe est, qui sine licentia Superioris eleemosynas pecuniarias recipit, aut deponi vel expendi facit (2). Sed quid circa denarios et pecuniam Fratribus penitus prohibeatur, (§ 54) declaratum fuit.

12. Proprietatis peccatum etiam committitur in quolibet contractu illicito, in quo nimirum Frater Minor obligationem civilem in se sumit, vel jus civile in alium acquirit. Quomodo autem Fratres in variis contractibus paupertatem violent, et Regulam transgrediantur, jam in Art. II hujusce capitis expositum fuit.

13. Monet *Cajetanus a Berg.* proprietatis peccatum non solum

---

amoveantur, non indicant nomina benefactorum, sunt quasi usurpatores auctoritatis Praelatorum, quam de facto impedire non timent. Unde quando haec et similia vitia apparent, Superiores debent totis viribus mali causam tollere, nec possunt silere.

(1) In praxi hoc non expedit: sed quoad conscientiam, tuta dicenda est sententia contraria opinioni P. Cajetani a Bergomo; quia integra manet, vera et efficax dependentia Fratris a voluntate Superioris, quod maxime attendendum in tota sanctae **Paupertatis quaestione.**

(2) Quia vero istae et similes violationes jam sunt directae contra paupertatem seraphicam, manet ex hoc capite identitas reatus, nec multiplicatur ex solo capite proprietatis. Imo generatim diversi reatus proprietatis confunduntur cum unico reatu violatae paupertatis. Ne multiplices ergo reatus ex capite voti paupertatis, proprietatis, et violatae seraphicae Regulae quoad rerum usum.

opere, sed etiam corde et ore committi posse. Sicut enim per decimum Decalogi praeceptum omnibus hominibus prohibetur, ne concupiscant rem proximi sui; ita etiam Religiosis prohibentur iniqua res sibi appropriandi desideria, quae si deliberata et voluntaria sint, peccata mortalia constituunt (1); Christus enim dicit: *de corde exeunt malae cogitationes.... quae coinquinant hominem* (Mat. 15, 19). Caveant ergo Religiosi a talibus malis cogitationibus et desideriis iniquis; et caveant etiam a talibus loquendi modis, qui proprietatem, dominium, seu jus quoddam indigitant. Nunquam dicant: hoc meum est (2), hoc mihi debetur, illud omni jure exigere possum, etc.; hae enim et similes phrases facile scandalum praebent, et frequenter cor depravatum ostendunt, dicente Christo: *ex abundantia cordis os loquitur... et ex verbis tuis condemnaberis* (Mat. 12, 34). Memores ergo sint Fratres moniti (Eccli. 23, 27): *Indisciplinatae loquelae non assuescas cor tuum; est enim in illa verbum peccati* (Instr. 4, Art. 1).

ARTICULUS VI.

§ 97.

De Mendicatione.

TEXTUS. *Vadant pro eleemosyna confidenter: nec oportet eos verecundari, quia Dominus pro nobis se fecit pauperem in hoc mundo.*

Mendicatio distinguitur a mendicitate, sicuti habitus ab actu. Haec enim in ipso paupertatis statu consistit, qui aliena beneficentia

(1) Vide *Theologiam Moralem*, ubi de desiderio cum conditione *si liceret*. Et nota quod in praxi difficillime habentur casus dictae concupiscentiae, qui gravem materiam constituant. Qui enim ad dictum concupiscentiae gradum pervenit, generatim non sistit in desiderio, sed de facto res sibi indebite appropriat.

(2) Hoc tamen generatim non est nisi locutio absque prava intentione, ac proinde non semel reprehensibile quidem dicendum, non vero de peccato damnandum. A fortiori nullatenus reprehendi posset, quando non-usus vocis *mei meae* esset quid ridiculum coram saecularibus. Idipsum tene de aliis similibus locutionibus, praesertim quando idioma regionis non facile admitteret ut voces *noster, nostra, nostrum* adhibeantur ab homine, qui de seipso loquitur. Denique vox *nostrum* non debet applicari facultatibus propriae animae et corporis: nec proinde dicendum: « doleo *nostro* capite », etc., ut faciunt nonnulli scrupulosi. Attende ergo ad consuetudines religiosorum timoratorum regionis.

seu eleemosynis indiget; illa vero alienae beneficentiae imploratio est. Fratres Minores statum mendicitatis, quem professi sunt, relinquere non possunt; cum enim ex voto et ex praecepto Regulae nil proprii possideant, necesse est, ut de alienis vivant. Ideo *S. Bonaventura* ait: « Verum est semper, alieno victu, et vestitu, et tecto, et « aliis utensilibus absque proprietatis jure nos uti » (Quaest. in Reg., Q. 24). Mendicatio vero Fratribus Minoribus non absolute praecepta, sed tantum relative necessaria est; nam, ait *Viator a Cocaleo,* mendicationem absolute praeceptam esse, neque ex Regula, neque ex sacris Canonibus, neque ex Constitutionibus pontificiis probari potest: contrarium potius ex Fratrum Minorum conditione eruitur. Nam per laborem sibi victum comparare possunt et debent, mercedem tamquam eleemosynam considerantes (cap. 5); et praeterea eleemosynas sponte oblatas iisdem recipere licet, dummodo quoad quantitatem aut qualitatem paupertatem non laedant. Si ergo per haec duo media vitae necessaria obtinentur, mendicatione opus non est; si autem non sufficiant, tunc in illorum supplementum mendicatio concessa, seu relative praecepta (1), vel necessaria est. Hoc idem ipse S. Pater innuit, dum in suo Testamento dicit: « quando non daretur « nobis pretium laboris, recurramus ad mensam Domini, petendo « eleemosynam ostiatim ». — Extiterunt equidem, qui Fratres Minores reprehenderunt, eo quod, suis bonis derelictis, de alienis vivere velint, et qui eorumdem mendicationem illicitam, ac societati humanae perniciosam dixerunt. Sed talia effutientes, ipsi Evangelio contradixerunt. Christus enim verbis et exemplis tum statum mendicitatis, tum exercitium mendicationis commendavit. Diviti enim juveni dixit: *Omnia quaecunque habes vende, et da pauperibus, et veni, sequere me* (Luc. 18, 22). Ipse ut puer duodecim annorum per triduum, derelictis parentibus, « quasi unus in turba pauperum stipendium per ostia mendicabat », uti testatur *S. Bernardus* (ap. Bonaventur., in c. 6. Reg.); et cum non haberet, ubi caput reclinet (Luc. 9, 58), de aliorum beneficentia etiam tempore praedicationis suae vivere debuit. Eodem modo Christus voluit, ut Apostoli nihil possideant; *et*

(1) Dicitur « relative praecepta », quatenus scilicet de praecepto est sublevatio necessitatum Fratrum. Errant proinde, qui absque causa multas quaestuationes instituunt: a fortiori qui otiositati vacantes, privantur eleemosynis quae aliunde haberentur. Quaestuatio non debet otiositatem nutrire, sed paupertatis incommoda sublevare.

praecipit eis, ne quid tollerent in via, non peram, non panem, neque in zona aes, sed necessaria alimenta a fidelibus reciperent, addita ratione, quia *dignus est operarius mercede sua* (Matth. 10, 9; Marc. 6, 10). Ideo etiam S. Ecclesia tum statum voluntariae mendicitatis, tum exercitium mendicationis ut licitum et meritorium approbavit, et contrarium sentientes damnavit. Nam in *Concilio Constantiensi* tamquam erronea, temeraria, et scandalosa reprobata fuit sententia Joannis Huss asserentis, Religiosis illicitam esse mendicationem, ipsosque de labore manuum vivere debere. Et Guilielmi de S. Amore tractatus, in quo asserebatur, mendicantes salvari non posse, tamquam erroneus et detestabilis per *Alexandrum VI* fuit damnatus, et publice igni traditus. Male etiam nonnulli lamentantur, quod Fratrum Minorum mendicatio societati humanae perniciosa sit. Plus enim, ait *Viator a Cocaleo,* Mendicantes relinquunt mundo, quam mundus praebet ipsis: hi enim omnia saeculo relinquunt, quae habere vel sperare possent, cum a saeculo nonnisi superflua, et non raro vilia accipiant. Plus etiam ipsi mundo prosunt praecipue per orationes et labores spirituales, quam mundus ipsis prodesse potest. Denique mendicitas et mendicatio Fratrum Minorum praecipue ex fine, ad quem dirigitur, justificatur; nam ut Deo perfectius serviant, mundoque magis spiritualiter prosint, omnia saeculo relinquunt, emendicato pane contenti. Ideo *S. Bonaventura* ait: « Cum « quis mendicat ex necessitate naturae, quia pauper est et infir- « mus; hic modus miserabilis est et tolerabilis, et per patientiam « meritorius. Cum quis mendicat pro otio fovendo aut lucro cumu- « lando; hic modus ex vitiositate culpae vituperabilis est. Cum quis « vero mendicat pro Christo imitando, ut seipsum humiliet et pro- « ximum aedificet, hic modus laudabilis est ». Ut autem hac in re Fratres bene semper procedant, exponendum est 1. *sub quibus conditionibus mendicatio licita sit,* 2. *quales provisiones per eam procurare liceat,* et 3. *quomodo ipsam perficere oporteat.*

§ 98.

I. Conditiones ad mendicationem requisitae.

Ut Fratres Minores licite mendicationem suscipiant, duae conditiones requiruntur, nimirum ut Deo fideliter serviant, et ut vere pauperes sint, et rebus mendicandis indigeant.

1. Ipse seraphicus Pater priusquam Fratres ad mendicandum exhortaretur, eosdem admonet, ut *in paupertate et humilitate Domino famulantes* sint. Prima ergo conditio ad licite suscipiendam mendicationem est, ut Fratres Deo fideliter serviant, Regulam exacte observent, et ad perfectionem religiosam serio tendere nitantur. Ad hunc nobilissimum finem facilius obtinendum a benefactoribus sustentantur, et abundantes eleemosynas recipiunt, ut nimirum, a temporalibus sollicitudinibus expediti, suae aliorumque sanctificationi toto corde incumbant: hanc igitur negligentes injuste benefactorum eleemosynas consumunt. Clare id docet *S. Thomas* (2. 2, Q. 157, Art. 4) dicens: « Quia hujusmodi beneficia Religiosis videntur esse « collata ad hoc, quod liberius religiosis actibus insistere possint, « quorum cupiunt se fore participes, qui temporalia subministrant; « redderetur eis usus praedictorum donorum illicitus, si ab actibus « religiosis desisterent: quia sic, quantum est de se, defraudarent « intentionem eorum, qui talia beneficia contulerunt ». Magni momenti etiam est, ut Fratres per bona exempla mundum aedificent. Si enim Christus in genere discipulis suis dicit: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in coelis est* (Matth. 5); quanto magis ad hoc illi obligati censendi sunt, qui majoris perfectionis statum profitentur? — Fratres itaque, perfectionem religiosam negligentes, gravissimo officio desunt, et aliena beneficentia se indignos reddunt. Ideo ex justissima divinae Providentiae ordinatione contingere solet, ut Fratres in regulari observantia ferventes eleemosynis abundent; a via autem perfectionis recedentes penuriam patiantur. Id jam S. Pater praedixit per memoratu digna verba: « Commercium est « inter mundum et Fratres. Debent enim ipsi mundo bonum exem- « plum; debet eis mundus provisionem necessitatum. Quando autem « ipsi retraxerint bonum exemplum fide mentita, retrahet mundus « manum justa censura » (Wadding. ann. 1210, n. 50) (1).

2. Altera conditio ad mendicationem requisita est, ut Fratres vere pauperes sint, et rebus mendicandis indigeant. Communiter enim

(1) Bonum exemplum hodie praesertim importat etiam assiduitatem sacri ministerii. Unde indigni sunt eleemosynarum fructibus, qui nolunt fidelibus spirituale juvamen praedicationis et confessionum exhibere. Et falso allegarent rationem contemplationis, nam Sancti Ordinis nostri contemplationi quidem vacabant, sed etiam quammaxime in vinea Domini laborabant.

homines nonnisi egenos beneficentia sua sublevare volunt; et non immerito indignantur, si quis, pauperem se simulans, ab ipsis eleemosynam, qua non indiget, petit et accipit. Ipsis etiam Fratribus Minoribus dona sua ex hac potissimum ratione offerunt, quia illos pauperes, mendicos, alieno auxilio indigentes supponunt. Maximi ergo momenti est, ut Fratres suo mendicitatis statui fideliter insistant, seu paupertatem a Regula praescriptam exacte observent; alias enim haud recte eleemosynas petunt et accipiunt, sed has aliis pauperibus inique praeripiunt; et sic ex justo Dei consilio saepe contingit, ut refrigescentibus benefactorum animis, ne necessaria quidem ipsis porrigantur. Id quoque *S. Franciscus* praedixit (Opusc. S. P., Coll. 5) dicens: « Quantum itaque Fratres declinabunt a paupertate, tantum « mundus declinabit ab eis; et quaerent, et non invenient. Si vero « Dominam meam paupertatem complexi fuerint, mundus eos nutriet, « quia mundo dati sunt ad salutem ». Attendant Fratres hoc dictum, atque usum moderatum in aedificiis, in Ecclesiis, in victu, etc., excedere formident. Neque etiam mendicatio suscipienda est, nisi necessitas vel praesens, vel imminens compellat: si ergo per mercedem laboris, aut per spontaneas oblationes pro necessariis ad usum moderatum jam satis provisum est, tunc, ait *Viator a Coc.*, mendicationem instituere non licet; nam, ait *Cajetanus M.*, superfluum quaerere est verum furtum committere (1), quo, ut *S. Bonaventura* dicit, alii pauperes spoliantur. Speciali autem tractatione opus est, ut ostendatur, quid superfluum censendum, et qualis provisio licita habenda sit.

§ 99.

II. De provisionibus per mendicationem procurandis.

Non licet Fratribus Minoribus superflua colligere, aut magnam rerum necessariarum copiam accumulare, quae per longum tempus sufficiat. Id enim tum statui paupertatis, qui ab omni rerum abun-

(1) Vera violatio justitiae difficulter habetur in hujusmodi raris et quotidie necessario rarioribus casibus. Nec minus reprehensibilis dicendus, qui superflua quaerit cum violatione propriae professionis. Sed in foro conscientiae non debent uti *vera furta* damnari, quae talia non sunt in rigore juris. Unde quando dicitur furtum, fures, etc., in similibus adjunctis, id fit ex quadam similitudine et quasi *ad instar*, non vero in sensu proprio.

dantia remotus est, tum confidentiae in divinam providentiam contradicit, quae exigit, ut in crastinum solliciti non simus. Ex hoc autem, ut recte observat *Bernardus Bonon.*, non sequitur, quod omnis rerum necessariarum provisio, etiam pro longiori tempore procuranda, Fratribus Minoribus interdicatur; nam ipsi statui paupertatis, cui media desunt necessaria quovis tempore sibi providendi, competit, congruas suae indigentiae subveniendi occasiones arripere; et confidentiae in divinam providentiam nimis timida et anxia, non autem prudens et discreta sollicitudo opponitur, qua per honesta media moderate necessaria vitae procurantur. Ideo etiam *S. Augustinus* (l. de op. Monach. c. 27, n. 35) dicit: « Si et nos per aliquam « infirmitatem vel occupationem non possumus operari, sic ille nos « pascet et vestiet, quemadmodum aves et lilia, quae nihil operantur « hujuscemodi. Cum autem possumus, non debemus tentare Deum « nostrum; quia et hoc, quod possumus, ejus munere possumus, et « cum hinc vivimus, illo largiente vivimus, qui largitus est, ut pos« simus ». Media ergo via incedendum est, ut superfluorum accumulatio vitetur, necessariorum vero moderata provisio fiat. — Difficile sane est, accurate determinare, quid superfluum, quid necessarium sit, et quaenam provisio nimis magna, quaenam vero moderata et sufficiens dici debeat. Hoc vero judicium spectat ad Superiores: quibus enim cura et gubernatio familiae religiosae incumbit, isti etiam dignoscere possunt et debent, quid ei necessarium, quid vero superfluum sit. *Clemens V* ideo (*Exivi* et *Licet vero*) dicit: « Hoc « vero (i. e. examen de provisione facienda) Ministrorum et Custo« dum simul, et separatim in suis administrationibus (cum Guardiani, « et duorum de Conventu discretorum Sacerdotum, et antiquorum in « Ordine Fratrum consilio et assensu) duximus judicio relinquendum, « eorum super hoc specialiter conscientiam onerantes ». Judicio autem Superiorum subditi se tuto submittere possunt et debent; quod clare docet *Bernardinus Sen.* (in decl. Reg., n. 7) dicens: « In omnibus « dubiis, de quibus Subditi non possunt indubitanter declarare, te« nentur stare judicio Praelatorum suorum: — propterea contrarium « agentes sunt transgressores obedientiae, et digne a Superioribus « censura ecclesiastica, vel alia decenti poena castigantur ». — Pro quantitate autem provisionis, quam per mendicationem procurare liceat, vix regula generalis statui potest. *Quatuor Magistri* (in c. 6) equidem sequentem proponunt: « Possunt Fratres moderate sibi in « posterum providere, nec rerum qualitate vel quantitate in provi-

« sione, quam faciunt de rebus necessariis, forma paupertatis exceda-« tur ». Haec autem regula omnino generalis non sufficit, ut Supe-« riores in variis rerum circumstantiis dignoscant, qualis provisio ut superflua vitanda, et qualis ut necessaria procuranda sit: ideo *Viator a Coc.* (in c. 6, Exp. 18) alias quasdam regulas proponit, juxta quas judicium Superiorum dirigi possit. Ait enim:

1. Attendenda est quantitas familiae, et qualitas rerum, quarum provisio facienda est. Quo major est familia, eo major provisio necessaria, atque ideo etiam licita est. — Res autem illae, quae quovis tempore ope mendicationis acquiri possunt, non sunt in magna quantitate colligendae: sed etiam istas non decet in tam parva quantitate colligere, ut ob scrupulosum paupertatis studium Fratres vel inopiam pati, vel quotidie ad mendicandum excurrere debeant; tali enim modo sine justa causa horum spiritus dissipatur, et benefactores moleste vexantur. Sapienter ideo *Constitutiones nostrae* (cap. 6) jubent, « provisiones, licet necessarias, pro victu humano non facere earum « rerum, quae quotidie emendicari possunt, nisi pro paucis quibus-« dam diebus juxta indigentias temporum et locorum ».

2. In genere loquendo Fratribus Minoribus non licet habere granaria aut cellaria, in quibus pro longo tempore, aut pro toto anno granum tempore messis, aut vinum tempore vindemiae collectum reservetur, si haec ad victum requisita per quotidianam mendicationem obtineri possunt: si autem ab ipsa experientia satis constet, praedicta per quotidianam mendicationem obtineri non posse, tunc granaria et cellaria licita sunt, in quibus necessaria provisio reservetur. Id declaravit *Clemens V* (art. 9) dicens: « Non est verisimile, voluisse « ipsum (S. Franciscum), eos habere granaria vel cellaria ubi quo-« tidianis mendicationibus deberent sperare posse transigere vitam « suam. Et idcirco non ex timore levi laxare se debent ad congre-« gationes et conservationes hujusmodi faciendas; sed tunc tantum, « cum esset multum credibile ex jam expertis, quod non possent « vitae necessaria aliter invenire ». Ridicula autem distinctio (1), et inane effugium est, si loca, in quibus granum, vinum, oleum, vel alia reservantur, non jam granaria vel cellaria dicantur, sed reservatoria appellentur, aut alio nomine insigniantur: nominis enim hic, non rei distinctio habetur; et non puto, coram tribunali divino eum excu-

(1) Imo vera hypocrisis omnino odiosa.

sandum fore, qui dixerit, se non in granarium vel cellarium, sed in reservatorium nimiam rerum quantitatem reposuisse.

3. Magni momenti est, ut etiam ad conditionem locorum et ad consuetudinem regionis, in qua conventus situs est, rite attendatur. Si enim Fratres in tali loco commorentur, in quo, experientia teste, res quaedam ad victum necessaria solummodo certo quodam tempore obtineri potest, et alio tempore frustra quaereretur, major illius provisio necessaria, et propterea etiam licita est. Idem dicendum est, si in quadam regione diuturna jam consuetudo invaluit statuto tempore majorem alicujus rei, Fratribus vere necessariae, collectionem instituendi: talis consuetudo, jam dudum introducta, tuta conscientia continuari potest; tum quia jure praesumitur, eam a doctis et timoratibus Superioribus, aut etiam a Capitulo generali examinatam et approbatam fuisse; tum quia, consuetudine mutata, vix spes affulgeret, aliis temporibus per mendicationem eamdem rei quantitatem obtinendi.

4. Cum Rom. Pontifices vitam communem praecipue quoad victum maxime commendaverint, pro regula etiam statui potest, quod tanta rerum provisio licita sit, quanta requiritur ad consuetum et communem victum omnibus suppeditandum. Id dijudicandum est a Superiore per experientiam edocto, qui autem cavere debet, ne ex nimis anxia sollicitudine, aut ex vano possibilis penuriae timore magnam rerum copiam accumulet; quia etiam ad moderatam provisionem verae et imminentis penuriae praevisio requiritur. Eodem modo autem Superiores etiam cavere debent, ne hac in re nimis scrupulose procedant: dummodo enim ex solidis rationibus necessitatem quamdam agnoscant, et excessus in facta provisione non nimis patulus sit, quoad conscientiam suam quieti esse possunt. Cum enim *Concilium Tridentinum* omnibus Superioribus obligationem imposuerit cavendi, ne quid necessarii Fratribus desit, inanes scrupulositates sustulisse videtur (1). Haec autem dicta sunt pro Superioribus; nam subditi non eodem modo excusari possunt, si magnam cujusdam rei quantitatem accumulent, quae pro usu suo privato per longum tempus sufficiat.

(1) Quia in talibus adjunctis tales scrupulositates pacem perturbarent, et saepe importabile redderent Superioritatis jugum; Superior scrupulosus in concessione rerum usui Fratrum necessariarum potius nocet quam prodest illis, quibus praeest. Sancti erant rigidi pro seipsis, sed faciles ac benigni pro aliis.

5. Si res quaedam necessaria certis tantum temporibus haberi potest, ejusdem tanta provisio licita est, quanta requiritur usque ad tempus pro nova provisione opportunum. Juxta hanc regulam hincinde etiam provisio pro integro anno licita esse potest, non tamen sine judicio et approbatione Superiorum. — *Sanctes* equidem dicit, ne tunc quidem magnam rei provisionem licitam esse, si praevidetur, quod eadem res alio tempore per recursum ad pecuniam procuranda sit; et putat, quod recursus iste magnae provisioni praeferendus sit. Sed *Bernardus Bon.*, solide hanc sententiam refutat, quia contraria est tum verae paupertatis indoli, quae res non emere solet, quas — etsi non sine difficultate — donatas accipere potest, tum declarationi Clementis V, qui non recursum ad pecuniam, sed etiam granaria et cellaria, seu provisionem pro longiori tempore permittit, si « non possent vitae necessaria aliter inveniri ». Ergo pro regula potius statuendum est, majorem provisionem licitam esse, si alias ad pecuniam recurrendum esset. Si autem res quaedam quovis tempore solummodo per recursum obtineri potest, nonnulli putant, quod major illius provisio licita sit, si praevideatur, quod subsequenti tempore multo majori pretio comparanda esset. Hanc vero sententiam *Viator a Cocaleo* a sapientia mundi dictatam dicit, et rejiciendam esse putat, quia recursus solummodo in necessitate praesenti, vel imminenti licitus est, quia pauperes communiter tales provisiones ope pecuniae perficere nequeunt, et quia Fratres Minores non tam a prudentia mundana, quam a providentia divina et charitate fidelium omnia sperare debent (1).

§ 100.

III. **Modus mendicationem perficiendi.**

Qui a Superioribus ad perficiendam mendicationem obligantur, in hoc suo munere praecipue *humilitatem, obedientiam, confidentiam in Deum,* et *modestiam religiosam* exercere debent.

1. Ab hominibus, hincinde etiam ignobilibus et rudibus, victum ostiatim petere, arrogantiae humanae durum videtur. Idcirco in mendicantibus spiritus humilitatis requiritur, quem S. Pater commendat

(1) Iterum attende ad conditiones locorum et regionum.

dicens: *in paupertate, et humilitate — vadant pro eleemosyna — nec oportet eos verecundari, quia Dominus pro nobis se fecit pauperem in hoc mundo.* Cogitare ergo debent Fratres, quod ex amore Christi pauperes facti sint, et quod ideo per mendicationem actum humilitatis exercere velint, ut divinum Redemptorem imitentur, *qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem,* maximi opprobrii signum, *confusione contempta* (Hebr. 12, 2). Qui ergo mendicationem, utpote suae personae vel dignitati non convenientem, recusant, humilitate carent, et de cruce Christi erubescunt. Spiritus humilitatis in ipsa etiam mendicatione semper ostendendus est: humiliter ergo benefactores implorandi sunt, ut ex charitate nobis subvenire dignentur; et valde cavendum est, ne audaci, aut imperioso modo illorum dona, quasi ex justitia debita, poscantur. Humilitas, pauperibus conveniens, exigit, ut pro omnibus donis acceptis, quamvis forte vilibus et parvis, consuetae gratiae agantur. Imo si etiam Fratres mendicantes quodam in loco nihil accipiant, vel etiam contemnantur, aut contumeliis afficiantur, caveant, ne irascantur, aut de illata injuria conquerantur; sed humiliationem patienter perferant ad imitationem Christi opprobriis saturati, et os suum non aperientis.

2. Nunquam mendicatio est suscipienda sine licentia Superioris, ad quem spectat judicare, an res quaerenda necessaria sit, an non. Magnae quoque inordinationes sequerentur, si Fratribus, inscio Superiore, vel pro se, vel pro conventu mendicationes instituere liceret; nam benefactores misere vexarentur, et inter ipsos Fratres invidiarum et rixarum semina spargerentur. Idcirco in *Constit. Farinerii,* cap. 5, dicitur: « Fratres nihil sibi requirant in locis, in quibus « morantur, sine licentia Guardiani » (1). Frater autem, cui mendicatio injungitur, statim promptum se exhibere debet ad illam ex obedientia debito modo perficiendam. Oportet ergo, ut ad ea omnia, et ad ea tantum loca accedat, quae a Superiore pro mendicatione denominata fuere, et ut in iisdem non longiori tempore commoretur, quam vel determinatio Superioris, vel consuetudo, vel necessitas poposcerit. Obedientia etiam exigit, ut in mendicatione debita diligentia adhibeatur: contra obedientiam ergo peccat, non qui ob physicam aut moralem impossibilitatem, sed qui ob leves difficultates, ex pigritia,

(1) Guardiani vero non facile concedant tales licentias, et quantum fieri possit, mittant, ad benefactorem ordinarium collectorem, potius quam Fratres singulos.

aut ex sola commoditate ad loca sibi denominata, vel saltem indirecte indigitata non accedit. Idem dicendum est de eo, qui dona a benefactoribus oblata, et conventui necessaria sine justa causa acceptare recusat (1); talis enim, ait *Philippus a Cast.* (Praec. em. III, art. 9), tum charitatem Fratribus, tum obedientiam Superiori debitam laedit, et facile etiam ipsos benefactores graviter offendit. Aliud vero dicendum foret, si ex justis motivis acceptatio recusaretur, e. g. quia dans ipse in magna egestate versatur, vel quia ex acceptatione gravia inconvenientia sequerentur, etc. Econtra qui plus colligere satagit, quam a Superiore permissum fuit, tum obedientiam, tum etiam paupertatem violat (2).

3. Dum Fratres mendicationi insistunt, confidentiam suam non tam in hominibus, quam potius in Deo reponere debent, qui corda hominum ad misericordiam inflectit. Ideo S. Pater dicit: *vadant pro eleemosyna confidenter.* Fratres Minores ergo sibi specialiter dictum putent, quod S. Petrus omnibus Christianis acclamat, dicens: *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis* (I. Petr. 5, 7). Confidentia in hominibus saepe fallit, spes in Deo non confundit: ergo *bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine* (Ps. 113). — Mendicantes autem non solum quoad eleemosynam temporalem, sed etiam quoad salutem suam spiritualem in Deo confidere debent. Negari enim non potest, quod per varia loca circumeuntes, et cum multis hominibus conversantes non solum distractionibus, sed et tentationibus et periculis exponantur; nam ait *S. Leo M.* (S. 4, de Quadr.): « dum per varias « actiones vitae hujus sollicitudo distenditur, necesse est, de mun« dano pulvere etiam religiosa corda sordescere ». Qui vero ex obedientia mendicationi insistunt, confidere debent, quod per gratiam divinam corroborati animae suae detrimentum non patiantur. Confidentia autem haec per orationem est exercenda, quam etiam men-

(1) De justa causa debet judicare Superior, non vero subditus. Unde quando Superior adiri non potest, v. g. in quaestuationibus extra limites civitatum, fiat quod in casu praesumitur respondendum esse ab ipso Superiore. Unde non licet hac in re, opinioni propriae insistendo, Ordinem vel Conventum privare rebus, quae licite acceptabiles judicantur a Praelato.

(2) Intellige: nisi adsit specialis et haud praevisa causa, quae Superiorem (absentem) probabilissime induceret ad licentiam concedendam, quaeque in casu maculam superfluitatis tolleret. Quod non semel potest evenire, quando collectores hinc inde vagantur extra conventum, tempore licitarum vini etc.. provisionum.

dicationis tempore negligere non oportet. Nam etiam ad mendicationem spectat dictum S. Patris (cap. 5): *Fratres laborent fideliter, et devote, ita quod sanctae orationis, et devotionis spiritum non extinguant, cui debent caetera temporalia deservire.* Imo quo majora tali in munere pericula minantur, eo magis Fratres vigilare et orare debent, ut non intrent in tentationem. Oportet ergo, ut non solum praeceptas orationes devote persolvant, sed etiam quotidie saltem per dimidiam horam meditationi insistant, B. V. Mariam colant, praesentiae divinae continuo memores sint, et frequentes preces jaculatorias, praecipue dum de loco in locum transeunt, ad Deum fundant.

4. Maximi momenti est, ut Fratres, dum mendicant, modestiam religiosam ubique observent. Si enim Apostolus omnibus Christianis dicit: *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus* (Phil. 4, 5), quanto magis haec in illis emicare debet, qui mundo valedixerunt, ut altioris perfectionis statum profiteantur? — Dictu horrendum esset, si illi, qui juxta intentionem S. Patris per mundum mittuntur, ut bona eorum exempla alios aedificent, neglecta modestia religiosa Saecularibus scandala praeberent! — Caute ergo Fratres ambulent, ut *in omni conversatione sancti* sint (I. Petr. 1, 16). Non tantum ab intemperantia et ingluvie, sed etiam ab omnibus jocis et gestibus, Religioso non convenientibus, solerter abstineant. Conversationem cum feminis, praecipue si solae inveniantur, quantum fieri potest, declinent; et si cum istis sermocinandum est, non nimiam familiaritatem ostendant, neque in loquendo nimis blandos tenerosque affectus prodant. Caveant Fratres, ne curiose aliorum facta inquirant, aut negotiis saecularibus se immisceant; nam *nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus* (II. Tim. 2, 4). Caveant etiam, ne jactanter de se, aut male de aliis loquantur; quia per vanam jactantiam, et multo magis per malignas detractiones maxima scandala praeberent. Caveant denique ab omnibus, quae modestiae religiosae opponuntur, uti a nimia et importuna loquacitate, a puerili petulantia, ab incompositis gestibus etc.; omnes autem observent monitum, quod *S. Augustinus* (in Reg.) Religiosis dedit, dicens: « In incessu, statu, habitu, et in omnibus motibus vestris nihil fiat, « quod cujusquam offendat aspectum, sed quod vestram deceat sancti- « tatem ». Eodem modo observatu dignissimum est monitum *S. Isidori* (in Syn.) dicentis: « Professionem tuam et habitu, et incessu « demonstra; sit in gressu tuo simplicitas, in motu puritas, in gestu

« gravitas, in incessu honestas »; nam, ait *S. Ambrosius* (de Offic.), « ne cursim ambulare honestum arbitror, nisi cum causa exigit alicu- « jus periculi, vel justa necessitas » (V. *S. Bonav.* Pharetr. l. 2, c. 41).

ARTICULUS VII.

§ 101.

De seraphicae paupertatis excellentia.

TEXTUS. *Haec est illa celsitudo altissimae paupertatis, quae vos charissimos Fratres meos haeredes, et Reges regni coelorum instituit; pauperes rebus fecit, virtutibus autem sublimavit. Haec sit portio vestra, quae perducit in terram viventium; cui dilectissimi Fratres totaliter inhaerentes, nihil aliud pro nomine Domini nostri Jesu Christi in perpetuum sub coelo habere velitis.*

S. Franciscus in citatis verbis Fratribus suis gravissima motiva suggerit, paupertatem, quam ipsis praeceperat, fideliter observandi. Magna ideo hujus encomia profert, et ordinatam a se abdicationem omnium rerum tam in speciali, quam in communi *celsitudinem altissimae paupertatis* nominat: « quare altissimae, ait *S. Bonaven-* « *tura,* nisi quia a mundo remotissimae, et per consequens coelorum « regno summe vicinae? — illi etiam vitae aeternae, ut est possibile, « simillimae, ubi nihil terrenum est proprium, vel commune ». Facile sane est, summam seraphicae paupertatis excellentiam ostendere: nam seraphicam paupertatem fideliter observantes 1. *Christo maxime conformes redduntur,* 2. *ad summam perfectionem perducuntur,* et 3. *exoptatissima praemia promerentur.* — Haec motiva sane efficacissima sunt, quae quemlibet Fratrem Minorem impellant ad paupertatem a seraphico Patre in quarto et sexto Regulae capite praeceptam, quamvis naturae humanae gravis videatur, fidelissime observandam.

§ 102.

I. Seraphica paupertas Christi exemplo conformis est.

1. Christum altissimae paupertatis statum exemplo suo nobilitasse, ipsa historia evangelica abunde testatur. Christus enim in extrema paupertate natus est: nam, ait *S. Bernardus* (S. de vit. et pass. Domini), « in ipsa Nativitate non abhorruit abjectissimae « paupertatis gustare incommoda; neque cunabula, quae teneritudi- « nem ejus exciperent, habuit, sed in vili praesepio sordentis stabuli « reclinatus est, et hoc ipsum a brutis animalibus Mater ejus velut « mutuo accepit ». — Christus pauperrime vixit, quod clarissime ipse testatus est dicens: *Vulpes foveas habent, et volucres coeli nidos; Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet* (Matth. 8, 20). Ergo, ait *S. Bonaventura* (Apol. Paup. R. 3, p. 1), « factus est adeo egenus, ut non haberet, quod habent vulpes et volucres ». Christus denique in summa paupertate mortuus est: nam ait *S. Anselmus* (de Sacram.): « Ita pauper fuit Christus, ut vivens in mundo « non haberet, ubi caput reclinaret, nec moriens, unde nuditatem « suam tegeret, nec mortuus, unde involveretur, nec sepulchrum aut « locum, ubi corpus mortuum locaretur ». Nulli quoque Christianorum dubitare licet, Christi paupertatem omnino voluntariam fuisse; nam ait *S. Bonaventura:* « Fuit Christus egenus et mendicus; nec in- « digentiam habuit, nisi quia voluit; nec petiit, nisi quia voluit; « poterat enim, si voluisset, lapides in aurum convertere; sed pau- « pertatis defectus voluntarie pertulit » (Tract. de paupert. Chr., Quaest. 2).

2. S. Franciscus, quoniam nihil ardentius concupivit, nisi ut Christi vestigia perfectissime sequeretur, omnibus, quae habuit aut habere potuit, abdicatis, altissimam paupertatem amplexus est, eamque ita adamavit, ut *S. Bonaventura* de ipso diceret: « nemo thesauri « custodiendi sollicitior, quam ipse cupidus paupertatis, cum a prin- « cipio Religionis usque ad mortem in sola videretur paupertate « gloriari, et egestate gaudere ». Eamdem vero paupertatem seraphicus Pater etiam filiis suis praescripsit, ut et ipsi Christo conformes redderentur; et ne de sua paupertate erubescerent, sed potius gauderent, hanc praecipuam rationem proposuit, *quia Dominus se*

fecit pro nobis pauperem in hoc mundo. Et quis negabit, ex hac potissimum ratione seraphicae paupertatis dignitatem et excellentiam patere? — Certe, si filii hujus saeculi honorificum esse putant, regum principumque terrenorum exempla imitari; multo meliori jure filii lucis, Christo Filio Dei, Regi Regum, et Domino Dominantium conformes fieri, sibi honorificentissimum esse judicabunt. Ex eadem ratione *Nicolaus III* seraphicam paupertatem contra nonnullos criminatores vindicavit, commendavit, et laudibus extulit dicens: « Ne « Fratrum eorumdem perfectionis claritas talium imperitis sermonibus « laceretur, dicimus, quod abdicatio proprietatis hujusmodi omnium « rerum tam in speciali, quam in communi propter Deum meritoria « est et sancta, quam Christus, viam perfectionis ostendens, verbo « docuit et exemplo firmavit, quamque primi Fundatores Militantis « Ecclesiae, prout ab ipso fonte hauserant, volentes perfecte vivere, « per doctrinae ac vitae ipsorum alveos in eos derivarunt » (*Exiit.*, Art. II).

3. Magni momenti est, ut Religiosi omnes, et praecipue Fratres Minores paupertatem Christi frequenter et attente considerent; haec enim pia meditatio efficiet, ut paupertatem, quam professi sunt, ament, et ipsa etiam paupertatis incommoda non tantum patienter, sed et cum sancto gaudio sustineant. Ideo Ordinum Fundatores alumnis suis Christum pauperem frequenter ante oculos proposuerunt, ejusdemque imitationem enixe commendaverunt. Sic *S. Bernardus* (Opusc. *Ad quid venisti*) ait: « Paupertas Christi amica placeat in omnibus, « et ipsam summo conatu amplectamur in cibis, in vestibus, in uten« silibus, in libris, in aedificiis, in omnibus ». Et *S. Augustinus* (Serm. 40, ad Fratres) inquit: « Colamus Christum pauperem... Ame« mus, Fratres, summam Christi paupertatem, ne in nostra sancta « Religione mutetur color optimus, et dispergantur lapides Sanctuarii « nostri ». Haec dicta a Fratribus Min. eo magis pensanda sunt, quo perfectior est paupertas, ad quam vi professionis suae pro Christi imitatione obligantur.

§ 103.

II. Seraphica paupertas ad summam perfectionem perducit.

1. Christus ipse omnium rerum temporalium abdicationem, seu voluntariam paupertatem, tamquam efficacissimum ad perfectionem

perveniendi medium proposuit juveni multas possessiones habenti, dicens: *Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelo; et veni, sequere me* (Matth. 19, 21). Perfectio equidem non in paupertate, sed in charitate consistit; sed maximum hujus impedimentum est cupiditas, seu inordinatus bonorum terrenorum amor, qui per voluntariam paupertatem reprimitur. Nam ait Apostolus (I. Tim. 6, 10): *Radix omnium malorum est cupiditas;* « haec, ait *S. Augustinus,* una omnium ma- « lorum est radix; ne aliam radicem quaeras; frustra aliud aliquid « quaeritur mali genus » (lib. c. Fortun., Disp. 2). Cupiditas sane efficit, ut homo rerum coelestium quasi oblitus bona tantum terrena, perituraque divitias maximi aestimet, et inordinato affectu quaerat; quas si abunde possidet, in superbiam efferri, proximum suum contemnere ac negligere, suisque tantum commodis, deliciis, et voluptatibus inhaerere solet. Ad maximum hoc perfectionis impedimentum, ac omnium vitiorum seminarium e medio tollendum, universi Ordinum Fundatores discipulis suis paupertatis votum injunxerunt, ita ut saltem in particulari nihil proprii possidere possint. Quoniam vero etiam proprietas, quae in communi habetur, hinc inde tum superbiae stimulus, tum avaritiae fomes, tum commodorum ac deliciarum lenocinium fieri potest, S. Franciscus ulterius processit, Fratribus suis omnem proprietatem non solum in speciali, sed etiam in communi interdixit, pecuniam penitus prohibuit, et in nonnullis usum arctum, in caeteris usum moderatum praescripsit. Quis igitur non videat, seraphicam paupertatem modo efficacissimo in id tendere, ut cupiditas penitus e corde eliminetur. Hac ipsa de causa vero ad summum perfectionis apicem viam sternit. Hoc ipsum docet *S. Bonaventura,* qui (Tract. de Paup. Christi, Quaest. 1) ait: « Perfectio principaliter consistit « in charitate, et illa potissimum perfecta est, quando omnis exclu- « ditur cupiditas, quae est venenum charitatis. Cupiditatem autem « omnino foras mittit, qui omnia re et voluntate relinquit. Hinc « sicut radix omnium malorum est cupiditas, sic radix et principium « perfectionis est altissima paupertas ».

2. Ut quis ad summum perfectionis apicem pertingat, non tantum vitia declinare, sed etiam virtutes exercere debet. Seraphica vero paupertas istas quoque in genuinis suis sectatoribus mire promovet. Id ipse S. Pater testatur, dum de altissima paupertate loquens dicit: *Haec vos — pauperes rebus fecit, virtutibus autem sublimavit.* Et sane sicut temporalium rerum abundantia superbiam, ita paupertas

humilitatem parit, et nutrit: nam ait *S. Thomas* (2. 2, Q. 19, art. 1): « Paupertas deservit ad humilitatem: inter omnia enim, « quae hominem in hoc mundo despectum faciunt, est paupertas »; et « humiliatio exterior, addit *S. Bonaventura* (Apol. Paup. 3. R., « p. 3, art. 1), plurimum confert ad perfectionem verae humilitatis « in corde ». « Necesse enim est, ait *Politius*, ut qui de alieno vivit, « omnibus se subjiciat et humiliet propter Deum; cujus gratia S. Pa- « ter dum suos Fratres ad mendicandum instituit, Minores vocat, « quoniam omnibus hominibus minores nos facimus, dum ab eis « necessaria vitae mendicamus ». Paupertas etiam *obedientiam* promptiorem reddit: quia cor ab inordinatis ad res externas affectionibus purgat, quae saepe saepius efficiunt, ut animus contra Superiorum mandata obluctetur. — Paupertas seraphica individuum comitem *temperantiam* et *mortificationem* habet; qui enim ad usum moderatum in victu obligatur, et ex alieno vivit mendicando, necesse est, ut semper temperantiam, et frequenter, variis vitae commodis carens, mortificationem exerceat. Hac de causa per paupertatem *castitas* quoque immaculata servatur; quia per temperantiam et mortificationem caro teritur, et corpus in servitutem spiritus redigitur. Porro *charitas fraterna* mire per paupertatem promovetur; quae e medio tollit *meum* et *tuum* — frigidum illud verbum, et quae, cum rerum terrenarum cupiditatem reprimit, discordiarum rixarumque fontes obstruit: ideo (Act. 4, 32) legitur: *Multitudinis autem credentium erat cor unum, et anima una.* Tam admirabilis autem unionis, ait *Cajetanus M. a Berg.* (Instr. 1, art. 1), causam S. Lucas assignat, statim subjungendo: *nec quisquam eorum, quae possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.* Paupertatis status cum continuo firmae in Deum *confidentiae* exercitio est conjunctus: qui enim nil proprii possidet, et provisionibus pro tempore futuro caret, quid faciet, nisi ut divinae providentiae se committat, et omnia necessaria ab Illo speret, qui dat escam omni carni? Praebet insuper paupertas *orandi et contemplandi* commoditatem; nam dum omnem sollicitudinem noxiam, timorem, curam, amoremque temporalium excludit, animum reddit aptissimum ad contemplanda divina, et adhaerendum *in perfecta charitate* Deo, qui fons est omnium bonorum, a quo omnes verae virtutes in nos emanant. — Quia ergo paupertas seraphica efficit, ut non solum vitia eradicentur, sed etiam praeclarissimae virtutes exerceantur, dubitari haud potest, quod ipsa ad summam perfectionem perducat. Si autem non omnes, qui altis-

simam paupertatem profitentur, ad summam perfectionem perveniunt, id ex eo potissimum repetendum est, quia paupertatem, quam voverunt, vel in effectu, vel in affectu, vel saltem in uso rerum haud debito modo observant (1). Ex eadem fere causa etiam *S. Bonaventura* inordinationes repetiit, quas jam suo tempore in seraphica Religione animadvertit; nam (Ep. 2, ad Min.) scribit: « Sane perquirenti mihi causas, cur « splendor nostri Ordinis quodammodo obscuratur, Ordo exterius in- « ficitur, et nitor conscientiarum interius defoedatur; occurrit, quod « pecunia, nostri Ordinis paupertati super omnia inimica, avide pe- « titur, incaute recipitur, et incautius pertractatur ».

§ 104.

III. **Seraphica paupertas maxima praemia promeretur.**

1. Magna esse praemia eorum, qui omnibus bonis terrenis ex amore Dei renuntiantes voluntariam paupertatem sectantur, Christus ipse testatur dicens: *Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit* (Matth. 19, 29). Praemium centuplum jure ad hanc quoque vitam refertur, quod apparet ex loco parallelo (Marc. 10, 29), in quo dicitur: *Nemo est, qui reliquerit domum,* etc., *qui non accipiat centies tantum nunc in tempore hoc.* Hujus promissionis veritatem jam experti sunt Apostoli: Christus enim hos interrogavit: *Quando misi vos sine sacculo, et pera, numquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: Nihil* (Luc. 22, 35). Hoc idem etiam Fratres Minores, Regulae suae fideliter inhaerentes, experiuntur, ita ut cum Apostolo confiteri debeant, se esse *tanquam nihil habentes, et omnia possidentes* (II. Cor. 6, 10). Egregie etiam centuplum praemium, quo Religiosi jam in hac vita remunerantur, ostendit *Abb. Abraham* (ap. *Cassianum,* coll. 24, c. 2) dicens: « Multiplicata do- « morum possessione ditabitur, quisquis una domo pro Christi di-

(1) Vel etiam quia paupertatem observant in rebus, sed proprio judicio innixi, nolunt humiliter subesse, neque vere pauperes spiritu esse. Paupertas socias habet semper subiectionem, humilitatem et obedientiam non fictam cum fraterna charitate. O beati tales pauperes!

« lectione relicta, innumera monasteriorum habitacula possidebit in « quacunque orbis parte. Centuplum patrum, parentumque recipiet « quantitatem, quisquis patris unius pro Christi nomine charitate « contempta in omnium transit dilectionem, pro uno tot inveniens « patres, fratresque praestantiore sibi affectione devinctos. Id ve- « stris experimentis probare potuistis, qui patribus, domibusque « derelictis, quamlibet mundi partem fueritis ingressi, innumeros « conquiritis, qui vos summis suscipiunt, amplectuntur, fovent, ve- « nerantur officiis. Nec sumus ita parentum solatio destituti, ut de- « sint, qui de suis substantiis sustentare nos gaudent, et promptis- « sima largitate necessitatibus nostris cum gratiarum actione submi- « nistrant ». Accedit, quod paupertati addictus a multis hujus saeculi curis, timoribus, invidiis, discordiis, molestisque vexationibus liber maneat, ac demum per abundantiorem gratiae divinae rorem magnas in corde consolationes spirituales recipiat; quod testatur *S. Hieronymus,* dum de centuplici praemio dicit: « Sensus iste est: « qui carnalia pro Salvatore dimiserit, spiritualia recipiet, quae com- « paratione et merito sui ita erunt, quasi si parvo numero centena- « rius numerus comparetur ».

2. Seraphicam paupertatem sincero corde sectantibus ipse Christus vitam aeternam, et regnum coelorum promittit; ait enim (l. c.): *Omnis qui reliquerit domum,* etc., *vitam aeternam possidebit;* et (Matth. 5, 3) exclamat: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum.* Notandum hic est, ait *Cajetanus M. a Berg.* (Instr. I, art. 1), quod Christus non dicat: ipsorum erit, sed ipsorum *est* regnum coelorum: in reliquis enim beatitudinibus futuram, in prima et ultima autem, i. e. pauperibus spiritu et Martyribus, praesentem mercedem promittit, ostendens, quod pauperes, sicut Martyres, quamvis regnum coelorum actu nondum possideant, illius tamen domini sunt, sicut regius pupillus, sub tutoribus constitutus, regni dominus est. Ideo S. Pater de altissima paupertate dicit: *Quae vos charissimos Fratres meos, haeredes, et Reges regni coelorum instituit.* Mirum proinde non est, quod eamdem paupertatem summo studio commendet, dicens: *Haec sit portio vestra, quae perducit in terram viventium; cui dilectissimi Fratres totaliter inhaerentes, nihil aliud pro nomine D. N. J. Chr. in perpetuum sub coelo habere velitis.*

3. Pro conclusione citari meretur locus *S. Bonaventurae,* qui quasi in nucleo paupertatis seraphicae motiva et emolumenta pro-

ponit. Ait enim S. Doctor: « Multis de causis Ordo nil proprium « possidet in hoc mundo; 1. ut vestigia Christi perfectius imitemur « juxta Matth. 19: *Si vis perfectus esse* etc.; 2. ut laqueos ava- « ritiae facilius declinemus; nam *qui volunt divites fieri, incident « in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia « et nociva, quae mergunt homines in interitum, et perditionem* « (I. Tim. 6); 3. ut culpas superfluitatis plenius expiemus; unde « Prov. (6, 31) dicitur: *deprehensus reddet septuplum, et omnem « substantiam domus suae tradet;* 4. ut altioris meriti gloriam « consequamur per varias virtutes paupertatis, nam *beati paupe- « res* etc.; 5. ut liberiores simus mente ad spiritualia studia orationis, « contemplationis, lectionis; quare dicit Dominus: *Nolite possidere « aurum* etc.; 6. ut praedicationis studio expeditius intendamus; « 7. ut verbum Dei minus trepide omnibus proponamus; 8. ut magis « confidere omnes in eum sperantes doceamus; 9. ut occasione pe- « tendae eleemosynae ad aliorum aedificationem frequentius exeamus; « 10. ut qui nobis subveniunt in temporalibus, fiducialius spiritualia « requirant; 11. ut magis cauti simus ab omni scandalo, quo magis « timemus in temporalibus deperire; 12. ut tanto humiliores simus, « quanto magis aliorum subsidio indigemus; et quia spiritualia Fi- « delibus seminamus, non tantum ex gratia ab eis carnalia subsidia « exspectamus: nam *dignus est operarius mercede sua* » (Determ. quaest. in Reg., quaest. 4). (1).

---

(1) Ergo toto cordis affectu seraphicam teneamus paupertatem, illam ardenter desideremus, et ad tantam gratiam obtinendam humiliter oremus cum Patriarcha pauperum, dicentes: « O Domine Jesu, ostende mihi semitas tuae dilectissimae Paupertatis. Scio enim, quod Testamentum vetus novi fuit figura. Illis promisisti: *Quia omnis locus, quem calcaverit pes vester, vester erit* (Deuter. XI, 24). Calcare est contemnere; paupertas omnia calcat; ergo omnium est Regina. Sed, Domine mi, pie Jesu Christe, miserere mei, et dominae Paupertatis; nam et ego ejus amore anxior, nec sine ipsa requiescere possum. Domine mi, tu nosti, qui me de ista inamorasti. Sed et ipsa sedet in tristitia, ab omnibus repulsa; facta est quasi mulier vidua domina gentium (Thren. I, 1); vilis, et contemptibilis, dum omnium Regina virtutum: et conqueritur in sterquilinio, quod omnes amici ejus spreverunt eam, et facti sunt ejus inimici, et ipsos probavit jamdiu esse adulteros, et non sponsos.

Vide, Domine Jesu, quia paupertas pro tanto est Regina virtutum, pro quanto relictis Angelorum sedibus descendisti ad terras, ut ipsam posses charitate perpetua desponsare, et omnes perfectionis filios in ipsa, et ex ipsa, et per ipsam producere: quae et tibi cum tanta fidelitate adhaesit, quod et in matris utero

ARTICULUS VIII.

§ 105.

De mutua Fratrum charitate.

Non sine ratione S. Pater praeceptis suis de altissima paupertate servanda etiam exhortationes adjunxit, quibus mutua Fratrum charitas commendatur. Haec enim paupertatis amaritudinem edulcare, ejus incommoda lenire, et Fratribus persuadere debet, quod in suis

---

inchoavit suum obsequium, dum corpus animatum habuisti omnium minimum. Sed et orientem ex utero in praesepio sancto recepit et stabulo; et conversantem in mundo sic omnibus te privavit, ut capitis reclinatorio faceret te carere. Sed et fidelissima consors, dum ad bellum nostrae redemptionis accederes, te est comitata fideliter, et in ipso passionis conflictu individuus armiger astitit; et discipulis recedentibus, et negantibus nomen tuum, ipsa non discessit, sed te nunc cum toto comitatu suorum Principum fideliter sociavit.

Imo ipsa matre propter altitudinem crucis (quae tamen te sola tunc fideliter coluit, et affectu anxio tuis passionibus juncta fuit), ipsa (inquam) tali matre te non valente contingere, domina Paupertas cum omnibus suis penuriis, tamquam tibi gratissimus domicellus, te plusquam unquam fuit strictius amplexata, et tuo cruciatu praecordialius juncta. Propter quod nec sibi vacavit crucem polire, nec rusticano more componere; et ipsos clavos (ut creditur) non in sufficienti numero vulneribus fabricavit, nec ipsos exacuit, nec polivit; sed tres rudes, et asperos, et obtusos ad adjuvandum tuum supplicium praeparavit. Et dum sitis morereris ardore, ipsa fidelis sponsa sollicite adfuit, ut nec modicum aquae posses habere; sed et per satellites impios tantae amaritudinis confecit poculum, quod gustare potius potuisti, quam bibere. In hujus igitur sponsae strictis amplexibus animam amisisti.

Sed nec ipsa fidelis sponsa tuis defuit exequiis sepulturae; nec tibi aliquid in sepulcro, in unguentis, in linteis habere permisit, nisi ab aliis mutuatum. Nec haec sanctissima sponsa tuae resurrectioni defuit; quia in ejus amplexu gloriose resurgens, in sepulcro omne mutuatum et adventitium reliquisti. Hanc tecum asportasti ad coelos, mundanis relinquens omnia, quae sunt mundi. Et tunc dominae Paupertati signaculum regni coelorum, ad signandum electos volentes incedere per perfectionis semitam, reliquisti.

O quis non diligat dominam Paupertatem hanc prae omnibus? A te peto hoc privilegio consignari; exopto hoc thesauro ditari; postulo, ut mihi et meis in aeternum sit proprium, pauperrime Jesu, propter nomen tuum nihil posse sub coelo proprium possidere, et alienis rebus semper cum usus penuria, dum vivit caro misera, sustentari. Amen. » (*Opusc. S. Francisci.*)

necessitatibus et praecipue in infirmitatibus requisita solatia et auxilia inventuri sint. Ideo *S. Bonaventura* praedictas S. Patris exhortationes exponens ait: « Quia Fratribus de paupertate necessaria « est fraterna consolatio, addit: *et ubicunque sunt* etc.; ostendens, « qualiter se debent habere ad alios, et primo ad sanos, et secundo « ad aegrotos ». Agendum proinde hic est 1. *de mutua charitate in genere,* et 2. *de charitate erga infirmos in specie.*

§ 106.

I. De mutua Fratrum charitate in genere.

TEXTUS. *Et ubicunque sunt et se invenerint Fratres, ostendant se domesticos invicem inter se, et secure manifestet unus alteri necessitatem suam: quia si mater nutrit, et diligit filium suum carnalem, quanto diligentius debet quis diligere, et nutrire Fratrem suum spiritualem?*

1. Nihil in Evangelio magis inculcatur, quam charitas proximi. Christus enim loquens de primo, de maximo mandato, quo Deum ex toto corde diligere jubemur, ait: *Secundum autem simile est huic: diliges proximum tuum sicut teipsum* (Matth. 22, 39). Hoc mandatum novum appellat, ut commonstret, perfectiorem charitatem fraternam a Christianis, quam a Judaeis requiri; ait enim: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem* (Jo. 13, 34). Hoc idem specialiter suum nuncupavit dicens: *Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos* (Jo. 15, 12). Imo charitatem fraternam ut signum distinctivum suorum discipulorum posuit sat memorabili dicto: *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem* (Jo. 13, 35). — Eodem modo S. Franciscus, Christi vestigiis inhaerens, discipulis suis charitatem fraternam maxime inculcat dicens: *Et ubicunque sunt, et se invenerint Fratres, ostendant se domesticos invicem inter se, et secure manifestet unus alteri necessitatem suam.* S. Pater ostendit primo, charitatem fraternam universalem esse debere; cum enim dilectionem inter *Fratres, ubicunque sunt, et se invenerint,* praecipiat, satis clare innuit, cha-

ritatem habendam esse ad omnes, qui se ipsius filios profitentur, sive hujus, sive alterius Provinciae, sive hujus, sive alterius Nationis, sive hujus, sive alterius Observantiae fuerint (1). Charitas quidem praecipue in corde residere, et in benignis de Fratre judiciis, benevolisque erga eum affectibus consistere debet; quia alias foeda hypocrisis dicenda foret: sed S. Pater vult, ut charitas interna etiam exterius se prodat, et quidem, ut ait *S. Bonaventura,* « primo per « familiaritatem et affabilem societatem, et secundo per omnium ne- « cessitatum revelationem ». Ideo dicit: *ostendant se domesticos inter se;* i. e. Fratres, quibus occurrunt, vel qui ad ipsos veniunt, quamvis ignoti aut peregrini sint, benigne excipiant, familiariter alloquantur, et talem charitatem manifestent, ut illi confidentiam concipiant, et necessitates suas revelare audeant. « Non ergo, ait « *Politius,* tristes et nubilosos, sed potius in Domino gaudentes, « hilares, et jucundos se Fratres invicem ostendere debent, ut sic « quilibet de altero in suis necessitatibus confidere possit: nec de « signis carnalibus noster est sermo intelligendus, quia talia non « reficiunt, sed inficiunt charitatem: cum autem de spirituali amore « P. N. Francisci sermo sit, oportet, quod signa a spirituali amore « procedant, et modis spirituali amori consonis exhibeantur ». Cum autem S. Pater dicit: *et secure manifestet unus alteri necessitatem suam,* indirecte praecipit, ut Fratri in necessitate constituto non tantum sincerus commiserationis affectus monstretur, sed etiam pro viribus efficax auxilium praestetur. Ad quid enim alia necessitatis manifestatio prodesset? — Certe vera charitas afflictis compatitur ita, ut cum Apostolo dicat: *Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror?* (II. Cor. 11, 29). — Verum commiserationis affectus non solum corde fovendus et ore manifestandus, sed etiam opere probandus est; nam ait S. Joannes (I. Jo. 3, 18): *Filioli mei! non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, et veritate.* Denique vera charitas non solum corporalibus, sed multo magis spiritualibus proximi sui necessitatibus subvenit; quapropter dubitari non potest, S. Patrem voluisse, ut ipsius Filii praecipue in necessitatibus spiritualibus sibi invicem subveniant,

(1) Hinc in omni Fratre Minori cujuscunque jurisdictionis sit, verum *fratrem nostrum* considerare debemus, eumque uti talem specialiter prae caeteris fidelibus et Religiosis diligere, amare et adjuvare. Omnes enim Fratres Minores ex S. Patre Francisco descendimus per lineam rectam non interruptam.

i. e. ut Fratrem ignorantem doceant, errantem corrigant, dubiis agitato bona consilia praebeant, afflictum consolentur, etc.

2. Seria consideratione dignissima sunt, quae S. Pater pro charitatis inter Fratres fovendae motivo et norma addit, dicens: *Quia si mater nutrit, et diligit filium suum carnalem, quanto diligentius debet quis diligere* « affectu » *et nutrire* « scilicet effectu » *Fratrem suum spiritualem?* « Consequentia patet, ait *S. Bona-* « *ventura;* quia amor gratuitus, scilicet charitatis, fortior est amore « carnali, tum quia charitas superat innatum mortis horrorem, tum « quia charitas habet fundamentum sui bonum infinitum, propter « quod nihil finitum praevalet contra eam ». Ut autem cognoscamus, quanta charitas mutua inter Fratres habenda sit, considerare debemus juxta effatum S. Patris maternae dilectionis naturam, in qua praeclarissimum nobis exemplar proponitur. Totum enim, quidquid habet mater, etiam proprium sanguinem confert in prolis utilitatem, indefessa eam nutrit, et ab omni malo imminenti protegere quaerit; vagitus infantis importunos et sordes ejus mirabili supportat patientia; mediatricem agit, ut iratum patrem filio reconciliet; ubicunque potest, mater proles suas ad honorabilia promovet, iisque congaudet, si ab aliis aestimentur et laudentur; ac demum nihil agit spe alicujus compensationis, nec aliam quaerit satisfactionem, quam ei, quem amat, posse satisfacere. Talem, imo juxta monitum S. Patris majorem adhuc dilectionem Fratres ad invicem habere debent; ex quo apparet, quantum a spiritu S. Patris distent, qui Confratres suos vilipendunt, ipsis invident, ipsis detrahunt, ipsis servitia sua denegant, et nullum eorum defectum supportare volunt! (1). Qualiscunque istorum sit devotio, paupertas, et in observantia regulari sedulitas, a vera tamen perfectione, quae in charitate consistit, longissime sunt remoti; nam ait Apostolus: *Si linguis hominum loquar, et Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut aes sonans, aut cymbalum tinniens: — et si habuero omnem fidem ita, ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum* etc. (I. Cor. 13, 1 etc.) — In seraphicae Religionis primordiis Fratres, sicut in caeteris virtutibus, sic praecipue in charitate eminebant: id

(1) Unde fortiter improbandi qui, dum in alienis omnia facillime laudant, in propriis Fratribus omnia fere despiciunt, sive praedicationes, sive scripta, sive alia.

testatur *Hugo* (in cap. 6) scribens: « Haec charitas multum in an-
« tiquis Fratribus fervebat; seipsos enim ad omne obsequium, et
« quidquid ad usum habebant, mira sibi hilaritate et promptitudine
« communicare curabant: Fratres ignotos, et hospites tamquam notos,
« ac unius domus, imo sicut Angelos Dei maxima in charitate reci-
« piebant, non extraneos reputando, quos suos esse Fratres consi-
« debarant ».

§ 107.

II. De charitate erga infirmos in specie.

TEXTUS. *Et si quis eorum in infirmitatem ceciderit, alii Fratres debent ei servire, sicut vellent sibi serviri.*

1. Gravissime S. Pater inculcavit curam infirmorum; et hanc sub peccato mortali praecipi declaravit *Clemens V,* qui (art. 1, § *Item quia*) inter praecepta aequipollentia recenset, « quod Ministri et « Custodes pro necessitatibus infirmorum sollicitam curam gerant; « item quod si quis Fratrum in infirmitatem ceciderit, alii Fratres « debent ei servire ». Hoc vero praeceptum praecipue ad Superiores pertinet, quibus omni jure dictum S. Scripturae applicatur: *Rectorem te posuerunt?... curam illorum habe* (Eccli. 32). Graviter ergo Superiores obligantur, ut sollicite suis Fratribus infirmis procurent omnia necessaria *quoad corpus,* nimirum medicum, medicinas, victum congruum, lectum aptum, servitium conveniens, et *quoad animam* bonas exhortationes, Sacramenta, etc. Ipse etiam recursus ad pecuniam Ministris et Custodibus permittitur non solum, sed etiam injungitur, si pro Fratrum infirmorum salute opus fuerit, uti S. Pater (c. 4) edixit. Errant ergo illi, qui ex timore paupertatem laedendi ea, quae infirmis necessaria sunt, procurare recusant; nam charitas majoris pretii est, quam paupertas, et circa infirmos, ait *Bonaventura Dernoye,* ipsa Regula omnia sua jura amittere videtur. — Quoniam autem ipsi Superiores locales gravioribus officiis occupati debita infirmis servitia praestare nequeunt, ideo tenentur fratrem idoneum pro servitio infirmi deputare. Id expresse praecipit *Julius II* dicens: « Custos in quolibet conventu suae custodiae deputet unum

« Fratrem, qui in ejus absentia infirmos visitet frequenter, et Guar-« dianum et Infirmarium, prout viderit expedire, sollicitet, ita ut « bene provideatur et serviatur infirmis » (ap. *Philippum a Castel.*, Pr. S. aequip., art. 1). Quamvis autem pro servitio infirmi aliquis Frater deputatus sit, nihilominus Superior localis tenetur infirmum visitare, et examinare, an ipsi nihil desit, et an infirmarius officio suo recte fungatur.

2. Qui ad infirmorum servitium deputatur, in hoc gravissimo maximeque meritorio munere charitate, mansuetudine, et patientia excellere debet. Juxta S. Patris praeceptum, ita infirmo *debet servire, sicut vellet sibi serviri.* Magna imprimis sollicitudine procuret munditiem tum cellae, tum lecti, tum indumentorum infirmi: probe etiam attendat, ut medicinae, et cibi convenientes debito ordine et tempore porrigantur: caveat, ne ob foetorem, aut purulenta vulnera nauseam prodat, sed maternum erga infantes imitetur affectum: hilarem semper vultum ostendens, nonnisi suavia et blanda verba proferat, quae aegrotum consolari et exhilarare possint; gravissimam enim poenam, ait *Philippus a Castel.* (l. c., art. 2), meretur crudelitas eorum, qui duris et asperis verbis aegrotos affligunt, eos nunquam contentos, nimis teneros, nimis delicatos, etc. nominant, vel aliis injuriis lacessunt. Non negatur quidem, varios hincinde defectus in aegrotis inveniri; sed illi non ab infirmario, sed potius a Superiore, vel a Confessario corrigi debent (1), cui proinde, saltem si majoris momenti fuerint, indicari debent. Infirmarius autem invicta patientia etiam defectus aegrotantium perferre debet; nam *charitas patiens est, be-*

(1) Prudentissime tamen agendum, ne hac in re adhibeatur Confessarius, quando timeri possit diminutio fiduciae ex tali monitione confessarii. Et Fratres robusti praesertim et sani caveant, ne leviter *imaginariam* reputent Fratris infirmitatem: tali enim agendi forma fiunt saepissime tortores infirmorum: et Deus solet in hoc mundo tales aegrotorum derisores, etsi quadam bona fide tales, punire per similes infirmitates. Aliunde ordinario etiam illud quod videtur mera imaginatio, est effectus verae quamvis forsan minime notae infirmitatis. Unde merito ait S. Bonaventura: « Omnis humanitas est infirmis et debilibus exhibenda; quia « flagellati sunt a Domino: si super hoc ab hominibus tribulantur, ipsa eorum « miseria clamat ad Patrem misericordiarum contra illos qui eos tribulant con-« querendo.... Fortes et sani non sentiunt quod sentit aeger, ideo nesciunt ei « compati, scient autem postea quum dolebunt... Expedit ergo, Praelatos quan-« doque experiri infirmitates caeterorum, ut discant compati » (*De sex alis Seraphicis*).

nigna est, — omnia suffert, — omnia sustinet (I. Cor. 13, 4 etc.). Impatientia multo magis in infirmis, quam in sanis excusationem meretur; ideo Paulus dicit: *Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere* (Rom. 15, 1). Ideo *S. Laurentius Justinianus* (de inst. et regim. Prael., c. 9) illi, qui servitio aegrotorum dedicatus est, dicit: « Si omne circa ipsos persolvere studueris dilectionis « obsequium, si universa eisdem impensius ministraveris necessaria, « parum illis fecisti, si non etiam querelis, eorum lamentationibus, « eorumque doloribus te erga illos compassione cognoverint affectum ». — Oportet autem praecipue, ut infirmarii officium suum ex bona intentione adimpleant, et in aegrotis sibi Christum ipsum repraesentent dicentem: *quamdiu fecistis uni ex his Fratribus meis minimis, mihi fecistis* (Matth. 25, 40). Qui ex hac intentione aegrotantibus inserviunt, egregium charitatis opus exercent, et magna sibi praemia comparant. Infirmarii vero, in servitio aegrotorum debitam diligentiam non adhibentes, graviter, ut ait *Philippus a Castel.*, tum contra charitatem, tum contra obedientiam peccant, si notabiliter officio suo desunt. — Notandum tamen est, quod charitas, quae erga infirmum commendatur, pro hujus bono spirituali et corporali bene ordinata esse debeat. Nullatenus ergo ab infirmariis id aegroto concedendum est, quod ejus saluti corporali vel spirituali obest; econtra autem ad media sanitatis recuperandae adhibenda adigi debet, licet haec ipsi molesta videantur: nam illud negando, et hoc urgendo charitas exercetur.

3. Si Superiores et infirmarii debitam pro infirmis curam non gerant, reliquis Fratribus obligatio incumbit illorum defectus pro viribus supplendi. Sed etiam illis officio suo satis facientibus, nihilominus Fratres ex charitate tenentur, infirmos suos Confratres visitare; nam Eccli. 7 dicitur: *Non te pigeat visitare infirmum: ex his enim in dilectione firmaberis. Julius II* monito respectu infirmorum Superioribus dato aliud adjungit dicens: « Ad crebram « consolationem et visitationem infirmorum inducantur etiam alii « Fratres ibidem commorantes, nisi pestilentes, vel contagioso morbo « percussi, vel infecti fuerint, quibus tunc debito modo sine aliorum « infectione et periculo ad partem provideatur ». Ideo autem infirmos visitare debemus, ut ipsos consolemur, et per memoriam passionis Christi, ac per spem aeternorum praemiorum ad patientiam exhortemur. Inordinate ergo procedunt, qui longo tempore apud infirmos commorantes de mundi novitatibus, aliisque rebus vanis inepte gar-

riunt; hi enim vel infirmis valde molesti fiunt, vel horum animae nocent, quae per inanes eorum confabulationes misere distrahitur, et non coelestibus, sed terrestribus affectibus repletur.

4. Religiosus infirmus miserum suum statum Superiori, et cum hujus licentia medico manifestare, et ea, quae ab hoc ordinantur, exacte adimplere debet: caveat, ne facile judicet, se despectum et neglectum esse; tale enim judicium plerumque ex amore proprio nascitur: imo si quis vere a suo Superiore, vel ab alio Fratre male tractetur, etiam hac in re probationem divinitus permissam agnoscere, omne odium et omnem spiritum vindictae reprimere, et patientiam habere oportet; quamvis injurias sibi illatas in spiritu mansuetudinis illi, qui remedium afferre potest, manifestare non prohibeatur. Cavere autem debet Frater infirmus, ne plus justo exigat, e. g. talia, quae statui paupertatis adversantur, cum ob infirmitatem non cesset esse Religiosus (1). Tempore infirmitatis salus animae praecipue est procuranda. Pessime ergo agunt, qui tempore infirmitatis credere videntur, se nec obedientiam, nec paupertatem observare debere. Aliter sensit *Hugo,* qui dicit: « Infirmus, si pauper « est voluntarius, penset, non quae divites, sed quae pauperes decent. « Nam pauperis est, modicis esse contentum, et in necessariis saepe « deficere ».

(1) Unde caveat ne ex frequenti impatientia, ex indebitis querimoniis, ex oblivione perfectionis animae, meritum magnum amittat infirmitati adnexum, fiatque et anima et corpore miserrimus infirmus. Hinc omne studium Praelati et infirmarii sit charitas, mansuetudo et benignitas; infirmi vero desiderium sit patientia, humilitas, obedientia, pax et gratitudo.

CAPUT VII.

§ 108.

De Poenitentia Fratribus peccantibus imponenda.

Postquam S. Pater in fine capitis praecedentis illis ut tenerrimus Pater providit, qui corporalibus infirmitatibus premuntur; in hoc capite sermonem facit de Fratribus illis, qui quoad animam aegrotant, et ostendit, quaenam sollicitudo habenda sit, ut ad spiritualem vitam et animae sanitatem reducantur. Ideo caput hoc inscribitur « *de poenitentia Fratribus peccantibus imponenda* ». Quoniam autem circa hanc eamdem materiam etiam a Capitulis generalibus, et maxime a Romanis Pontificibus variae ordinationes prodierunt, ut omnia, quae ad hoc caput spectant, rite exponantur, 1. *de peccatis Fratrum, eorumque reservatione,* 2. *de peccatorum reservatorum absolutione,* 3. *de Confessariis Fratrum,* 4. *de S. Patris monitis ad Fratrum peccantium punitionem et correctionem pertinentibus* agendum est, ac demum, 5. *casus in Ordine nostro reservati declarandi sunt.*

ARTICULUS I.

§ 109.

De peccatis Fratrum, et eorum reservatione.

Cum homines fragiles simus, et inordinatas passiones in corde nostro circumferamus, non sine omni culpa mortalem hanc vitam transigimus. Ideo *S. Joannes* inquit: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est* (I. Jo. 1, 8); et S. Jacobus ait: *In multis offendimus omnes*

(3, 2). Quodsi Apostoli haec fatentur, mirum sane non est, etiam Fratres Minores a levibus culpis, seu peccatis venialibus immunes non esse. Non autem de istis loquitur hic S. Pater, sed *de mortalibus peccatis* (1), quorum absolutio ob maximam eorumdem gravitatem *Ministro Provinciali reservatur*. De his jam hic disserere oportet.

§ 110.

I. De mortalibus Fratrum peccatis.

TEXTUS. *Si qui Fratrum, instigante inimico, mortaliter peccaverint,* etc.

1. Non est, cur quis scandalum sumat, dum audit, etiam in Ordine seraphico, qui tam sublimem perfectionem profitetur, peccata mortalia et delicta gravia existere posse. Nam qui in societate sanctissima constituti et optimis legibus instructi sunt, tamen homines manent, qui a bono deficere, societatis praecepta violare, salutis media negligere, et sic in omne malum ruere possunt. Christi Ecclesia nunquam majori sanctitatis luce perfusa fuit, quam in primis suis temporibus; et tamen Apostolus tales spurcitias corripiendas invenit, *quales nec inter gentes* (I. Cor. 5, 1). Neque in primitiva Ecclesia congregatio sanctior fuit, quam illa Apostolorum, in qua tamen Judas, pessimus sane peccator inventus est. Demum in ipso coelo Angeli, excellentissimis dotibus ornati, per peccatum magno numero in daemones nefarios commutati fuerunt. Nemo ergo miretur, quod etiam in Ordine seraphico peccata gravia committi possint; neque ulli licebit, ideo Religionem, in se et in suis institutis tam sanctam, spernere.

2. Quamvis *unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus, et illectus* (Jac. 1, 14), et mundi scandala multis ruinam spiritualem parant (Matth. 18, 7); S. Pater tamen, quia ipsius Fratres per vitam pauperem et mortificatam carnem refraenant, et a

(1) Id est de illis mortalibus peccatis, quorum absolutio ad normam juris reservari potest Praelatis.

scandalis mundi segregati sunt, causam lugendorum lapsuum in suo Ordine vel maxime ab inferni tentationibus repetit. Ideo ait: *si qui Fratrum, instigante inimico, mortaliter peccaverint* etc. Si enim, teste Principe Apostolorum, *diabolus tamquam leo rugiens circuit, quaerens, quem devoret* (I. Petr. 5); nemo inficias ibit, ipsum Religiosis, et in specie Fratribus Minoribus vel maxime insidiari. Nam ait *S. Bonaventura* (in cap. 7): « Quanto aliquis majus habuerit « studium perfectionis, tanto fortioribus contra eum machinatur ini- « micus insidiis ». Ideo etiam evenit, ut Religiosi adversario suo palmam cedentes, ac iniquis ejus suggestionibus consentientes in horrendum tum malitiae, tum miseriae barathrum ruere soleant; quod confirmat *S. Augustinus* dicens: « Quomodo difficile expertus « sum meliores, quam qui in monasteriis profecerunt; ita non sum « expertus pejores, quam qui in monasteriis ceciderunt » (1) (cit. d. 47, cap. *quantumlibet*).

3. Neque tamen ideo Religiosus excusationem meretur, quia a daemone tentatus et seductus peccavit. Vigilando enim, orando et seipsum mortificando praecavere debuisset, ne tentationi succumberet. Peccatum ergo mortale, quod Deum infinitum offendit, Christum crucifigit, gratiam exstinguit, et reatum aeternae poenae inducit, enorme semper malum dicendum est, — praecipue vero in illo, qui in sancta Religione constitutus, Deo per vota solemnia penitus dicatus, omnibusque salutis mediis instructus ad maximam perfectionem obligatur, et tamen a Deo recedens se daemonis captivum constituit.

4. Sicut autem bonus pastor amissam ovem quaerit, et diligens medicus graviter aegrotantem omni possibili modo sanare conatur; ita etiam sancta Religio infeliciter lapsos negligere non potest, sed ad eosdem e lapsu erigendos et emendandos maximam sollicitudinem adhibere debet. Hanc ob causam S. Pater in isto capite normam spiritui evangelico apprime conformem praescribit, graviter peccantes ad seriam poenitentiam et ad novum virtutis studium perducendi.

---

(1) Qui tamen ceciderint, ne dejiciant animo, neque desperent: nam Religio est etiam spirituale nosocomium, ubi infirmi salutem facilius recuperant quam in saeculo, juxta illud S. Bernardi: « In Religione, homo vivit purius, *cadit* rarius, *surgit velocius*, incedit cautius, irroratur frequentius, quiescit securius, moritur fiducius, purgatur citius, praemiatur copiosius ».

§ 111.

II. De peccatorum reservatione.

TEXTUS. *Pro illis peccatis, de quibus ordinatum fuerit inter Fratres, ut recurratur ad solos Ministros Provinciales.*

1. Ad exemplum Christi Domini aliquorum daemonum ejectionem sibi reservantis, etiam gravissimorum quorumdam peccatorum absolutio eminentioribus quibusdam Sacerdotibus reservata fuit. « Magnopere « enim, ut ait *Concilium Tridentinum* (Sess. 14, cap. 7), ad Chri- « stiani populi disciplinam pertinere, sanctissimis Patribus nostris « visum est, ut atrociora quaedam et graviora crimina non a qui- « busvis, sed a summis dumtaxat sacerdotibus absolverentur ». Mirum ergo non est, etiam seraphicum nostrum Patrem hanc salubrem disciplinam in Ordinem suum introduxisse, eumque commemorare peccata, *de quibus ordinatum fuerit inter Fratres, ut recurratur ad solos Ministros Provinciales:* quibus verbis clare innuit, dari gravia peccata, quorum tum punitio, tum absolutio solis Ministris Provincialibus reservanda sit. Sicut enim Summus Pontifex pro tota Ecclesia, et quilibet Episcopus pro sua dioecesi peccata reservare potest (Conc. Trid. Sess. 14, can. 11); sic hoc idem etiam possunt Praelati regulares quoad suos subditos, uti Theologi docent, et Romani Pontifices declararunt. Possunt ergo Generales pro toto Ordine, et Provinciales pro sua Provincia peccata quaedam graviora reservare. Imo *Alexander VI* hoc idem jus tribuerat Guardianis: quod autem in Capitulo generali anno 1526 habito, annuente Sede apostolica, his iterum sublatum est (1).

2. Ne reservatio in detrimentum potius, quam in utilitatem Subditorum nimium augeretur, *Clemens VIII* speciali edita Bulla (*Sanctissimus*) ordinavit, ut non liceat Praelatis Regularibus plures, vel alios casus reservare, quam sequentes: I. Veneficia, incantationes, sortilegia: II. Apostasia a Religione sive habitu dimisso, sive retento,

(1) Aliunde hodie de jure nullus Praelatus mere localis potest reservata constituere; neque a reservatis absolvere, nisi ex delegatione expressa.

quando eo pervenerit, ut extra septa monasterii fiat egressio: III. Nocturna, ac furtiva e monasterio, seu conventu egressio, etiam non animo apostatandi facta: IV. Proprietas contra votum paupertatis, quae sit peccatum mortale: V. Lapsus carnis voluntarie opere consummatus: VI. Occisio, aut vulneratio, seu gravis percussio cujuscunque personae: VII. Malitiosum impedimentum, retardatio, aut aperitio litterarum a Superioribus ad inferiores, vel ab inferioribus ad Superiores: VIII. Juramentum falsum in judicio regulari, seu legitimo: IX. Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum foetum, etiam effectu non secuto: X. Falsificatio manus aut sigilli Officialium Monasterii seu Conventus: XI. Furtum de rebus Monasterii seu Conventus in ea quantitate, quae sit peccatum mortale. — Vi hujus Decreti Pontificii non jam praecipitur, ut omnes isti casus in quolibet Ordine regulari reserventur; sed tantum permittitur, quod Regulares hos casus, aut aliquos eorum sibi reservare possint, prout Subditorum suorum utilitati prudenter in Domino expedire judicaverint. Neque absoluta prohibitio effertur alios casus, quam praedictos, reservandi; sed sequens cautela in Bulla adjicitur: « Si quod aliud praeterea peccatum grave pro « Religionis conservatione, aut pro conscientiae puritate reservandum « videbitur, id non aliter fiat, quam Generalis Capituli in toto Or- « dine, aut Provincialis in Provincia matura discussione et con- « sensu ». Hinc patet, nullum Superiorem regularem posse de suo addere aliquem casum reservatum sine consensu Capituli generalis aut provincialis: « Licebit tamen, uti in eadem Bulla (n. IX) legitur, « Superioribus determinare poenitentias graves quibusdam peccatis, « etiam non reservatis, a Confessariis imponendas, quae Subditos « ab hujusmodi perpetrandis cohibere possint » (1).

3. Praelati regulares — saltem Generales et Provinciales possunt etiam pro certis gravibus delictis poenam excommunicationis, suspensionis, etc. statuere. Quamvis autem in quaecunque mortalia peccata (2) tales censuras ferre possint, nullatenus tamen, ait *Bernardus*

(1) Hoc vix fieri potest absque notabili incommodo. Aliunde hujusmodi poenitentiae nullo pacto possunt esse tales, ut ex se vel ex adiunctis publicae appareant.

(2) Hoc admitti nequit: nam Praelati non possunt censuram adnectere nisi solis peccatis jam alias reservatis. Sic declaravit S. Cong. 7 Julii 1617, ut notat Picirelli. Neque possunt irregularitatem constituere, sed declarare, talem vel talem irregularitate ligatum existere, quando de facto talis habetur ex jure canonico. Neque possunt Praelati interdicere eorum ecclesias (Ferrari, verbo *Regul.*, n. 68).

Bonon. (L. 24, § 7), ipsis licitum est, istarum censurarum absolutionem sibi reservare, nisi censurae cadant in unum ex undecim delictis a *Clemente VIII* pro reservatione expressis: cum enim absolutio a peccatis ante absolutionem a censuris dari non possit, ideo ipsum peccatum propter censuram annexam censeretur reservatum, et sic decretum Pontificium, aliorum peccatorum reservationem prohibens, violaretur.

4. In Capuccinorum Congregatione anno 1596, totius Capituli Generalis consensu omnes casus a *Clemente VIII* expressi tamquam reservati in Ordine recepti fuerunt; et anno 1643 iterum integra receptio renovata fuit, adjecta insuper poena Caparonis (1) ad sex menses ei, qui secus docere praesumpserit.

ARTICULUS II.

§ 112.

De peccatorum reservatorum absolutione.

Peccata, in quae reservatio cadere potest, sunt vel *publica,* jam pluribus nota, vel *occulta,* quae soli delinquenti cognita sunt, et solummodo in secreto tribunali poenitentiae manifestantur. Alius autem modus observandus est ad obtinendam absolutionem a peccatis reservatis publicis, et alius ad obtinendam absolutionem a peccatis reservatis occultis: et de utroque modo disciplina, quae olim in Ordine nostro viguit, et quae nunc viget, explicanda venit.

§ 113.

I. Modus obtinendi absolutionem a peccatis reservatis publicis.

TEXTUS. *Teneantur praedicti Fratres ad eos recurrere, quam citius poterunt sine mora. Ipsi vero Ministri, si Presbyteri sunt, cum misericordia injungant illis poenitentiam.*

1. Cum in citatis Regulae verbis occurrat vox « *teneantur* », juxta declarationem *Clementis V* hic veri nominis praeceptum oc-

(1) Hodie poena Caparonis non amplius existit: unde dentur aliae poenitentiae.

currit, quod inter *virtualia* numerari solet, et quo Fratres, in mortale peccatum reservatum lapsi, jubentur, ad Ministros Provinciales quam citius poterunt sine mora recurrere, ut ab his tum absolutionem a reatu culpae, tum poenitentiam cum misericordia injungendam recipiant.

2. Praeceptum hoc S. Patris absque dubio solummodo de peccatis reservatis *publicis* et *notoriis* intelligendum est. Nam vi hujus praecepti Fratres, quando incidunt in aliquod peccatum reservatum, debent statim personaliter (1) ad Ministros Provinciales recurrere, etiamsi in loco remoto morarentur: causa igitur, nimirum peccatum grave commissum, debet constare Superiori, a quo recedunt, et consequenter publicum sit, oportet; alias enim Fratres de peccato suo occulto deberent se graviter infamare, ad quod non obligantur. Praeterea juxta Regulae verba peccatum debet manifestari Ministro, etiam non Sacerdoti: si autem de peccato occulto agitur, ad talem manifestationem reus non obligatur, cui ex lege divina sufficit, ut Sacerdoti peccatum suum secreto confiteatur. Ipse *S. Bonaventura* citatum hujus capitis praeceptum exponens ait: « Hoc de notoriis tantum debet intelligi « peccatis; quia quae secreta sunt, non sunt publicanda ». Eodem modo *Gregorius IX* expresse dixit, « praedictum Capitulum ad ma- « nifesta tantum, et publica peccata pertinere » (V. Viator a Cocaleo, in C. 7, Expos. I).

3. Dubitari non potest, ad delicta publica punienda, et ad delinquentes corrigendos a S. Patre in isto capite verum tribunal, seu judicium institutum fuisse. *Delicta* enim insinuantur i. e. peccata, quae a Fratribus in Capitulo collectis ceu graviora declarata, et ideo reservationi subjecta fuerint: *Judices* denominantur, nimirum Ministri Provinciales: *Poenae* dictandae praescribuntur, scilicet poenitentiae salutares: *Rei,* ut ad legitimos Judices recurrant (2), adstrin-

(1) Ex praxi universa a S. Poenitentiaria in genere pro omnibus confirmata, sufficit recursus per epistolam: nec praelatus localis tenetur licentiam concedere ad talem personalem recursum: secus non semel abusiva foret et vagandi occasio. Insuper, ut dicetur infra n. 5 in fine, reus non tenetur ad Praelatum recurrere nisi vocetur. Unde hodie hic casus non alligat subditum nisi expresse vocetur a Praelato. Et subditus divagans praetextu hujusmodi recursus, esset apostata vel fugitivus.

(2) Imo ex Jure Canonico communi in omnibus et singulis Ordinibus habetur et datur vera obligatio hujus tribunalis, quoties scilicet necessitas judicialiter procedendi occurrit. Officium judicis est inseparabile ab officio majoris praelaturae.

guntur: *Modus* denique corrigendi et puniendi determinatur per salutare monitum, ut sine ira et conturbatione procedatur. — Valde autem tribunal, seu judicium a S. Patre institutum differt a tribunalibus, et judiciis civilibus, in quibus accusationes fieri, et testes audiri solent: juxta verba enim Regulae totum judicium inter solum Judicem et Reum agitur, atque ideo seraphicus Pater tribunal domesticum potius, quam forense pro suo Ordine instituisse dicendus est (1).

4. Congregatio Capuccinorum ab initio circa delicta publica et notoria omnino juxta mentem et ordinationem S. Patris processit, et sine strepitu forensi delinquentes judicare et punire consuevit. Quoniam autem hincinde vel Judices decepti nimis severe procedebant, vel Rei delicta sua aut omnino negare, aut fallaci modo excusare satagebant, in Capitulo Generali, anno 1581 habito, sancitum fuit, ut in posterum graviores poenae sine juridico processu, in quo et accusatores audiantur, et testes examinentur, imponi non debeant. Nova autem haec ordinatio non jam ad judicia aggravanda, sed ad illa verificanda facta est. Ideo anno 1593 auctoritate Definitorii Generalis *Instructio judicialis* prodiit, quae a Capitulo Generali anno 1847 approbata, et paucis immutatis novis typis edita fuit. — Nullatenus tamen dici potest, processum juridicum circa delicta publica semper praeceptum esse: istum potius declinare oportet, si tota causa domestice et in charitate componi potest; quia iste modus semper priori praeferendus est (2).

5. Juxta verba satis clara S. Regulae, qui in peccatum reservatum publicum prolapsus est, debet ad Ministrum Provincialem recurrere *quam citius poterit, sine mora.* « Hoc, ait *Politius,* S. Pa« ter praeceptorie mandat, ut sicut peccatum hoc publicum plures « scandalizavit, sic per publicum ad poenitentiam recursum scanda« lizatis satisfiat, et mitigetur scandalum; et insuper peccantis Fra-

(1) Sunt tamen variae punitiones, quae necessario requirunt processum, ut v. g. privatio vocis activae et passivae, privatio guardianatus, privatio praecedentiae, salvis exceptionibus juris. Unde sedulo distingue poenas Praelati ut Patris et Medici a punitionibus judicialibus.

(2) Iterum attende ad circumstantias accusationis, accusatorum et reorum, nec non ad qualitatem poenarum, quae infligendae judicantur: graviores enim poenae proprie tales generatim postulant judicialem formam. Cfr. Jus Canonic. ubi de Judiciis.

« tris infamia purgetur et aboleatur, cum omnibus per hujusmodi « recursum condigne apparere possit contritus et emendatus. Hoc « autem, ut *Hugo, Petrus Joan.* et alii adnotarunt, secundum de- « bitam, rationabilem, et honestam (juxta Ordinis formam) opportu- « nitatem debet intelligi, hoc est, cum socio sibi a praelato assi- « gnando: praepositi enim est, peccanti Fratri de socio, cum talis « occurrerit necessitas, providere. Unde tunc quis posse dicitur, cum « debito et licito modo id exequi poterit. Nec tantum per corpora- « lem accessum hujusmodi recursus, verum etiam per insinuationem, « sive per litteram, sive per nuntium (impediente justa causa) fieri « licite poterit, ut adnotavit *Hugo.* » — Ita fere antiquiores Regulae Expositores de hoc S. Patris praecepto disseruerunt. Quoniam autem circa delicta publica formalitates judiciariae introductae, et processus ordinati fuerunt, ideo, ait *Bernardus Bonon.* (l. c. § 4), Reus non tenetur recurrere ad Judicem stabilitum, i. e. ad Ministrum Provincialem, priusquam ab hoc vocetur (1). Si autem vocatus comparere noluerit, gravissime peccat tum contra hoc praeceptum, tum contra obedientiae votum.

6. Ministri Provinciales corde contrito et humiliato ad se recurrentes a peccato reservato absolvere, sed illis etiam cum misericordia poenitentiam injungere debent; et nemo dubitare potest, quod delinquentes se sententiae latae, et poenae dictatae penitus submittere teneantur. Licet vero Ministris Provincialibus in poenitentia injungenda misericordia, quam S. Pater inferius melius explicat, inculcetur, justitiae tamen rigor negligendus non est. Imo juxta antiquam Ecclesiae disciplinam omnino congruum est, ut delicta publica etiam per poenitentias publicas puniantur; quia tali modo delinquentes efficacius corriguntur, et innocentes a peccatis magis deterrentur (2).

7. Facultas, quae in Regula Ministris Provincialibus adscribitur Fratres a peccato reservato absolvendi, et illis poenitentiam injun-

(1) Et tunc tenetur omnino legitimis interrogatoriis respondere sub poenis perjurii et aliis forsan infligendis. Reus tamen generatim non constituendus, nisi de delictis gravis momenti agatur. Odiosa et saepe injusta forent judicia de minimis delictis aliter corrigendis.

(2) In tali casu poenitentiae publicae potius obligatoriae quam mere congruentes esse solent. Tamen multae ex punitionibus, quae tunc imponi solent, v. g. privatio vocis activae et passivae, sunt ex seipsis quid publicum.

gendi, non ideo denegatur Ministro Generali, cui utique suprema in totum Ordinem jurisdictio competit: « sed ideo, ait *Politius* (n. 3), « S. Patrem Ministros Provinciales specialiter arbitror nominasse, « quia ipsi fere semper suis provinciis sunt assistentes; unde faci- « lior ad eos, quam ad Ministrum Generalem poterit haberi recursus ». Notandum etiam est, quod *Innocentius IV* Ministris Provincialibus concesserit, ut potestatem suam in Fratres peccantes exercendam in alios transferre possint: ait enim in sua Constitutione (*Ordinem nostrum*) loquens de praedicto Regulae praecepto: « Possunt tamen « iidem Ministri pro Fratrum laboribus, et periculosis discursibus « evitandis, si expedire viderint, Custodibus, et aliis discretis Fra- « tribus Presbyteris super iis committere vices suas ». Hanc pontificiam concessionem a toto Ordine acceptatam (1) fuisse, testatur *Gabriel a Vicen.*, quem citat *Viator a Cocaleo* (Exp. 1, in cap. 7).

§ 114.

II. Modus obtinendi absolutionem a peccatis reserv. occultis.

1. Quoad absolutionem a casibus reservatis, etiam occultis, in Capitulo generali, anno 1613 celebrato, sequens decretum editum fuit: « Confessarii a Superioribus deputati ad audiendum Fratrum « confessiones eos etiam a casibus reservatis absolvere valeant, ea « tamen lege, ut si confessarius judicaverit, Poenitentem se debere « Superiori praesentare, teneatur Poenitens habita opportunitate ad « talem Superiorem recurrere, vel ut iterum sacramentaliter absol- « vatur, vel ut remedium salutare recipiat. — Si vero id non expe- « dire Confessario visum fuerit, liber omnino a tali obligatione Poe- « nitens remaneat; ita tamen, ut Confessarius ipse tempore congruo « ad Superiorem recurrat, et salvo confessionis sigillo, ac sine Poe- « nitentis nota se a reservatis illum absolvisse manifestet; tum ut « hinc Praelatus in communi statum Religionis cognoscat, tum ut

(1) Melius: ad praxim deductam fuisse, nam saltem quoad peccata occulta Provinciales non possunt non delegare varios sacerdotes, ut dicetur infra.

« de salutaribus remediis, si opus fuerit, Confessarium instruat ». — Per plura decennia decretum istud in Capuccinorum Congregatione non solum exacte observatum, sed etiam a nonnullis Superioribus Ordinis latius, quam oportebat, expositum, a Confessariis hinc inde non satis prudenter executioni datum, et per plura additamenta magis molestum et odiosum redditum fuit. Ideo variae querelae exortae sunt, et multi lamentabantur, durissimum sibi jugum imponi, ademptam esse libertatem, et ipsum Confessionis sigillum non satis sanctum haberi. Hac de causa *Clemens XIII* cum Capitulo generali anno 1761 totum decretum Capituli generalis, anno 1613 habiti, delevit et abrogavit, usum praesentationum sustulit, et praecepit, ut circa casus reservatos observetur decretum *Clementis VIII* (C. *Sanctissimus*), in quo ordinatur: « Superiores in singulis do-« mibus deputent duos, tres, vel plures Confessarios pro Subditorum « numero majore, vel minore, iique sint docti, prudentes ac charitate « praediti, qui a non reservatis eos absolvant, et quibus etiam reser-« vatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit, in quo « eam debere committi, ipse imprimis Confessarius judicaverit » (1).

(1) Opportunum judicamus transcribere partem dispositivam celeberrimi Decreti S. Officii: « Ad praecidendam itaque in re adeo momentosa quamcumque ansam querelarum, tuendamque necessariam libertatem in Sacramento Poenitentiae ad salutem, et consolationem eorum, qui ad cor revertuntur divinitus instituto, Emin. et Rever. DD. Cardinales contra haereticam pravitatem, Generales Inquisitores a Sede Apostolica specialiter deputati, negotio semel atque iterum mature discusso, et ad peculiare examen revocata etiam praxi absolvendi a reservatis in Ordine praedicto regente, et usque ab anno 1757, in forma probanti a Definitorio Generali exhibita, haec quae sequuntur cum oraculo S. D. N. statuenda et decernenda esse duxerunt. — Primo quod in posterum FF. Min. S. Francisci Ord. Capuccinorum nuncupat., posthabita prorsus lege Capit. Gen. an. 1613, quam S. Congregatio delet et abrogat, observent quoad reservationem casuum omnia et singula, quae praescribuntur in Decreto s. mem. Clementis VIII edito die 26 Maji an. 1593, et in declaratione s. mem. Urbani VIII ad calcem illius apposita; itemque observent consentaneum Decretum Pauli V jubentis per organum Cardinalis Millini parem observantiam Decreti Clementis VIII, et quia in eodem Decreto Clementis, § V, cavetur quod liceat Superioribus determinare poenitentias graves quibusdam peccatis etiam non reservatis a Confessario imponendas, quae subditos ab hujusmodi perpetrandis cohibere possint: S. Congregatio decernit, et respective declarat, poenitentias hujusmodi in Confessione Sacramentali imponendas esse debere omnino occultas, ne quoquomodo notitia delictorum in Confessione prolatorum haberi, aut etiam indirecte inferri, aut conjici possit. — Quod in Bullario PP. Capuccinorum, tom. VI, pag. 316, pe-

Igitur ab anno 1761 — abolita praxi priori — in usum venit *Poenitentiariorum* pro singulis familiis deputatio, qui sine onere praesentationis Superiori faciendae etiam a casibus reservatis absolvere possint.

2. Introducta in Ordinem Poenitentiariorum deputatio magna commoda parit: 1. *pro ipsis Poenitentibus,* quos non amplius premit pondus circa [duplicem sacramentalem Confessionem interdum subeundam, nec rubor, aut apprehensio correptionis in praesentatione commissae culpae perferendae affligit; 2. *pro Confessariis,* qui a maxime molesto onere praesentationem pro alio subeundi, et a suspicione, ac periculo fractionis sigilli liberantur; 3. *pro familiis,* a quibus suspiciones, oblocutiones et discordiae, occasione praesentationum frequenter ortae, facilius arcentur; 4. *pro ipsis Superioribus,* qui majorem libertatem acquirunt Subditis invigilandi, eosque coercendi, quin suspicio oriatur, eos cognitionibus abuti ex Confessionibus sacramentalibus, seu ex praesentationibus haustis; id enim ipsis omnino non liceret, quod declaravit *Clemens VIII* in citato decreto mandans, ut « tam Superiores pro tempore existentes, quam « Confessarii, qui postea ad Superioritatis gradum fuerint promoti, « caveant diligentissime, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in « Confessione habuerunt, ad externam gubernationem utantur ».

3. Deputatio Poenitentiariorum fieri debet a Ministro Provinciali, qui illis suam casus reservatos absolvendi facultatem communicare tenetur (1). Magnopere autem Minister sollicitus sit oportet,

---

nitus dematur nota marginalis, qua asseritur, quod S. Congregatio an. 1613 approbaverit, prout jacet decretum Capituli Gen. ibid. relatum. — Quod in libro praelo Mutinensi edito an. 1749, cui titulus: *Lezioni* etc., expungantur in citat. § 8; et expuncta censeantur omnia et singula, quae contra vel etiam praeter Decretum Clem. VIII ab Auctore traduntur quoad absolutionem casuum reservatorum. — Abrogatam censeri debere praxim absolvendi a reservatis exhibitam, et subscriptam a Definit. Gen. sub die 27 Januarii an. 1757: nec ullam aliam praxim in hac materia absolvendi a reservatis introduci possit inconsulta S. Sede Apostolica, et absque illius expressa approbatione. — Demum per Superiores Ordinis haec omnia esse significanda suis Subditis per litteras Encyclicas (quarum dabitur exemplar) exaratas idiomate vario pro varietate Nationum, illasque ad singulas Provincias esse transmittendas, ut ad omnes, et singulas praemissorum notitia deveniat, eosdemque Superiores S. Congregationem certiorem reddere debere de executione quorumcumque Capitum, quae praesenti decreto continentur, et praescribuntur. — *Feria* 4 *die* 6 *Maii* 1761 ».

(1) Non solum in omnibus Conventibus, sed etiam in omnibus hospitiis et

ut pro gravissimo illo munere tales tantum deputet, qui « sint docti, « prudentes, ac charitate praediti », sicuti praescribit *Clemens VIII* (l. c.). Qui ergo vel debita scientia, vel pietate, vel prudentia carent, a Poenitentiariorum munere excludendi sunt. — Numerus vero Poenitentiariorum juxta Constitutiones (1) nostras proportionem habere debet cum numero Fratrum in eodem conventu cohabitantium. Caeterum *Clemens VIII* monet Superiores, praecipitque, ut in concedenda praedicta facultate « se cum subditis benignos et faciles exhibeant ». Opus autem non est, ut omnes Confessarii Fratrum sint simul etiam Poenitentiarii (2), peccata reservata absolvendi facultate instructi; sed horum numerus restrictior, quam illorum sit, oportet. Confessarius vero simplex, cui casus reservatus in confessione manifestatur, potest a Ministro Provinciali illum absolvendi facultatem, petere; et si haec ipsi denegetur, potest nihilominus auctoritate pontificia *pro hac vice* absolutionem dare. Etiam hoc a *Clemente VIII* declaratum legitur; nam citato decreto (*Sanctissimus*) immediate

---

residentiis seu parvis communitatibus, institui debent Poenitentiarii. De parvis familiis haec decrevit S. Cong. super Statu Regular. a Pio IX confirmata die 17 Aug. 1866: « in praefatis parvis communitatibus Superiores omnino debeant « deputare habitualiter saltem unum confessarium ex Religiosis proprii Ordinis, « qui facultatem habeat absolvendi a casibus et censuris in Ordine reservatis ». In ordinariis vero conventibus Superiores tenentur omnino deputare *duos vel tres, aut plures* Poenitentiarios, ut deducitur ex Decreto Clementis VIII, C. *Sanctissimus*. Unde laudandi Moderatores Provinciarum (in quibus non abundant Sacerdotes), qui data relativa paucitate sacerdotum, in singulis conventibus habitualiter delegant omnibus confessariis exceptis tamen junioribus facultates Poenitentiariorum. Denique sciendum quod non possunt dici « parvae communitates » illae, in quibus multi clerici et laici inveniuntur, et quatuor vel sex Sacerdotes tantum: pro istis enim nunquam sufficiens erit designatio unius Poenitentiarii tantum.

(1) Constitutiones non agunt expresse de Poenitentiariis, sed de Confessariis. Cum autem quae Constitutiones dicunt de munere simplicium confessariorum, valeant pro Poenitentiariis, patet quod numerus in Constitutionibus assignatus augeri debet, data obligatione habendi non solum simplices confessarios sed et poenitentiarios. Et ita in praxi fit in toto Ordine nostro, in quo generatim omnes concionatores sunt confessarii Fratrum saltem simplices. Non possent ergo hodie Provinciales generatim prohibere ne confessarii pro Fratribus approbati in singulis domibus sint tantum duo, vel tres, quando in conventu morentur v. g. sex vel decem concionatores, qui simul sunt confessarii saecularium.

(2) Excipiendae generatim Provinciae, in quibus singulae familiae paucos habent sacerdotes, quod hodie haud raro accidit.

sequentia adjunguntur: « Sanctitas Sua deinceps declaravit, et de-« clarat, ut si hujusmodi Regularium Confessariis casus alicujus re-« servati facultatem petentibus Superior dare noluerit, possint nihi-« lominus Confessarii illa vice (1) Poenitentes Regulares etiam non « obtenta a Superiore facultate absolvere ».

4. Quaestio mota est, an Fratres vi praecepti Regulae etiam pro occultorum peccatorum absolutione « *quam citius poterunt sine mora* » recurrere teneantur? Nonnulli dixerunt, quod loquendo Regula de acceleratione publicae poenitentiae, per quamdam consequentiam videatur innuere debitam festinantiam pro secreta poenitentia seu absolutione de peccatis secretis reservatis: sed tamen, id a Regula, quae de peccatis publicis loquitur, praeceptum non esse, communis est sententia (2). Sed aliae gravissimae rationes suadent, ut praecipue Religiosi in peccata gravia lapsi statim per confessionem sacramentalem conscientiam suam purgent; ad quod etiam obligantur, si celebrare, aut S. Communionem percipere volunt.

ARTICULUS III.

§ 115.

De Confessariis Fratrum.

TEXTUS. *Si vero (Ministri) Presbyteri non sunt, injungi faciant (poenitentiam) per alios Sacerdotes Ordinis, sicut eis secundum Deum videbitur expedire.*

Ex citatis Regulae verbis nonnulli intulerunt, etiam Laicos Ministros Provinciales fieri posse, sed perperam. Nam inter statum Presbyterorum, et statum Laicorum datur intermedius Diaconorum, et inferiorum Clericorum status, quem S. Pater in citatis verbis pro-

(1) Verba *illa vice* non impediunt confessarium ad simili modo agendum favore ejusdem poenitentis, si casus denuo occurrerit juxta illud quod S. Lig. lib. VI, n. 586, notat cum aliis: « to *pro ista vice*, intelligitur toties quoties « interciderit ». Et Ballerini in not. Gury, n. 573, ait: « Sensus erit, quod quoties facultas petitur, et negatur, toties confessarius absolvere potest » etc.

(2) Nam alibi dictum est reum publicum non teneri comparere nisi vocetur.

babilius intellexit; quoniam ipse licet tantum Diaconus, totius tamen Ordinis Minister fuit. Sed neque Clerici non Presbyteri regulariter in Ministros vel Guardianos eligi possunt. Cum enim juxta Canones beneficia parochialia cum cura animarum Clericis conferri nequeant, nisi in tempore certo et determinato Sacerdotes fiant, idem dicendum est de Praelaturis Ordinis, quae etiam curam animarum adnexam habent. Ideo *S. Bonaventura* postquam dixerat, S. Patrem haec verba « *Si vero Presbyteri non sunt* etc. » adjunxisse ob paucitatem Sacerdotum ab initio in Ordine existentium, subdit: « Regu- « lariter tamen modo Praelati Sacerdotes esse debent, cum curam « habeant animarum, et per consequens habeant vultus pecorum « suorum, id est, conscientias suorum Subditorum cognoscere, et in « fide ac moribus ordinare ». In tota etiam Ordinis seraphici historia ne unum quidem exemplum prostat de Laico in Ministrum electo: neque etiam, ait *Viator a Cocaleo,* exempla de Guardianis Laicis inveniri possunt, si excipiamus *S. Didacum,* qui apud Missionarios existens in Guardianum electus est. Imo si contingeret Laicum fieri Guardianum (1), tunc solummodo ceu Pater familias constitutus ad temporalem conventus curam, et ad invigilandum exteriori disciplinae considerari deberet; nullatenus autem verus Praelatus regularis esset, quia jurisdictionis spiritualis incapax est. *Philippus a Cast.* (de I. Praec. virt.) testatur, a Capitulis generalibus a Rom. Pontificibus confirmatis declaratum esse, Laicos omnis praelaturae esse incapaces. Minister ergo Provincialis debet esse Presbyter; quia habet in suos subditos potestatem *quasi Episcopalem,* vi cujus potest suos subditos ligare et solvere in utroque foro, Confessarios instituere, et illis jurisdictionem in suos subditos impertiri, etc. Attendendum autem omnino est, quod in Regula dicitur, nimirum poenitentiam injungendam esse *per alios Sacerdotes Ordinis,* et non per Sacerdotes exteros: ideo hic aliqua dicenda sunt, de Confessariis Fratrum, et quidem 1. *de Confessariis Fratrum intra Ordinem,* et 2. *de Confessariis Fratrum exteris.* Sermo hic instituitur praecipue de jurisdictione ad confessiones Fratrum valide et licite excipiendas; magni enim momenti est, ut hac de re genuina notitia habeatur, et ea quoque attendantur, quae a Rom. Pontificibus sancita fuerunt.

(1) Casus iste hodie impossibilis est, datis Juris hodierni et Ordinis nostri praescriptis in contrarium.

§ 116.

I. De Confessariis Fratrum intra Ordinem.

1. Prima atque primaria conditio, quae in Confessionibus tamquam essentiale fundamentum debet attendi, est jurisdictio in Sacerdote, qui confessiones excepturus est. Ut Sacerdos religiosus personarum saecularium confessiones excipiat, debet ab Episcopo Dioecesis, in qua moratur, adprobationem et jurisdictionem (1) obtinere; hanc eamdem vero debet recipere a suo Ministro Provinciali, ut valide et licite Confratrum suorum confessiones excipere possit. Etiamsi ergo aliquis sit Sacerdos, ac etiam adprobatus Confessarius Saecularium, non ideo tamen potest Religiosos sui Ordinis absolvere valide et licite a peccatis mortalibus (2), ac multo minus a reservatis extra casum necessitatis (3), nisi habeat approbationem et jurisdictionem a Superioribus sui Ordinis; quoniam *Clemens VIII* (C. *Romani Pontificis*, anno 1599), revocatis omnibus particularibus Indultis quoad articulum electionis Confessariorum extra Ordinem, subdit: « quod iidem Fratres et Moniales, quantum ad Sacramentum « Poenitentiae seu Confessionis administrationem, *dispositioni suorum*

(1) Communiter tamen tenent AA. jurisdictionem regularium etiam quoad saeculares esse a Pontifice Maximo, et Ordinarii vel Superioris (respective) consensum esse tantum conditionem sine qua non communicatur talis jurisdictio seu jurisdictionis usus.

(2) Imo neque a venialibus. Et sacrilega foret absolutio ab hujusmodi venialibus data a confessario non approbato. « Non permittant (Episcopi), ut ve- « nialium confessio fiat simplici sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Or- « dinario. Si parochi et confessarii, etiam regulares, aut quicumque alii sacer- « dotes secus egerint, sciant Deo Optimo Maximo rationem reddituros esse, neque « defuturam Episcoporum et Ordinariorum justam ac rigorosam animadversionem « in contrafacientes, etiam regulares, etiam Societatis Jesu, facultate ipsis Epi- « scopis et Ordinariis per hoc Decretum per Sedem Apostolicam specialiter at- « tributa. » (*S. Cong. Conc.* 12 Februar. 1679, probante *Innocentio XI*).

(3) Generatim requiritur 1° impossibilitas adeundi Superiorem etiam per Litteras, vel alium facultatem habentem; 2° periculum in mora, vel grave imminens incommodum. Et tunc absolutio est indirecta quoad non reservata. Cfr. *Theol. Mor.* ubi agitur an aliquando inferior possit absolvere habentem peccata reservata extra mortis periculum.

« *Praelatorum subjecti sint,* apostolica auctoritate praesentium tenore « perpetuo declaramus ».

2. Jurisdictio in Sacerdote, qui confessiones Religiosorum sui Ordinis excepturus est, duplex distingui debet nimirum *ordinaria,* et *delegata.* Ordinaria est, quae competit officiis totius Religionis: sic Provincialis in sua Provincia, Commissarius in suo districtu, et Guardianus in proprio conventu jurisdictione ordinaria gaudent, si hunc ultimum circa casus reservatos excipiamus, cui ex jure talis facultas non competit (1). Carent eadem ipsi etiam Definitores Generales, eoque magis Definitores Provinciales (2) et ipsi Custodes juxta resolutionem Capituli generalis, anno 1698 habiti. Jurisdictio delegata ea est, quae a Praelatis suis subditis traditur audiendi Fratrum confessiones sive ordinarias, sive extraordinarias pro casibus reservatis. Qui pro casibus reservatis deputantur, sunt *Poenitentiarii;* qui autem hoc officio non sunt onusti, sunt *Confessarii Fratrum simplices.* Jurisdictio autem deleganda est tum in hos, tum in illos a Ministro Provinciali; nam Guardianus, quamvis verus Praelatus sit, non fruitur tamen nisi auctoritate parochiali, et idcirco non potest conferre jurisdictionem confessionis ea carentibus.

3. Delegatio tum Confessariorum, tum Poenitentiariorum in Religione fit de Capitulo in Capitulum ab hora publicae notificationis novae familiae, seu, ut dicunt, tabulae Capitularis: idem dicendum est de intermediis Definitorii Congregationibus, in quantum per istas mutationes contingunt. Eo enim ipso tempore jura veteris familiae cessant, si non confirmentur, et nova familiae denuo destinatae initia sumunt. Nihilosecius usus invaluit, ut Confessarii veteres alio deputati, urgente Guardiano sive Superiore loci, Confessiones adhuc recipere prosequantur, usque dum tempus transmigrandi advenerit (3). In transitu per alios conventus Confessarii exteri nullum jus habent confessiones excipiendi (4). Quod si Confessarii transmeantes, et alio

(1) Tamen odiosissimum foret Guardianis non concedere facultates Poenitentiariorum, quibus, ut patet, gaudere debent saltem duo, vel tres, vel plures ex subditis confessariis.

(2) In praxi nullibi negatur ipsis talis facultas, sed positive ipsis ac amplissime concedi solet a respectivis Moderatoribus.

(3) Contraria consuetudo et necessitas deducta ex relativa paucitate hodierna confessariorum postulat benigniorem interpretationem.

(4) Hodie ordinario haec ratio non attenditur, nam jurisdictio extendi solet, et optandum ut extendatur ad totam provinciam. Standum tamen consuetudini Provinciarum.

destinati, inconsultis Superioribus, in Conventibus intermediis Poenitentes ad Sacramentum Poenitentiae admittant, confessiones de facto sunt nullae ex jurisdictionis defectu (1). Secus autem dicendum, si consuetudo in oppositum vigeat, videlicet, ut Sacramentorum collatio rata a Superioribus habeatur, quoadusque Confessarii veteres non discedant, alibi transmigraturi. Sunt in eo casu omnes Confessarii exteri, consequenter ejusdem conditionis. — Guardiani vero quovis tempore pro libitu Confessarium, etiam alias non deputatum, vel etiam alterius Familiae, aut Provinciae eligere, et ab ipso ab omnibus peccatis absolvi possunt; et hoc privilegio non solum in suo, sed etiam in alieno Conventu gaudent (2). Idem dicendum est de Vicariis

(1) Iterum hoc in praxi vix dari potest, quia omnia hodie suadent ampliorem jurisdictionis concessionem. Olim ob cleri abundantiam Episcopi difficiliores erant in concedendis vel extendendis licentiis ad confessiones excipiendas; hodie vero faciliores existunt, et regularibus ordinario totam dioecesim assignant pro confessarii munere. A pari hodie faciliores esse debent hac in re Provinciales, nec rigorem restrictivum cum propriis subditis conservent, a quo vel ipsi Ordinarii recedunt. Aliunde facilitas communicationum et caetera adjuncta praesentium temporum, in quibus etiam regulares multiplicare debent itinera sacri ministerii causa, fortiter postulant, ut facultates confessariorum Ordinis non restringantur ad conventum in quo morantur. Et si quid ex antiquis Ordinis praescriptis in contrarium existit, id de jure absoluto in se erat, et in praxi abrogatum dici debet per non-usum vel per usum contrarium, et faciliorem jurisdictionis extensionem; cum aliunde nunquam denegata fuerit Majoribus Praelatis potestas ordinaria approbandi pro tota Provincia, ut hodie generatim approbare solent. Hinc non obstante antiquo rigore restrictivo jurisdictionis relate ad territorium, jam sub primordiis saeculi prodiit in Ordine nostro sequens declaratio: « An Fratres, qui in Capitulis Provincialibus eliguntur ad audiendas aliorum Fratrum confessiones, possint eas excipere in omnibus Provinciae conventibus? — R. Affirmative; tamen non possunt absolvere a reservatis, nisi in illis, ubi sunt de familia, absque licentia expressa P. Provincialis ». Non ergo mirandum si hodie, facta majori Sacerdotum diminutione, confessarii, et poenitentiarii sine limitibus constituantur: imo, si aliud expresse non praescribatur, licentia durat usque ad revocationem, etiam cessante ab officio actuali Ministro Provinciali.

(2) Hoc tamen solis Generali et Provincialibus concedi deducitur ex ipso tenore documentorum Alexandri IV et Sixti IV. Unde talis facultas merito negatur Guardianis a doctissimis Ferrari, Matthaeucci, Piccirelli, etc. In praxi tamen id parum interest, data hodierna ac generaliori praxi, qua confessarii Fratrum possunt facultatibus uti pro tota Provincia. — Nota quod Praelati Majores non possunt eligere non approbatos: sic enim pro Cardinalibus et Episcopis declaravit S. Cong. Conc., probante Gregorio XIII, ut refert Fagnanus.

localibus in proprio Conventu, si Guardianus non adsit. Privilegium hoc illis concessum fuit a Sixto IV, ut ait *Bernardus Bon.*

4. Non solum Praelati, sed etiam Poenitentiarii ab ipsis deputati Fratres suos absolvere possunt ab omnibus peccatis, et censuris etiam Papae reservatis, in foro conscientiae. Romani enim Pontifices *Gregorius XI, Martinus V, Eugenius IV, Leo X, Pius V* et *Benedictus XIII* hoc privilegium Regularibus concesserunt, ne indisciplinatis detur occasio evagandi pro obtinenda absolutione, et ut potius intra sacram Claustri solitudinem piis exercitiis ac mortificationibus insistentes facilius compungantur, et citius resipiscant (V. *Patuzzi,* Tr. 10. de Sacr., Dis. 5, c. 5). Secus vero dicendum est, si crimen notorium, et in foro fori absolvendum esset: munus enim istud privativum est in Praelatis, qui tamen quemcunque alium sibi subditum ad id explendum seligere et deputare possunt. — Tres tamen casus, ut recte notat *Philippus a Castel.,* etiam pro foro conscientiae excipiendi sunt; nimirum Haeresis externe manifestata, Absolutio complicis, et falsa denuntiatio Confessarii: in his gravissimis casibus nullus Confessarius absolvere potest, ne Minister quidem Subditum suum (1).

5. Circa Novitios *Sanctes* putat, quod nullus possit ipsorum Confessiones excipere eosque absolvere, nisi Magister, addita ratione, quia nullus alius habet in eosdem vel ordinariam, vel delegatam jurisdictionem, dicente *Clemente VIII:* « Magistro soli Novitiorum « Confessiones audiendi cura committatur ». Sed alii cum *Lucio*

(1) Hodie haec omnia omnino aliter solvenda, ut patet ex sequentibus verbis Const. *Apostolicae Sedis,* 15 Octob. 1869, in qua quoad facultatem absolvendi a casibus Sedi Apostolicae reservatis haec leguntur: « Quae vero privilegia aut « facultates sive a Praedecessoribus Nostris, sive etiam a Nobis cuilibet coetui, « Ordini, Congregationi, Societati, Instituto etiam Regulari cujusvis speciei, etsi « titulo peculiari praedito, atque etiam speciali mentione digno a quovis unquam « tempore huc usque concessae fuerint, ea omnia, easque omnes Nostra hac « Constitutione revocatas, suppressas, et abolitas esse volumus, prout reapse re- « vocamus, supprimimus, et abolemus » etc. Confirmatur ex declaratione S. Poenitentiariae: « Ad dubium: An Praelati regulares post Constitutionem *Aposto- « licae Sedis* iisdem privilegiis gaudeant quibus antea, id est, possint necne suos « subditos absolvere a casibus papalibus in dicta Constitutione *simpliciter* re- « servatis? — Sac. Poenit., die 5 Decembris 1873, respondit: *Negative,* salvis « illis facultatibus, quae promanant ex Rescriptis particularibus ad tempus con- « cessis. »

Ferrari (v. Novit. n. 13) cum majori soliditate contrarium propugnant, et dicunt: ea, quae *Clemens VIII* hic ordinavit, consilii, non praecepti esse, et Novitium in favorabilibus cum Regularibus et Saecularibus communicare, cum neutris vero in odiosis; atque ideo eum confiteri posse etiam Sacerdoti pro solis Saecularibus adprobato, et probabilius a casibus reservatis tum episcopalibus, tum regularibus a quocunque Confessario absolvi posse (1).

6. Quamvis Superiores vi Decreti *Clementis VIII* possint pro peccatis sibi reservatis, sive non reservatis poenitentias a Confessario imponendas statuere, non possunt tamen pro delictis occultis statuere poenitentias publicas, ex quibus Poenitentis infamia sequeretur, et sanctitas sigilli sacramentalis, saltem indirecte, laederetur (2).

---

(1) Quod confirmatur ex S. Ligor. l. VI, n. 583: « Religiosi exempti non subjacent reservationi Episcopi, nec eorum Novitii (*Mazzotta, t.* 3, *p.* 458, *q.* 5). Neque ipsorum familiares, ut habetur ex Bulla Clementis VIII *Superna,* modo (ut ibi dicitur) *inibi sint quasi de familia, et continui commensales.* Id extendit Bordon. ad Alumnos Monasteriorum. Si vero Novitius inciderit in casum reservatum ante ingressum, non poterit quidem absolvi a quolibet Confessario saeculari, sed poterit a Confessario Religionis, ob privilegium Religioni concessum (*Mazzotta, l. c., cum Sanchez, Tamb. et aliis*) ». Si tamen casus episcopales habeant censuram adnexam, v. g. ex Const. « *Apostolicae Sedis* », tunc necessaria erit Episcopi licentia ad absolvendum poenitentem tali censura innodatum.

(2) Unde in praxi etiam ab hujusmodi occultis poenitentiis designandis abstinere solent generatim prudentes Praelati. In dubio an aliqua poenitentia sit quomodocumque contraria sigillo sacramentali, Praelati omnino abstinere debent. Hac enim in re non licet uti opinione probabili, sed tutior pars eligenda est. — Hic opportune transcribendum occurrit decretum S. C. C. Ad dubium: « An liceat, ut Confessarii singuli exhibeant Superiori nomina eorum qui ad suos pedes gratia Sacramentalis Confessionis accedunt? S. C. Concilii respondit: Non licere » (die 26 Martii 1678). Unde reprobata existit exhibitio Superiori nominum poenitentium.

§ 117.

II. De Confessariis Fratrum exteris.

1. Cum S. Pater praecipiat, ut Ministri, si Presbyteri non sunt, delinquentibus poenitentiam injungi faciant non per Sacerdotes exteros, sed *per Sacerdotes Ordinis;* jure inde infertur, ipsum velle, ut Fratres Minores ad habendam absolutionem sacramentalem non jam ad Sacerdotes exteros, sed potius ad Sacerdotes proprii Ordinis recurrant. Haec disciplina jam in primis Ordinis temporibus tam sancta habebatur, ut *S. Bonaventura* (tr. Quare Fr. Min. audiant Confess.) scriberet: « Ad proprios Confessarios tenentur Fratres re- « currere de Regula, et de Jure; alioquin peccata non diluerent, « sed augerent ». Romani etiam Pontifices *Leo X, Innocentius VIII* et *Clemens VIII* strictissime prohibuerunt Confessiones extra Ordinem apud Sacerdotes vel Saeculares, vel alterius Religionis praeterquam in mortis articulo deponendas. Illicitae ergo sunt tales confessiones, et invalidae propter defectum jurisdictionis, quam Confessarii exteri neque a Ministro Provinciali, neque a Papa habent (1).

2. Ex gravissimis rationibus Confessiones apud Sacerdotes exteros, i. e. non ad eumdem Ordinem pertinentes, prohibitae fuerunt: 1. enim Confessarii exteri, cum debitam notitiam Regulae, Constitutionum, et Observantiarum Ordinis communiter non habeant, officio doctoris, medici, et judicis rite fungi non possunt; talem requisitae cognitionis defectum etiam in viris caeteroquin religiosis et doctis inveniri, testatur *Bonav. Dernoye* dicens: « Apparet aliquando ex « libris exterorum, alias doctissimorum, quantopere in rebus nostris « hallucinentur, dum ea nihili aestimant, quae apud nos aperte « mortalia sunt, et dum Regulam nostram juxta suarum Constitutio- « num obligationes metiuntur » (2): 2. si confessiones extra Ordinem

(1) In hac materia in praxi attende ad facultates speciales, si quas habeant confessarii exteri, vel ipsi poenitentes, ut aliquoties accidit.

(2) Nota, quod in hac re confessarius potest instrui ab ipso poenitente: nec ullus Frater potest ignorare principales obligationes ac praecepta communia ex Voto ac Regula provenientia. Aliunde prudens confessarius tenetur interrogare poenitentes regulares, quando ex tenore accusationis timet existentiam violationis alicujus gravis praecepti. Haec dicta sint ad tollendas conscientiarum anxietates.

indiscriminatim permitterentur, plurimis noxiisque evagationibus sub titulo Confessarium quaerendi locus daretur: 3. audacia quoque eorum, qui se suis Superioribus debito modo submittere recusant, tali modo refugium inveniret; Fratres enim dyscoli, proprio amore obcaecati, de suis Superioribus tamquam de injustis tyrannis conquererentur, et Confessarii exteri nec hos nec illos satis cognoscentes facillime calumnias crederent, contumaces confirmarent, et pacem perturbarent; quae omnia non tam facile apud confessarios ejusdem Ordinis contingunt, qui tum subjectorum, tum circumstantiarum meliorem notitiam habent: 4. occasione confessionum apud exteros factarum facili modo exempla mala, persecutiones, et discordiae Fratrum, vel alia secreta in dedecus, et detrimentum Ordinis vergentia manifestarentur, jamque magna calumnia Ordini inferretur, si pro unius directione poenitentis foris esset aliquis quaerendus, quasi nullus foret domi sufficiens (1).

3. Quamvis ex causis justissimis confessiones apud Sacerdotes exteros prohibeantur, casus tamen contingere possunt, in quibus Fratres extra Conventum commorantes Sacerdotibus exteris peccata sua confiteri cogantur. Pro talibus casibus sapientissime providit *Benedictus XIV,* qui in sua Constitutione *Quod communi* anno 1742 edita ordinavit, « ut quilibet ex Fratribus Ordinis Capuccinorum, — « qui de suorum Superiorum licentia quacunque de legitima causa, « titulo, et occasione — alicubi reperitur, ubi nullus conventus, seu « hospitium, nullusve Frater dicti Ordinis Confessarius invenitur; « libere, et licite possit, ac valeat quemlibet Presbyterum saecularem « ab Ordinario loci, vel Regularem a suo Superiore regulari ad sa- « cramentales confessiones excipiendas adprobatum adire, eique pec- « cata sua confiteri, atque ab ipso obtinere absolutionem sacramen- « talem etiam quoad casus per Constitutiones, et Statuta regularia « dicti Ordinis reservatos, incursasque proinde censuras; recepta « salutari poenitentia, praestitaque obligatione se statim, quoad ipsi « permissum fuerit, coram suo regulari Superiore praesentandi, et « de novo super casibus et censuris hujusmodi absolutionem impe-

(1) Hanc tamen rationem admittere non solet in praxi S. Sedes, nam facile concedit indulta particularia; nec quidquam detrimenti sumunt Instituta vel Provinciae, in quibus fiunt confessiones apud exteros v. g. ob praedicationum frequentiam, etc. Sanctitas sigilli certo sufficit ad vitanda incommoda.

« trandi etc. » Haec sunt Summi Pontificis verba. — Ut autem quis hoc privilegio valide, et licite utatur, variae conditiones praescribuntur, quas bene observare oportet. Nam 1. requiritur, ut quis de Superiorum suorum licentia iter instituat, vel extra conventum commoretur; 2. praecavetur, ne quis exeat in fraudem ad detegenda alieno Confessario peccata, quae confessario proprii Ordinis confiteri erubescit; nam juxta commune adagium fraus et dolus nemini patrocinari debent (1); 3. facultas Confessarios exteros adeundi tunc solum conceditur, cum nullus Confessarius proprii Ordinis inveniri potest; unde, si adesset Confessarius Capuccinus, non quidem pro Fratribus deputatus, sed solum pro Saecularibus approbatus (2), apud hunc confessio deponenda esset; imo, si non in nimis magna (3) distantia Confessarius proprii Ordinis inveniretur, ad hunc, ait *Bernardus Bon.*, accedendum esset, nisi laesio sanitatis, aut famae timenda foret, vel,

(1) Ad rem faciunt quae habet Gury, t. II, n. 583: « Juxta *probabiliorem sententiam* fraus ejusmodi intercedit, quando quis alienam petit dioecesim ob principalem finem non solum confitendi, sed etiam declinandi judicium proprii Pastoris (*S. Lig. n.* 589, *et alii communiter*). Hinc valide absolvi poterit peregrinus, si abierit in alienam dioecesim ob aliquem honestum finem, puta negotii agendi, vel lucrandae indulgentiae causa, vel ut confiteatur minori cum incommodo, aut citius confessionem perficiat, vel ut Confessarium incognitum aut prudentiorem inveniat, qui melius eum dirigat, et tranquillitati suae conscientiae consulat, aut ob alia motiva similia. »

(2) Hodie id non amplius locum habet, nam ex Indulto Pii IX, 27 Sept. 1852, praesentia *unius* sacerdotis tunc non sufficit ad impediendam confessionem extra Ordinem. En Pontificis verba: « Concedimus atque indulgemus, ut quilibet ex Fratribus Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum, sive in sacro presbyteratus Ordine constitutus, cujuscumque status, gradus, et dignitatis, sive laicus, sive conversus fuerit, qui de Superiorum suorum licentia quacumque legitima ex causa, sive praedicandi verbum Dei quocumque tempore, sive obeundi sacras missiones, sive iter agendi, et in locis commorandi, ubi nullum coenobium, sive hospitium sui Ordinis existat, atque unum tantum habeat religiosum ejusdem Ordinis sacerdotem, apud quem sua peccata confiteatur, hoc casu libere et licite possit quemlibet presbyterum saecularem ab Ordinario loci, seu regularem a Superiore suo regulari rite probatum adire, eique peccata sua confiteri, ab eoque obtinere sacramentalem absolutionem, etiam quoad casus per Statuta Ordinis reservatos, incursasque proinde censuras, praestita tamen obligatione, se statim, ut primum licuerit, Superiori suo regulari praesentandi, atque iterum super casibus et censuris hujusmodi absolutionem ab ipso impetrandi. »

(3) Hoc tamen est nimis rigorosum; nihil enim aliud requiritur nisi ut nullum sit *in loco* coenobium vel hospitium. Aliunde favores sunt ampliandi: ergo non requiritur *magna distantia*.

quod addendum esse videtur, grave officium negligeretur. 4. Duos casus ipse Summus Pontifex in Bulla exprimit, in quibus licentiam confitendi extra Ordinem concedit: primus est, quando ex neglecta confessione scandalum oriretur in populo; confessio enim permissa dicitur, « ne longe, et diu absentes ob Confessarii defectum vel a « faciendo Sacro, aut SS. Eucharistiae Sacramento percipiendo non « sine populorum, quibuscum interea temporis conversantur, scandalo « abstineant »: alter vero casus est, « ne ad sacrosanctum Missae « Sacrificium celebrandum, aut Angelorum panem sumendum.... cum « conscientiae angore accedant ». — Solummodo in hoc duplici casu datur licentia confessionem apud exterum deponendi. Attamen si quis quotidie celebrationi Missae confessionem praemittere soleat, posset, uti ait *Viator a Coc.*, etiam extra conventum eamdem consuetudinem continuare: atque ideo multo magis dicendum est, piam consuetudinem semel, aut bis in hebdomada confitendi, deficiente Confessario Ordinis, apud exterum ope privilegii continuari posse. Jure etiam observat *Philippus a Castel.* omnino admittendum esse, quod Fratres non solum in casu necessitatis ob commissum mortale peccatum, sed etiam ex sola devotione praedicto privilegio uti possint; nam si tantum in praedicto necessitatis casu ipsis Confessarium exterum adire liceret, ipsa confessio signum manifestum foret, quod in peccato mortali, vel saltem in hujus angore constituti sint, et sic scandali occasio praeberetur (1). 5. Qui per Confessarium exterum absolvuntur, juxta Constitutionem *Benedicti XIV,* obligationi subjiciuntur statim, quoad ipsis permissum fuerit, coram suo regulari Superiore se praesentandi. Quoniam autem per Clementem XIII praesentationes abrogatae, et Poenitentiarii introducti fuerunt, ideo modo sufficit, ut in regressu ad Conventum confessio reservatorum apud Poenitentiarium repetatur. Confessiones vero apud exteros factae de solis peccatis venialibus non sunt iterandae, ut ait *Viator a Coc.* (Exp. 21, n. 7); et idem dicendum est de confessionibus peccatorum mortalium non reservatorum.

4. Quando contingeret, Confessarios ordinarios in propria fa-

(1) Haec sententia est tutissima: nam verba Benedicti XIV hic citata sunt motiva concessionis, non vero restrictio privilegii. Confirmatur ex Indulto Pii IX, in quo haec verba omittuntur. Unde in itinere sola devotio vel quaevis alia ratio sufficit ad legitimum usum privilegii. — Haec privilegia certo valent pro novitiis, nam in favorabilibus aequiparantur et professis et saecularibus.

milia desiderari, hujus Guardianus potest ad hoc officium deputare interea Sacerdotes sive conventuales, sive exteros, dummodo alias fuerint adprobati, quemadmodum etiam Parochi id gerere valent (1) (V. *Viator a Cocaleo* in c. 7, exp. 20, n. 1). — Quaestio mota est, an Minister Provincialis possit Sacerdoti extero jurisdictionem in suos subditos delegare? — Nonnulli cum *Philippo a Castel.* (I. Praec. virt. art. 5) id affirmant; quia juxta declarationem *Clementis V* non est strictum praeceptum poenitentiam per *Sacerdotes Ordinis* injungendi, et quia Ministri Provinciales habent potestatem quasi episcopalem; quare sicut Episcopi Regularibus in suos subditos, sic Ministri Confessariis exteris in Religiosos sibi subjectos jurisdictionem tribuere possunt. Sed tamen id probabilius (2) negandum est, quia tali delegationi obstant pontificia decreta. Nam jam *Bonifacius VIII* et *Sixtus IV* confessiones extra Ordinem « nisi in « necessitatis articulo » prohibuerunt; *Clemens VIII* anno 1599 idem decretum confirmavit Bulla (*Rom. Pontificis*), in qua vetitum fuit, ne quis Religiosus, excepto necessitatis casu, extra Ordinem confiteatur; neque his decretis derogatum est per litteras *Benedicti XIV*, nisi quoad casus in his expressos: extra istos ergo non licet Ministro Provinciali Confessariis exteris jurisdictionem delegare. Accedit, quod hi plerumque ob ignorantiam Regulae satis idonei non sint; unde etiam monent Expositores, poenitentes, qui privilegio Benedicti XIV utuntur, si graviter Regulam violassent, confessarium de gravitate praecepti violati instruere debere.

---

(1) Parochi non possunt jurisdictionem circa Sacramentum Poenitentiae communicare, neque illam extendere: unde in praxi non admittitur potestas delegandi ad excipiendas confessiones, ut tradunt melioris notae Auctores. Quoad Regulares aliter dicendum generatim. In hujusmodi praesertim adiunctis, de quibus agit Auctor, ad rem facere poterit declaratio *S. Cong. EE. et RR.* 3 Junii 1864: « Quidam Regularis utens facultate obtenta a Priore sui conventus, confitetur sacerdoti, et quidem approbato. Quaeritur an valide? *Et quatenus affirmative:* Utrum Prior possit jure subditis suis hanc facultatem concedere, necne? — R. In Ordine Eremitarum S. Augustini, Affirmative ad utrumque, dummodo sacerdos fuerit ex approbatis ab Ordinario loci. Pro aliis Ordinibus, standum Constitutionibus et Statutis ». In praxi melius est abstinere.

(2) Vide notam praecedentem, ubi indirecte saltem solvitur haec quaestio.

ARTICULUS IV.

§ 118.

Monita S. Patris.

TEXTUS. *Et cavere debent, ne irascantur, et conturbentur propter peccatum alicujus; quia ira, et conturbatio in se, et in aliis impediunt charitatem.*

Seraphico nostro Patri maxime cordi fuit, ut Fratres peccantes mox iterum resipiscant, et, Deo reconciliati, virtutis semitam denuo ingrediantur; ideo huic capiti monita adnectit, quae 1. *a Superioribus*, et 2. juxta hodiernam disciplinam etiam *a Confessariis Fratrum* attendi debent.

§ 119.

I. Monita pro Superioribus.

1. Sapientissime S. Pater monet Ministros Provinciales, omnesque Superiores, ut in Fratrum delinquentium correctione ab ira et conturbatione caveant. Per iram enim cordisque conturbationem ratio offuscatur, et ad recte dijudicanda tum delicta, tum emendationis media inepta redditur; voluntas autem depravatur, et ad immoderatum noxiumque rigorem pertrahitur. Ipsa quoque correptio ex ira, et non ex charitate suscepta Superiori non ad meritum, sed potius ad culpam imputabitur.

2. Ira et conturbatio non solum *in se*, i. e. in ipso Superiore, sed etiam *in aliis*, i. e. in Subditis impediunt charitatem; funditus enim concutiunt principales virtutes Religionis domum fulcientes. Nam 1. *amor subditorum erga Superiores* suos est unum ex bonis praecipuis vitae religiosae: quam difficile autem est, considerata humanae naturae imbecillitate, amare eos, qui rigorem irati Judicis, et non clementiam solliciti Patris ostendentes, seipsos reddunt odi-

biles? Ad Superiores quoque ea lex evangelica dignoscatur pertinere: *Patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros* (Eph. 6, 4). 2. *Obedientia religiosa* supra modum difficilis redditur sub rigidis et iracundis Superioribus; cum econtra patientia taliter corda Subditorum perstringat, ut repugnare ulterius erubescant. 3. *Unitas et concordia* in Ordine scinditur, murmurationibus janua aperitur, et lamentabiles pariuntur cordium alienationes. 4. *Sinceritas* demum inter Religiosos evanescit, ac hypocritae, vel etiam Apostatae producuntur, praesertim si ira diuturna sit, et irreconciliabilis videatur.

3. Ex his rationibus S. Pater, prout iram prohibuit, sic econtra misericordiam et clementiam erga Fratres peccantes maxime commendavit. *Fr. Eliae,* Ministro generali Ordinis a se constituto scripsit: « In omnibus, quae agis, tibi commendo charitatem et pa« tientiam. Necesse est, ut multa sufferas. In hoc cognoscam, quod « ames me, et quod ames Dominum Jesum, si nullus Frater in « mundo existat, qui, postquam qualecunque enorme delictum com« miserit, et ad te venerit, misericordiam a te non obtinuerit. Et si « ipse illam non quaesierit, tu ipse illam offer; et si millies ad te « recurrerit, ama eum plus quam me, ut illum lucreris, et mise« ricordiam exercere assuescas ». — Juxta haec S. Patris sensa monent etiam Constitutiones nostrae Praelatos, ut viscera charitatis et clementiae adaperiant erga Religiosos infeliciter lapsos. In memoriam ideo revocant, quae Filio prodigo in suo ad paternos lares regressu praestitit ejus Pater, nec non blanditias boni Pastoris pecori erranti, atque deperditae, et iterum repertae exhibitas, ut ex his, et aliis imaginibus perdiscant, quomodo gerere se debeant erga Filios spirituales, cum in sinum eorum convolant, clementiam consecuturi. Ipsa experientia confirmat, quod gravissimi Doctores testantur, homines peccantes facilius per benignas admonitiones, quam per acres correptiones emendari.

4. Quamvis autem ira prohibeatur, et misericordia commendetur, *zelus* tamen non excluditur: « quae virtus est necessaria in pec« catis corrigendis », ait *S. Bonaventura* (in c. 7). Charitas ergo habenda est erga peccatores ad instar medici, qui curat, non ejus, qui negligit infirmum. Falsa est benignitas, quae disciplinam perire permittit; peccator est amandus et tolerandus, non peccata. Ipsa charitas exposcit, ut, si ad vulnera curanda lenia medicamina non sufficiunt, acerba etiam adhibeantur. In hoc ergo summa totius prudentiae in Fratrum peccantium correctione consistit, ut benignitas et severitas cum recto temperamento jungantur.

§ 120.

II. Monita pro Confessariis Fratrum.

1. Poenitentiae Sacramentum, debito modo administratum, generatim ad populi christiani mores emendandos efficacissimum medium esse, omnes catholici doctores testantur. Eodem modo plurimum confert ad vitia etiam e Religiosis eliminanda, et ad virtutis studium in eis promovendum. Superiores enim solummodo peccata externa et publica, confessarii autem etiam interna et occulta corrigere possunt. Non inepte ideo *Philippus a Castel.* (l. c. art. 4), ut ostendat, quibus modis disciplina regularis restauretur, et conservetur, Religiosis a recto tramite deviantibus applicat celebrem illam imaginem (Ezech. cap. 37), in qua Israelitae (v. 11) per peccata spiritualiter mortui ossibus aridis, et per poenitentiam conversi corporibus resuscitatis comparantur. Sicut enim haec resuscitatio per triplicem Prophetae vocem facta dicitur, ita etiam disciplinae regularis reformatio per triplex hominum genus perficienda est. Propheta enim narrat: *Dominus dixit ad me: vaticinare de ossibus istis, et dices eis: ossa arida, audite verbum Domini* (v. 4). — *Et prophetavi sicut praeceperat mihi: factus est autem sonitus prophetante me, et ecce commotio* (v. 7). — Ita Praelati monendo, obsecrando, arguendo, corripiendo *ossa arida,* i. e. Religiosos dyscolos commovent. Praeterea Propheta nomine Dei ossibus acclamavit: *dabo super vos nervos, et succrescere faciam super vos carnes, et superextendam in vobis cutem* (v. 6); — *et accesserunt ossa ad ossa unumquodque ad juncturam suam: et vidi, et ecce super ea nervi, et carnes ascenderunt, et extenta est in eis cutis desuper: et spiritum non habebant* (v. 7). Ita Magistri et Lectores Regulam exponendo, doctrinamque moralem et asceticam tradendo ossa conjungunt, i. e. Religiosis officia sua assignant, modumque haec adimplendi docent. Ultimo *dicit Dominus Deus: — insuffla interfectos istos, et reviviscant. Et prophetavi sicut praeceperat mihi, et ingressus est in ea spiritus, et vixerunt, steteruntque super pedes suos.* Ita Confessarii per salutaria monita ipsum cor tangentes, et supernam gratiam conferentes, spiritum et vitam tribuunt. Confessario ergo

Fratrum dici potest: *mors et vita in manu linguae* tuae (Prov. 18). Confessarius nempe Fratrum plurimum ad disciplinam regularem restaurandam et conservandam conferre potest.

2. Quod circa peccata publica commendatur Ministris et quibuslibet Superioribus, id circa peccata occulta magis magisque observandum est a Poenitentiariis in Tribunali Confessionis, ubi teneritudo et amor magis quam rigor in vere poenitentibus triumphare debent, utpote ad eos fiscus non pertinet, sed mera Sacramenti administratio, non justitiae punientis flagellum, neque rigida animadversio, sed charitas dulcedine redundans. Ipsa autem charitas in Confessariis ardentem animarum zelum procreare debet, quo Fratres suos poenitentes a vitiis liberare, et ad virtutis apicem perducere studeant. Magna inordinatio esset, si hac de re diligentiorem pro personis saecularibus, quam pro suis Confratribus curam monstrarent. Meminerint Poenitentiarii, quod etiam dum Fratrum confessiones excipiunt, officia Doctoris, Medici, et Judicis explere obligentur. Opus ergo omnino est, ut praeter convenientem Theologiae moralis et pastoralis scientiam etiam praecepta Regulae, obligationes Religiosorum, censuras ad ipsos spectantes, Ascesin, seu modum perducendi animas ad perfectionem probe cognoscant. Et quia hinc inde etiam Religiosi in culpabili ignorantia versantur, vel passionibus obcaecati se, sua peccata, aut sua officia non rite cognoscunt, Confessarii eos interrogare, examinare, instruere, et monere obligantur. Quamvis autem haec obligatio haud semper graviter urgeat, admonitio tamen quaedam salutaris, etiam dum Sacerdotum confessiones excipiuntur, vix unquam omittenda esse videtur: nam tales admonitiones in tribunali Poenitentiae factae efficacissimae sunt, tum quia tali tempore corda poenitentium ad illas recipiendas magis prona sunt, tum quia, ut ait *Cajetanus M. a Berg.*, verba Confessarii per gratiam sacramentalem majorem virtutem acquirunt.

ARTICULUS V.

§ 121.

Brevis expositio casuum in Ordine reservatorum.

Praenotandum est, reservationem casuum non fieri nisi in peccato *externo, certo,* et *mortali.* Nullus ergo per culpam mere internam, aut etiam externam non penitus consummmatam, vel dubiam et venialem casum reservatum incurrit. — Haec observatio in omnibus casibus reservatis hic explicandis prae oculis habenda est.

§ 122.

Casus I. **Veneficia, Incantationes, Sortilegia.**

1. Per *Veneficium* intelligitur quilibet impius conatus alteri ope daemonis nocendi. Tale scelus committi potest non solum per pactum explicitum cum daemone sub aliqua figura apparente initum, sed etiam per pactum implicitum, quod tunc adesse censetur, quando certa peraguntur opera, vel recitantur verba, vel fiunt signa determinata, aut similia ponuntur in praxi ad aliquid obtinendum, ex quibus neque divinitus, neque naturaliter effectus dependere potest. Per *Incantationes* in specie intelligitur usus certorum verborum, quibus quis ope daemonis mira facere, vel quomodocunque suum commodum promovere studet. Per *Sortilegia* intelligitur usus sortium, vel figurarum, aut numerorum (1) ad aliquid occultum praeteritum, praesens, vel futurum ope daemonis cognoscendum.

(1) Sortilegii speciem habent (plus minusve formalis) exhibitiones numerorum *pro loteria,* quae in Italia frequenter postulantur a rudioribus saecularibus, ut sciant cui numero subscribere debeant ut sortem secure obtineant. Attende tamen ad circumstantias personarum, ad gradum stultae postulantis credulitatis, et ad alias circumstantias, ut secure judices de malitia et reservatione actus hujusmodi (semper de caetero reprobandi et illiciti).

2. *Sixtus V* (Const. *Coeli et Terrae*) concessit S. Inquisitioni, ut contra hujusmodi artium retinentes libros, vel eas docentes, vel discentes, et contra eos, qui illicitas divinationes exercent, sortilegia, superstitiones, veneficia, incantationes, aliaque hujusmodi opera detestanda peragunt, eadem S. Inquisitio diligenter inquirat et procedat, atque eos puniat et coerceat, non exclusis Praelatis, Superioribusque quibuscunque. — Advertunt tamen Auctores, non ita licere S. Inquisitioni procedere, quasi haec sit materia propria sui Tribunalis, super qua inhibetur Praelatis regularibus, ut in causis suorum Subditorum se intromittant, sed proprios Subditos S. Inquisitioni denuntient per decretum *Alexandri VII* (anno 1660). Nam hoc decretum solo de Subditis haereticis, aut de haeresi suspectis loquitur: ergo si cum praefatis criminibus haeresis, aut suspicio de haeresi conjuncta non est, in his ipsi Praelati regulares judicare et procedere, ac proinde etiam Poenitentiarii absolvere possunt. Sollicite tamen se gerere debet Confessarius in exquirenda veritate, an error adsit cum contumacia, aut levis tantum sit extrinseca ejusdem suspicio, ne in messem alienam se ingerat (Cf. Viator a Cocaleo, Cas. I, n. 2, pag. 235).

3. Observandum hic pariter est, excommunicatione Papae reservata esse irretitum, quicunque per incantationes, sortilegia, et alias diabolicas artes Clericum offenderit; ut habetur Can. *Si quis suadente diabolo* etc. (1).

§ 123.

Casus II. **Apostasia a Religione sive habitu dimisso sive retento, quando eo pervenerit, ut extra septa Monasterii, seu Conventus fiat egressio.**

1. Per *Apostasiam a Religione* intelligitur discessio temeraria et illicita Religiosi valide professi a Religione, quam professus est, animo non amplius revertendi ad illam, sive habitus Religionis dimittatur, sive non. — Ut quis casum reservatum hunc incurrat, re-

(1) Haec excommunicatio ex capite *percussionis* clerici est Papae reservata simpliciter, ex Const. *Apostolicae Sedis*. Vide Theol. Moral., ubi de conditionibus ad incurrendam hujusmodi censuram.

quiritur 1. ut sit Religiosus, 2. ut egressio fiat extra Conventus septa (v. § 28, n. 4), 3. ut eadem fiat animo non revertendi, nec aliam Religionem ingrediendi. In foro quidem externo etiam fugitivus ut apostata habetur, quia in illo non attenditur intentio, sed praesumptio; in foro autem interno mere fugitivus probabilius non ut apostata habendus, nec casum reservatum incurrisse censendus est, quamvis alii aliter sentiant.

2. Juxta dicta (§ 28, n. 4) non solum apostatae, sed etiam fugitivi *excommunicationem* incurrunt. Si apostasia secreta fuerit, atque nemini innotuerit, excommunicatio non est absolutioni Praesulum publicae reservata, sed ab ea una cum peccato lethali possunt Poenitentiarii apostatam, seu fugitivum absolvere primo ab excommunicatione, et dein a peccato. — Si autem apostasia notoria fuerit, Ministro Provinciali quoad modum recipiendi deferenda est. In foro tamen conscientiae, absente Ministro, vel instante periculo mortis, vel precibus (1) ejusdem interpositis, apostata a Poenitentiariis potest absolvi, praescripta tamen conditione, ut in foro externo se tanquam excommunicatum gerat (2). Id deducitur ex paritate, qua quis ab excommunicatione absolvi potest cum onere se praesentandi quam primum poterit; qua praesentatione neglecta iterum reincidat, sicuti colligitur ex Can. de Sent. Excom. in 6. Cap. *Eos, qui.*

§ 124.

Casus III. **Nocturna, et furtiva egressio e monasterio, seu conventu etiam animo non apostatandi facta.**

1. Ut quis in hunc casum incidat, 1. debet fieri *egressio vera* extra septa monasterii; 2. eadem egressio debet esse *nocturna;* hinc casum reservatum non incurrit, qui de die, vel sub crepusculo exit, quod nec dies, nec nox valeat nuncupari; nonnulli tamen putant, ad

(1) Intellige: precibus rei interpositis, sive facta instantia ad Ministrum Provincialem ad obtinendam absolutionem in foro externo, quamvis responsum nondum pervenerit. — De absolutione a reservatis in mortis articulo, vide Theol. Moral.

(2) Se tanquam excommunicatum exterius gerere debet ille, de quo in nota praecedenti: non autem qui in mortis articulo fuit absolutus, salva obligatione standi mandatis Superiorum. Vide Theol. Moral.

reservationem sufficere, si egressio fiat sub crepuscolo, et reditus de nocte; 3. egressio debet esse *furtiva,* i. e. facta inscio et invito Superiore; putant tamen plerique, non adesse casum reservatum, si duo, vel tres Fratres, qui in crimine non sunt complices, egressionis notitiam habeant; si autem plures in peccatum conspirarent, et simul furtive egrederentur, tunc hi omnes in casum reservatum inciderent.

2. Quamvis parvitas materiae tum ratione loci, ad quem quis egreditur, tum ratione temporis, quo extra monasterium versatur, non sine probabilitate (1) admitti possit; nihilominus dicendum est, ratione circumstantiarum contingere posse, ut quis per brevem egressum gravissime peccaret, et casum reservatum incurreret: e. g. si quis nocturno tempore ad personam suspectam proxime ad monasterium commorantem accederet, ibique per medium quadrantem, aut etiam brevius maneret: cujus rei ratio ex ipso fine casus statuti desumitur.

3. Etiam ipse Superior, ait *Bonaventura Dernoye,* incidit in casum reservatum, si egrediatur nocturno tempore, nemine, nisi forte complice tantum, conscio. — Egressio autem sine animo apostatandi facta ex hospitiis, et similibus locis, quae non sunt formales conventus, et in quibus proinde clausura locum non habet (2), non est casus hic reservatus; quia licet sit quaedam vagatio sine licentia (et ideo maxime reprobanda), non tamen est violatio clausurae, quae proprie reservatur in hoc casu, si sit nocturna, et furtiva: ita habet *Kilianus Kazenberger.*

§ 125.

Casus IV. **Proprietas contra votum paupertatis, quae sit peccatum mortale.**

1. Peccatum proprietatis tunc committitur, cum aliquid accipitur, retinetur, permutatur, donatur, vel absumitur sine expressa, aut saltem rationabiliter praesumpta licentia Superioris. Quot modis peccatum istud commitatur, jam § 95 ostensum fuit. Ut vero constituat

(1) Parvitatem materiae admittunt Bordonius et Kerckhovius. Sedulo tamen hac in re considerandae circumstantiae casus et intentio legislatoris.

(2) Quoad reservationem aequiparantur conventibus hospitia et residentiae, ubi praest Superior cum parva familia fixa, oratorio et clausura: nam pro hujusmodi hospitiis clausura est obligatoria. Cfr. Decret. S. C. EE. et RR. 2 Sept. 1825.

casum reservatum, oportet, ut sit peccatum mortale: quando autem tale censendum sit, § 94, n. 3 declaratur.

2. Non omnis licet gravis praevaricatio Regulae in materia paupertatis reservata censetur; sed illa solum, in qua vere peccatum proprietatis occurrit. Religiosus ergo, qui habet superflua, cum licentia tamen sui Superioris, non potest dici proprietarius, nec incurrit casum reservatum; etsi de caetero graviter posset peccare contra paupertatem, quae nos obligat ad usum arctum, vel saltem moderatum.

3. Memoratu digna est resolutio casus facta in Capitulo generali anno 1643 habito, quae ita sonat: « Religiosus recipiens aliquid sine « licentia Superioris, quod sit materia peccati mortalis, et postmodum « auctoritate propria illud restituens ei, qui dederit, duplex pecca- « tum committit reservatum, si hujusmodi res est, cuius Religio sit « capax » (1). Ratio est, quia rem injuste accepit, et in rei acceptae redditione iterum dominium sibi arrogat, cum eodem Superiore semper inscio subtrahitur ab ipsius dispositione, quod ei jure resignandum erat, et denegatum fuit, et in ejusdem dispensatione non sinitur, quod ad eum spectabat.

---

(1) Intellige: quando quis recipit non solum absque licentia, sed cum voluntate retinendi absque eadem licentia. Generatim nec reservationem incurrit, nec peccat, si recipiat cum intentione rem manifestandi Praelato et standi mandatis Praelati, ut alibi dictum est ubi de paupertate. Probabilis est opinio, quae unicum peccatum in casu exposito existere tenet, ob carentiam juris in Ordine quoad illam rem. Nam doctrina Capituli Generalis etsi magni facienda non impedit probatas Moralistarum opiniones, neque habet auctoritatem nisi privatorum Doctorum. Unde absque irreverentia legimus a nonnullis AA. contradici quasdam assertiones Capitulorum Generalium, v. g. a Cocaleo in § sequenti. Aliud enim est legum confectio, aliud doctrinalis assertio: quoad primum Capitula habent auctoritatem proprie talem ac publicam, quoad secundum privatorum Doctorum limites non excedunt ac proinde alias sententias non excludunt. Constat aliunde ex Bened. XIV, *de Synod.*, non debere Episcopos sibi arrogare partes judicis inter gravissimos secum contendentes Theologos, et hoc neque in Synodo: a fortiori quaestiones mere doctrinales definitive non dirimuntur per PP. Vocales Capitulorum, neque per ipsos impediuntur probatae Doctorum opiniones circa controversias de Regula. Quae omnia serio notanda ad vitandas difficultates, quae ex diversitate decisionum mere doctrinalium in Capitulis Fratrum Minorum editarum occurrere possunt. Vide pag. 240, in nota, n. III.

§ 126.

Casus V. **Lapsus carnis voluntarius opere consummatus.**

1. Ad hunc casum incurrendum requiruntur tria: 1. *Lapsus carnis,* seu seminis humani effusio; quamdiu enim semen emissum non est, licet per tactus, aspectus, etc. graviter contra castitatem peccetur, casus tamen reservatus non incurritur (1): 2. requiritur, ut lapsus carnis sit *voluntarius* directe, aut indirecte, in se, vel in causa externa graviter mala; quidquid ergo impedit plenam deliberationem, vel perfectum consensum, impedit quoque reservationem: 3. requiritur, ut idem lapsus sit *opere consummatus:* in hoc requisito explicando dissentiunt Auctores. *Bonagratia, Cyprianus, Bernardus Bonon.* dicunt, tunc solum pollutionem reservari, si per actum externum mortaliter malum in genere luxuriae, e. g. per tactum lascivum proprii aut alieni corporis procuretur, atque ideo hunc casum non incurrere, qui aliqua minus honesta peragendo causaret sibi pollutionem, e. g. jocando cum pueris, vel tangendo manus mulieris, quia ista non sunt ex se mortalia in genere luxuriae: haec sententia etiam confirmatur per definitionem Capituli Generalis anno 1633 factam, quae dicit: « Lapsus carnis ex solo visu proveniens, vel ex « imaginatione, etsi mortale peccatum sit, non est tamen reser- « vatum ». Alii tamen putant, ad reservationem non requiri, ut pollutio per opus externum ex se jam graviter malum procuretur, sed « satis esse, (ut ait *Viator a Coc.*) sibi ciere luxuriam, eamdemque « per pollutionem satiare, etiam per ea sola media realia, quae per « experimentum ad semen effundendum apta visa sunt, puta per « visum voluntarie ad obscoenitates applicatum, per quemdam sibi « notum accubitum, per delectationem apposito studio morosam, per « desiderium excitatum, et explicitum luxuriae in objecto sibi repraesentato, vel procurato explendae, licet nulla organica contrectatio « fiat, nullusque accessus lascivus physicus intersit ». Etiam *Bonaventura Dernoye* ejus est sententiae, quod casus reservatus incurratur etiam per actus externos — in se non mortaliter malos, — si

(1) Ex distillatione, etsi fuerit graviter culpabilis, non incurritur reservatio.

per istos pollutio intenditur; quia tunc pollutio *opus consummatum* praecedentium actuum est.

2. Si quis per actus externos graviter luxuriosos ita incitasset naturam, ut seminationem non amplius impedire posset, si tamen ante fluxum seminis *vere poeniteret,* non incurreret casum reservatum juxta resolutionem factam in Capitulo generali, anno 1633. Ratio est, quia tunc opus consummatum, quod reservationi subest, ob retractationem voluntatis non censetur amplius voluntarium. « Verum, « ait *Viator a Cocal.,* Confessarius attendere debet, ne philautia « poenitentem decipiat, ut magis doleat de effectu secuto, quam de « causa praestita. Etenim culpa insidet in causa, et non in effectu; « siquidem aliquando magis super hunc, quam super illam, ne re- « servationem subeat, et rubore subfundatur, et poenitentia salutari « corripiatur, retractatio potest extendi. Animadvertere insuper Con- « fessarius debet, an tempus aliquod inter procurationem et pollu- « tionem interfluxerit. Si enim in actu effusionis tantum voluntatem « retractet, retractatio, quantum mihi videtur, nimis tarda foret, nec « eam sufficere unquam dixerim, ne ea lapsus carnis voluntarius « teneri debeat. Ut igitur vim verae retractationis illa animi resi- « stentia habeat, opus est, ut qui a tentatione est victus se reprimat, « et a procuratione desistat, et facti sui dolens testetur ante Deum « poenitentiam suam, et voluptatem abhorreat, nec in malo effectu « inde proveniente complacentiam habeat, ac detestationem concipiat, « et efficiat dissensum. »

§ 127.

Casus VI. **Occisio, vulneratio, sive gravis percussio cujuscunque personae.**

1. Per *occisionem* intelligitur voluntaria et libera hominis interemptio. Per *vulnerationem* intelligenda venit mutilatio violenta alicujus membri, vel aperitio, aut divisio carnis a carne, non autem vulnusculum ex unguibus, vel dentibus, vel fluxus aliquis sanguinis ex naribus productus, etc. *Percussio,* ut sit reservata, *gravis* esse debet: quaenam autem gravis aut levis judicanda sit, aliquo modo dignosci potest ex rescripto *Joannis XXII* (ap. *Viator a Cocaleo,* pag. 244), qui inter alia dicit: « Illam modicam percussionem aut

« impulsionem pugni, palmae, manus, pedis, digiti, aut baculi, vel « lapidis, quae ad livorem, mutilationem membri, fractiones dentis, « depilationem capillorum haud modicam vel effusionem sanguinis non « excedit, — non transire in atrocem injuriam profitemur, ut propter « hoc sit ab absolutione talium abstinendum, ut tamen non solum « ipsum factum, imo etiam facti qualitas, percutiendi modus, aut « injuriandi circa hoc diligentius attendatur, et ipsius facti circum- « stantia, loci videlicet, et etiam personae, quae sit levis, modica, « gravis, aut enormis injuria cognoscatur ». Gravior enim est injuria in loco publico, quam in privato illata, et percussio, quae levis est, si hominem laicum et plebejum afficiat, gravis esse potest, si magistro, judici, Superiori, aut alteri personae in magna dignitate constitutae inferatur.

2. Casus hic extenditur non solum ad primarios praefatarum injuriarum executores, sed etiam ad mandantes, jubentes, consulentes, non impedientes (cum tamen impedire possent, et tenerentur), animantes, et quocumque modo mediate, vel immediate, active cooperantes juxta juris dispositiones in similibus casibus sancitas. — Casum reservatum etiam illum incurrere, qui seipsum ex malo fine graviter vulneraret, varii Theologi docent.

3. Quando loquimur de occisione, et caeteris accidentibus, ea praesupponimus a « suadente diabolo » parta, et executa: consequenter casum hunc non incurrit, qui per accidens sine sua culpa, vel qui dum mentis compos non esset, e. g. insaniens, vel qui per modum defensionis, servato moderamine inculpatae tutelae, alium percutit, vulnerat aut occidit: quia haec ad culpam nequeunt imputari.

4. Qui Clericum aut personam Religiosam percutit, praeter reservationem incurrit etiam excommunicationem: et haec contrahitur licet percussio levis fuerit; quandoquidem percussio levis a gravi per Canonem non distinguitur, et aeque per levem ac per gravem Persona Deo sacrata magna injuria afficitur, laeditur, spernitur, ac profanatur. — Si vero quaeritur, quomodo Religiosus absolvi debeat a censura propter Clerici aut Religiosi percussionem contracta, respondetur: 1. Si Clericus percussus sit *saecularis,* et percussio sit levis, percussor ab Episcopo Clerici percussi absolvi debet: si autem percussio sit gravis, sed occulta, absolutio erit largienda vel a Sede Apostolica in stylo Curiae, vel a proprio Superiore Regulari de Episcopi licentia juxta *Concil. Trident.* Sess. 24, de Reform. c. 6. — 2. Religiosus unius Instituti percutiens alterum *Ordinis diversi*

debet a Superioribus utriusque Religionis absolvi; ita tamen, ut absolutio et executio poenae facienda sit per Superiorem percussoris tamquam per Judicem ordinarium, cum praesentia et consensu Superioris offensi tamquam Actoris super injuria sui Religiosi, nisi ab eodem totum remittatur, et relinquatur Superiori percussoris: si vero percussio mutua fuerit, uterque a solo proprio Superiore absolvi potest. — 3. Si Regulares sint *ejusdem Ordinis,* seque quomodolibet graviter percusserint, pro absolutione excommunicationis non sunt mittendi extra Ordinem, sed a suis Praelatis debent absolvi (1).

---

(1) Haec modificanda ut sequitur: Ex Const. *Apostolicae Sedis,* excommunicationi Papae simpliciter reservatae subjacent: « Violentes manus, suadente « diabolo, injicientes in clericos, vel utriusque sexus Monachos, exceptis quoad « reservationem casibus et personis, de quibus jure vel privilegio permittitur, « ut Episcopus aut alius absolvat. » Unde non suppressa sunt Praelatorum Regularium privilegia circa absolutionem a censuris ob percussionem, nam hic expresse confirmantur praefata privilegia. Ergo Praelati Minoritae sive « de jure vel privilegio » possunt absolvere ab hoc casu (non vero ab aliis, ut constat ex Decreto in nota ad pag. 381 citato); ac proinde « absolvere possunt suos subditos, « etiam novitios: 1° Si percusserint ejusdem Ordinis consodalem, nisi percussio « sit enormis, aut injecta manus fuerit in Episcopum vel Abbatem; 2° Si per- « cusserint religiosum alterius Ordinis, dummodo adhibeatur etiam sententia « Praelati, cui percussus subjicitur. Eos vero absolvere non possunt si percusse- « rint clericum saecularem, sed ab Apostolica Sede sunt absolvendi, excepto « casu percussionis *levis,* quo ab Episcopo absolvi possunt. CC. *Monachi* 2, *Cum* « *illorum* 32, *Canonica* 50. *De Sent. Exc., Religioso* 21. c. t. in 6°, S. Alph. n. 107, ubi addit: « Notandum.... quod praedicta procedunt juxta *jus commune;* nam spectatis privilegiis, Religiosi bene possunt absolvi a suis Praelatis etiamsi percussio fuerit enormis, ex pluribus privilegiis, quae referunt Pal., Sal. et Ronc. Idque dicunt praefati AA. valere, etiamsi Religiosus percusserit alium alterius Ordinis, vel clericum saecularem. Additque Croix cum Krimer, etiamsi percussio fuerit publica, ac posse Abbatem absolvi per confessarium a seipso electum ». — « C. 29, Caus. 17, q. 4; Suarez D. 22, S. 1; Schmalz. n. 97, 243-262; Elbel n. 125-149; Bonacina D. 2, q. 3, P. 6. » (Bucceroni, Com. de Const. *Apost. Sedis,* edit. Romae 1886).

§ 128.

Casus VII. **Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut aperitio Litterarum a Superioribus ad inferiores, vel ab inferioribus ad Superiores.**

1. Per *malitiosum impedimentum* intelligitur retentio, et interceptio litterarum facta ex malitia (1) ita, ut illae non possint pervenire ad manus eorum, ad quos diriguntur. Per *retardationem* intelligitur data opera malitiose efficere, ne litterae debito tempore perveniant ad eum, ad quem mittuntur. Per *aperitionem* intelligitur fractio sigilli, seu illius ligaturae, quae epistolam claudit ne legatur. Nomine *Superiorum* hic intelliguntur Generalis, Provincialis (2), Commissarius, Guardianus (3): et sub eodem nomine multo magis veniunt Summus Pontifex, S. Congregatio, et Cardinalis Protector, qui sunt singuli Ordinis nostri Superiores.

2. Casum hunc non incurrunt, qui epistolam adapertam legunt, postquam ab aliis jam fuit soluta. Similiter nec illi, qui litteras legunt sine aperitione, licet ex curiositate peccent; quia talis lectio interdicta quidem est, non autem reservata, cum non omnia concurrant, quae pertinent ad reservationem. Culpa autem vacat, qui inadvertenter aperit vel legit litteras cum tacito consensu mittentis, qui tamen facile non est praesumendus (4).

3. Cum in casu exprimatur *malitiosum* impedimentum, ideo cum *Navarro* plures auctores putant, illum reservationem non incurrere, qui prudenter timendo, injustum damnum sibi, vel etiam aliis parari, similes litteras impediret aut retardaret. Sed bene animadvertendum est, timorem debere esse prudentem et fundatum; nam purae suspiciones non excusant: et praeterea damnum certe

(1) Requiritur ut malitia attingat mortale peccatum in se; etiamsi non existeret reservatio.

(2) Idem dicito, saltem quoad Capuccinos, de litteris ad Definitores congregatos. *Nota:* Definitorium generale semper habetur uti congregatum.

(3) Idem dicendum de Visitatoribus et de veris Praesidentibus hospitiorum.

(4) Imo praesumptio semper stat pro prohibitione lectionis, nisi aliud moraliter certo constet.

debet esse injustum; alias enim non liceret, impediendo litteras illud praecavere (1).

4. Superioribus equidem jus inest, litteras, quas subditi scribunt, vel accipiunt, aperiendi, legendi, et ex rationabili causa impediendi. — Sed tamen hoc jure non gaudent circa litteras, quas subditi ad Superiores majores scribunt, vel ab his accipiunt. Per hunc enim casum potestati ordinariae derogatum fuit, et limites sunt ei positi, ne ea ultra extendatur in praejudicium potestatis excellentioris, cui potestas ordinaria subesse debet. Generatim Auctores autumant, vix in praxi et in casu rationabiliter justo Superioribus licere aperitionem litterarum, quin mala multo majora obvia non fiant, qualia sunt turbae, quae solent excitari, diffidentiae, quae animos inferiorum a Superioribus alienare valeant, imo etiam independentiae, quae producuntur, si inferiores infidelitatem in Superioribus detegunt, et experiuntur. Dantur etiam Scriptores, qui hujusmodi Superiorum licentias culpae gravis damnant, utpote per quas jura naturalia, et jura gentium, quibus subditi omnino non renuntiarunt, irrationabiliter quoad proprium secretum saepissime laedi contingit. Negari tamen nullo modo potest, contingere aliquando posse, ut nedum fas sit, retardare, et etiam supprimere epistolas ad Superiores, sed etiam res plausibilis dicenda sit. Sic laudabile foret, subditorum epistolas ad Superiores majores directas retinere, si detinentes certissimi (2) forent, inde mala erumpere debere gravis momenti, si promulgentur, quae prudentia, charitas, justitia, et veritas exigunt celari, et remedia aliunde praestari possent aeque congrua, atque tuta. Sic litterae gentis dementatae, notorie mendacis, et calumniatricis a Superioribus inferioribus supprimi possunt (3); utpote mala pura inde

(1) Hac in re fere semper damnabilis semperque periculosus hujus sententiae usus, ob innumeros abusus facile timendos; nam damna aliter impediri possunt. Unde totis viribus abstinendum.

(2) Sed vix aut ne vix quidem haberi poterit haec *certitudo*. Unde in praxi generatim abstinendum. Aliunde ordinario temerarium esset cogitare Superiorem tam levem esse ac imprudentem, ut litteris hujusmodi fidem statim praestet absque ulteriori investigatione.

(3) Quando res ad talem statum perveniunt, prudentes Superiores Majores monere solent immediatos Superiores hujusmodi Fratrum, ut hoc commercium epistolare supprimant. Ac proinde in praxi mala quae timentur impediri possunt efficaciter absque impedimento vel suppressione litterarum ex propria tantum immediati Praelati auctoritate facienda. Iterum ergo in praxi vix in foro

profluent, nullumque bonum. Non enim casus hic reservationem subiit, ut mala multo majora inde eveniant, sed ut transgressiones denuntiatae corrigantur, et observantia reflorescat (V. *Viator a Cocaleo*, pag. 245) (1).

§ 129.

Casus VIII. **Juramentum falsum in judicio regulari, seu legitimo.**

1. Per *juramentum falsum* intelligitur mendacium in judicio regulari, seu legitimo jurejurando firmatum. Per *judicium regulare* intelligitur judicium, cui praesidet Regularis, vel habens jurisdictionem in Regulares, et in quo agitur de causis regularibus, vel personas regulares concernentibus. *Judicium legitimum* dicitur, quod fit coram judice competente, et servato juris ordine (saltem quoad substantiam) juridice interrogante, sive sit regularis, sive non. — Si itaque Religiosus in judicio regulari ut testis interrogetur, servata juris forma, scilicet de accusato, denuntiato, vel infamato, tenetur dicere verum; quod si mentiatur, et falsam assertionem juramento firmet, patrat gravissimum peccatum, et reservationi subjectum. — Idem dictum sit etiam de Reo, si interrogationi competentis Judicis subjicitur. Etiam Regularis rogatus a Judice ecclesiastico, ut in causa aliqua testari velit, si cum legitima sui Superioris licentia testetur, sed falsum juret, incurrit casum reservatum.

---

interno excusari possunt licentiae hujusmodi inferiorum Praelatorum ex capite vitandi damna, et in foro externo generatim haberi debent uti malitiosa impedimenta. Secus totum negotium facillime penderet a privato inferioris Praelati judicio contra Majoris Superioris jura.

(1) *Additio:* Puniri possunt et debent Guardiani qui detinent, impediunt, aperiunt vel legunt epistolas, quas Secretarii vel Definitores provinciales etiam non congregati mittunt, et quidem ratione inconvenientiae et ob periculum revelationis eorum quae per se, vel per accidens sunt vel esse debent secreta. A fortiori puniendi essent Superiores locales et provinciales qui impedire, aperire vel legere attentarent litteras Definitorum et Secretariorum generalium. Idem dicendum de epistolis Patrum officialium in Romana Curia: nam, praeter rationes officii et dignitatis, saepe dantur varii casus in quibus scribunt ex delegatione Superiorum Generalium, vel agunt de rebus, quae necessario manere debent sub sigillo, vel de negotiis conscientiae. Officialium tamen provincialium et generalium erit prudenter agere, ne ex malitia discolorum vel aliter, occasione litterarum pax turbetur vel alia fiant incommoda.

2. Qui falsum juramentum deponit extra judicium, vel in judicio, in quo non legitime interrogatur, etsi gravissime peccet, casum tamen reservatum non incurrit. Nullus quoque tenetur, judici interroganti fateri suum crimen, quando rationabiliter dubitat, an judex habeat sufficientia motiva ad inquirendum, vel si ex revelatione criminis alii grave damnum spirituale aut corporale immineret.

3. Superiores graviter peccant, si statim post quamlibet accusationem alicui Fratri vellent imponere juramentum (1); sed ad hoc debent adesse probationes semiplenae et sufficientes ad inquirendum: et generatim sulummodo in causis gravioris momenti exigenda esse juramenta Theologi ubique docent. Si autem formalis processus contra reum instituendus est, necessario tum accusatori, tum testibus juramentum imponitur. Quicunque autem in tali judicio jurare tenetur, « debet, ait *Viator a Coc.*, veritati salutem corporis, acqui« sitionem lucri, atque honoris proprii conservationem, amicitias, « sortes, indemnitatem, et, uno verbo, universum mundum postponere. « Quod si philautia deceptus et suggestionibus seductus, veritatem « prodere in judicio competenti non trepidaverit (2); reservationi sciat « culpam suam esse semper obnoxiam ».

§ 130.

Casus IX. **Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum foetum, etiam effectu non secuto.**

1. Per *abortum* intelligitur intempestiva humani foetus ex utero ejectio. Per *procurationem* intelligitur potus, medicina, vel quodcunque medium ad procurandum abortum idoneum, ex hac intentione adhibitum, et a femina praegnante susceptum. Per *auxilium* denotatur omne opus ad eumdem finem impensum, e. g. praeparatio, depor-

(1) Item odiosa foret in tali ac similibus casibus personalis impositio praecepti obedientiae ad detegenda acta et gesta Fratrum. Unde neque juramentum, neque praeceptum obedientiae adhiberi debent, nisi in gravioribus negotiis ac consequenter rarissime: secus fit tortura conscientiarum, pax destruitur, enascuntur exaggeratae denuntiationes, murmurationes, ac adulationes, cum multis aliis incommodis. Unde prudentes Praelati generatim a talibus mediis extraordinariis abstinent, seclusa vera necessitate canonici processus.

(2) Non sufficit trepidatio, sed requiritur verum ac formale perjurium.

tatio, et traditio potus, medicinae, etc. *Consilium* includit persuasionem, hortationem, instructionem ad abortum promovendum.

2. Ut casus hic reservatus sit, requiritur 1. ut certa sit impraegnatio feminae; 2. ut tale medium applicatum fuerit, quod est ex se sufficiens ad abortum procurandum, quamvis per accidens effectus non sit secutus; 3. ut procuratio, auxilium, vel consilium adhibeatur cum intentione abortum procurandi; 4. ut foetus sit animatus: censetur autem in Jure animari foetus masculinus post 40 dies, femineus post 80 dies. Cum autem, quamdiu foetus est in utero materno, nequeat genus dignosci, procuratio abortus post 40 dies jam habetur ut reservata; quia praesumptio stat pro lege reservante, usque dum probari possit, foetum esse femineum (1).

§ 131.

Casus X. **Falsificatio manus, aut sigilli Officialium Monasterii, aut Conventus.**

1. *Falsificare manum* ille dicitur, qui alienam scripturam imitatur, vel eamdem addendo, demendo, eradendo, etc., corrumpit: tale scelus praecipue committit, qui scripturam Superioris falsificat (2), ut mendacium intrudat, subducat veritatem, aut eam, ultra quam par est, magnificet. *Falsificatio sigilli* est dolosa applicatio seu imitatio signi illius, quod Officiales monasterii seu conventus apponere, vel imprimere solent ad dignoscendum, quod tales scripturae sint ipsorum. *Per Officiales* vero istos intelliguntur Generales, Provinciales, Guardiani, etc., et quicunque alii, quibus particulare datur sigillum, quo scripturas publicas, aut litteras obsignare solent pro bono monasterii seu conventus.

2. Ut falsificatio inter casus reservatos recenseatur, opus est, ut

(1) E contra « ex Alphonso in dubio an foetus sit masculini vel feminini sexus, potest praesumi femininus », ait Scavini-Del Vecchio, l. I, n. 905. Notandum insuper excommunicationi Ordinariis locorum reservatae subjici ex Const. *Apostolicae Sedis,* « procurantes abortum, effectu secuto ». Vide Exposit. ejusdem Constitutionis apud recentiores Moralistas.

(2) Scriptura conficta sed non subscripta non importat reservationem, quia « manus publica » praecipue stat in subscriptione.

dolo fiat, et in praejudicium monasterii (1). Secus autem dicendum est, si Officialium sigillum adhibeatur ad propriam firmandam epistolam, ut securior ad suum terminum perveniat, vel si hoc fiat joci causa. Prudentia tamen consulit, ut ab hujusmodi jocis abstineatur, cum nonnisi effectus mali soleant inde provenire. — Cessat quoque reservatio, si antequam falsificatio effectum suum obtineat, falsificator facti poenitens a suo tentamine desistat (2).

§ 132.

Casus XI. **Furtum de rebus monasterii, seu conventus in ea quantitate, quae sit peccatum mortale.**

1. Per *furtum* intelligitur usurpatio, detentio, vel consumptio rei alienae, domino vel administratore rationabiliter invito. Furtum etiam circa res monasterii seu conventus committi potest, sive bona Fratrum particularia, sive communia injuste subripiantur: quia licet totus Ordo nullius rei dominium, sive jus habeat, Fratres nostri tamen furtum committere censentur, quoties aliquid de rebus conventus invitis Superioribus subripiunt; quia id faciunt vel Papa, ad quem res conventus quoad dominium pertinent, vel Dante, qui sibi dominium reservavit, invito, et semper faciunt invitis Superioribus, quibus a Papa vel a Dantibus dispensatio rerum est commissa. Caveat ergo quilibet, ne manum sacrilege admoveat vel in mobilia conventus, vel in ea, quae sunt usui privatorum concessa, erroneo illi principio innixus, quod inter Fratres omnia sint communia. Patet enim, quod si sint communia in genere, non sunt talia in specie, sive in applicatione. Singuli enim sua singula habent, non singuli omnia singula tenent, quod sane obstat omnibus legibus divinis atque humanis. Quamobrem duplicis peccati sontem se facit, quicunque bona communia aut particularia furatur in quantitate no-

(1) Non debet restringi praejudicium ad solum monasterium, sed sufficit falsificatio « animo nocendi » conjuncta cum « animo decipiendi ».

(2) Secretarii Generales et Provinciales comprehenduntur sub nomine officialium, dicente Sanctorio (verbo *Cas. reserv.*): « Secretarii, licet non sint Praelati, quia tamen possunt nomine suorum Praelatorum aliquid nuntiare, sub hac lege comprehenduntur ». (Idem docet de aperitione etc., litterarum eorumdem Secretariorum.)

tabili. Peccat enim contra legem Dei furtum vetantem, et contra sextum Regulae praeceptum inhibens proprietatem.

2. Quantitatem, quae sit peccatum mortale communiter constituunt in tribus Juliis, seu in dimidio floreno (1): sed furti gravitas non ex sola quantitate rei subreptae, sed etiam ex facilitate, vel difficultate in rapiendo, ex copia vel inopia illius rei, quae subripitur, nec non ex Superioris (2) voluntate magis vel minus renitente desumenda est. In esculentis et poculentis duplo majorem quantitatem nonnulli Auctores requirunt; advertunt tamen, furta minuta, si non retractentur, in unum coalescere, et gravem materiam conficere posse. Capitulum generale anno 1663 habitum sequentem resolutionem promulgavit: « Furantes comestibilia inscio Superiore, et « Majori conventus, si id faciunt in magna quantitate, et ut dent « extra conventum, videntur incidere in casum reservatum. Si vero id « faciant tempore recreationis, standum erit judicio prudentis » (3).

3. « Non immerito, ait *Viator a Cocaleo,* inter res graves « recensentur libri, conciones, et manuscripta; sunt enim pretio « summo aestimabiles, et cum sine laboribus et sudoribus nequeant « construi et coadunari, magna quoque attentione et cura custodiri « solent. Quapropter si per furtum abripiantur, vis gravis possessori impingitur, et injuria aspera eidem infligitur; consequenter « veram rationem furti haec tentamina in se ferunt, sive raptores « animum foveant restituendi, vel non, quae fuerint furati (4); « idcirco reservationi casus sunt subjiciendi, et cogendi ad restitutionem eorum, quae sustulerunt, idque modo potiori ».

4. Quaestio etiam movetur, an casum reservatum incurrat, qui furaretur rem in se levem, e. g. clavem, instrumentum quoddam, etc., ex cujus vero ablatione alteri grave damnum exurgit? — Nonnulli respondent affirmative; quia res ablata per se levis fit gravis ra-

(1) Vide pag. 328, in nota (1).

(2) Vide pag. 328, in nota (2).

(3) Vide pag. 329, in nota.

(4) Quoad libros; saepissime benignius judicandum, si restitutio non retardetur. Quoad manuscripta et conciones, ut recte judices de gravitate et reservatione, attende ad circumstantias valoris litterarii manuscriptorum sublatorum, nec non ad utilitatem et necessitatem manuscripti in monasterio a quo subripitur. Datur enim hac in re parvitas materiae. Semper tamen reprobandi tales abusus.

tione circumstantiarum, seu effectus. Sed *Philippus a Castel.* cum aliis putat, negative respondendum esse. Quamvis enim tale furtum graviter charitatem, vel etiam justitiam laedere possit, reservationem tamen non incurrit: quia deest notabilis quantitas ad casum requisita: odiosa autem restringenda esse, omnes fatentur.

CAPUT VIII.

§ 133.

De electione Generalis Ministri hujus Fraternitatis, et de Capitulo Pentecostes.

Cum nulla humana societas sine imperio diu consistere, debitam disciplinam servare, et ad praefixum sibi finem pervenire possit, S. Franciscus sapientissime Ordini a se instituto imperium seu regimen providit. Ideo in hoc capite quatuor praecepta promulgat, quae *virtualia* dici solent. *Primo* praecipit, ut Fratres unum ex suo gremio habeant ceu Ministrum Generalem; *secundo* erga hunc omnibus obedientiam injungit; *tertio* praescribit, ut Ministri Provinciales et Custodes tempore Pentecostes ad Capitulum generale veniant; iisdemque *quarto* mandat, ut praefatum Ministrum deponant, si officio suo recte gerendo impar sit. *Ultimo* Ministris Provincialibus et Custodibus *libertatem,* seu facultatem concedit, eodem anno Capitulum Provinciale celebrandi. — Haec pro seraphici Ordinis regimine ab ipso S. Fundatore stabilita fuerunt; multa autem circa idem regimen tum a Summis Pontificibus, tum a Constitutionibus Ordinis ordinata fuerunt; et ut haec omnia rite cognoscantur, in hujus capitis expositione agendum erit 1. *de forma regiminis in Ordine seraphico praescripta,* ut hujus Rectores seu Praelati rite cognoscantur; 2. *de obligatione,* et 3. *de modo celebrandi Capitula,* in quibus electiones sunt suscipiendae; ac 4. demum *de obligationibus Vocalium* in praedictis electionibus observandis.

ARTICULUS I.

§ 134.

De forma regiminis in Ordine Fratrum Minorum praescripta.

TEXTUS. *Universi Fratres unum de Fratribus istius Religionis teneantur semper habere in Generalem Ministrum, et servum totius Fraternitatis.*

1. S. Pater hisce verbis praecipit, ut Fratres unum habeant supremum Rectorem, quem *Generalem Ministrum, et servum totius Fraternitatis* appellat, ut evangelicae humilitatis memor sit, juxta monitum et exemplum Christi dicentis: *Qui major est in vobis, fiat sicut minor; et qui praecessor est, sicut ministrator... Ego in medio vestrum sum sicut qui ministrat* (Luc. 22, 26 etc.) Hoc praeceptum ad omnes Fratres spectat; quamvis enim electio Ministri Generalis Ministris provincialibus et Custodibus injungatur, attamen si ab his culpabiliter vel electio negligeretur, vel subjectio denegaretur, omnes Fratres reliqui pro viribus sive hanc, sive illam promovere obligarentur. — Praecipitur quidem, ut *unus* pro toto Ordine Fratrum Minorum in Ministrum Generalem eligatur: id vero non impedit, quominus, postquam Ordo seraphicus in plura corpora, seu in varias congregationes divisus fuit, cuilibet corpori singulare caput apponatur, seu cuique distinctae congregationi specialis Minister Generalis praeficiatur (§ 12). Eligendus est autem in Ministrum Generalem unus *de Fratribus istius Religionis*, scilicet talis, qui sit membrum Congregationis, cui praeficitur, et qui debet etiam esse professus: hoc idem etiam Canones praescribunt (cap. 27. *Cum causam*, cap. 37. *Cum ad nostram* et c. 38. *de electionibus*). Mortaliter igitur, ait *Philippus a Castel.*, peccarent (1) electores, qui vel Novitium, vel hominem saecularem, vel Religiosum alterius Ordinis Ministrum Generalem constituere tentarent.

(1) Imo invalide agerent.

2. S. Pater, uti ex citatis verbis patet, pro Ordine a se fundato formam regiminis *monarchicam* stabilivit; voluit enim, ut unus ex Fratribus omnibus aliis praesit: « quia, ait *S. Bonaventura,* sine « suo Capite nulla Respublica stare potest; unde unum Apostolum « Dominus praefecit caeteris, juxta illud Ezech. 34: *Suscitabo super « eas pastorem unum, qui pascat eas* ». — Jam antiqui Philosophi cum *Aristotele* (in Poly.) inter caeteras regiminis formas monarchicam praeferendam esse censuerunt; quia in hac societas juxta leges uniformes ab uno, constanti et longa experientia edocto, ad suum finem dirigitur. Contingere quidem potest, ut plenitudinem potestatis tenens vel in tyrannum degeneret, vel in officio suo negligens, vel ad regendum ineptus fiat. Hisce vero periculis obviavit S. Pater praescribendo, ut quovis triennio Ministri et Custodes in Capitulo congregentur, in quo Ministrum Generalem deponere possint ac debeant, si eumdem ad Ordinis gubernacula gerenda insufficientem agnoscant. Hoc casu excepto voluit S. Pater, ut Minister Generalis usque ad mortem in suo munere perseveret. Sed forma regiminis a S. Patre stabilita successu temporis mutationes subiit. Jam in Capitulo generali, anno 1239 habito, cui praesedit *Gregorius IX,* Ministro Generali additi sunt *Definitores,* qui jam tempore *S. Bonaventurae* Ministris quoque Provincialibus adjuncti fuerunt. — Postmodum etiam tempus pro summis Ordinis dignitatibus determinatum fuit, ita ut Minister quoque Generalis munus suum non ad mortem usque, sed ad certos tantum annos gerere possit. Introducti etiam fuerunt in Ordinem nostrum *Discreti,* qui tamquam Vocales ad Capitulum provinciale veniunt, et ad quos eligendos in singulis familiis omnes concurrunt, qui quartum Religionis annum compleverunt. Ideo forma regiminis in Ordine nostro modo non est *absolute monarchica,* sed mixta; nam propter adjunctos Ministro Definitores *aristocratica,* et habito ad electiones respectu *democratica* dici potest.

3. Si omnia rite attendantur, quae partim a Regula, partim a Summis Pontificibus, partim a Constitutionibus nostris ordinata sunt, apparet, quod ad regimen Ordinis concurrant Minister Generalis, Ministri Provinciales, Definitores generales et provinciales, ac demum Guardiani. Ideo, ut forma regiminis Ordini nostro praescripta recte cognoscatur, agendum est 1° *de auctoritate Ministri Generalis, et Ministrorum Provincialium;* 2° *de illius et horum obligationibus;* 3° *de juribus et officiis Definitorum generalium et provincialium;*

et 4° *de Guardianis*. Notandum est, quod tum in Regula, tum in Constitutionibus, tum alibi saepe nomen *Custodum* occurrat; sed in vario sensu usurpatur, quin tamen specialem Rectorum, seu Praelatorum Ordinis statum, a prioribus differentem, assignet. Nam: a) ipse Minister Generalis Custos appellatur, dum in hoc capite Regulae dicitur: *teneantur alium sibi eligere in Custodem;* b) Guardianos antiquitus vocatos fuisse Custodes, testis est *S. Bonaventura,* qui dicit: « Nomine Custodum etiam Guardiani intelliguntur »; in hoc sensu S. Pater Fratrem perversum in suo Testamento *proximiori Custodi illius loci* i. e. Guardiano *praesentare* jubet; c) Custos etiam vocatur, qui nonnullis Conventibus praeest, quorum exiguus numerus non Provinciam, sed solummodo Custodiam constituit: talis autem Custos quoad gubernandi potestatem aequivalet Ministris Provincialibus; d) Etiam magnae Provinciae in custodias dividi solent, quibus *Custodes locales* praeficiuntur; sed hi non sunt veri Praelati, sed solum in casibus urgentibus ea, quae necessaria aut utilia credunt, per potestatem a Ministro Provinciali delegatam decernere possunt; denique e) in Constitutionibus commemorantur etiam *Custodes generales,* qui iterum non sunt Praelati, sed ut electores ad Capitulum generale mittendi sunt, de quibus ideo in sequenti articulo sermo recurret.

§ 135.

I. De auctoritate Ministri Generalis et Ministrorum Provincialium.

TEXTUS. *Et ei teneantur firmiter obedire.*

1. Minister Generalis est Pastor omnium Fratrum in eodem Ordine congregatorum. Ipse est summus Doctor et Rector, Legislator (1), Judex et Vindex, supremam in omnibus potestatem tenens.

(1) Apud Minoritas potestas legislativa proprie talis exercetur per solum Capitulum Generale. Ordinationes tamen Generalis et Definitorii Generalis obligant pro tempore, quo supremam Ordinis moderationem retinent. Sed *declarationes* Definitorii circa dubia quoad Constitutiones et Statuta Ordinis sunt perpetuae per se, quia talis declarandi potestas residet in Definitorio, virtute Constitutionum. Non possunt tamen auctoritative dirimere quaestiones disputatas

— Ideo universi Fratres *tenentur ei firmiter obedire:* hoc praeceptum, jam in primo capite indigitatum, iterum a S. Patre repetitur et clarius exponitur in capite decimo, ubi de obedientia a Subditis praestanda plura dicenda erunt.

2. Quaesitum est, an Capitulum generale potestatem Ministri Generalis restringere, et ea ordinare possit, quae ipse Minister mutare non valeat? — Nonnulli, quibus adhaeret *Bernardus Bonon.* (L. 25, § 4), id negant dicentes, tum ex jure canonico, tum ex ordinatione Regulae supremam potestatem competere Ministro Generali, cui omnes tenentur subesse et obedire; absonum esse, quod caput suo corpori subsit, et quod Praelatus a Subditis leges recipiat; atque ideo Capitulum generale eodem modo non esse supra Ministrum, sicut Concilium non est supra Papam. — Sed tamen plures cum *Bonagratia, Viatore a Coc.,* etc., affirmative respondent. Magna enim differentia est inter Papam et Ministrum Generalem: nullibi enim in Evangelio legitur, Petrum ullo modo Ecclesiae, cujus Caput est, subjectum fuisse; bene autem legitur in Regula, Ministrum Generalem a Capitulo generali quovis triennio celebrando dijudicandum esse ita, ut etiam deponi ab eodem possit. Omnino ergo dicendum est, Capitulum generale potestatem Ministri Generalis coarctare, et talia ordinare posse, quae hic mutare non valeat. Hujus sententiae jam fuerunt *quatuor Magistri,* qui (in cap. 8) dicunt: « Cum ex « intentione Regulae sit, quod celebretur Capitulum generale, ad Ca- « pitulum vero generale pertinet ordinare ea, per quae potest Reli- « gionis puritas et perfectio custodiri, ita quod a nemine Superiorum, « vel inferiorum possit aliquatenus violari: ergo si Capitulum gene- « rale propter vitandum Religionis periculum coarctat Generalis po- « testatem, aut Provincialium inferiorum, et aliqua alia salubria « ordinat per Fratres generaliter observanda auctoritate Regulae, « quae praestat Capitulo generali, per Generalem Ministrum non « poterit infirmari ». Hoc idem sentit *Politius* (in c. 8) et citat Constitutionem Martini V (c. 8), « in qua, ait, sic exstat determinatum. « Unde licet Regula hic dicat, quod teneantur omnes Generali fir- « miter obedire: in illa tamen exceptione infra cap. 10 posita (*si « non sint contra animam, et Regulam nostram*) id totum videtur

---

circa Regulam, neque damnare opiniones probatorum Seraphicae Regulae Expositorum. Authentica enim seu auctoritativa S. Regulae interpretatio pertinet ad S. Sedem. Vide § 136, n. 2.

« comprehendi, quod praecipitur contra statuta Capituli generalis: « quoniam facere contra praedicta statuta ex consequenti est facere « contra ipsam Regulam dantem auctoritatem Capitulo generali ». Caeterum ipse *Bernardus Bon.* fatetur, non posse Ministrum Generalem ea statuta Capituli generalis mutare, quae a Summo Pontifice, cui ipse Minister subest, approbata fuerunt; unde fit, ut Constitutiones nostrae a Ministro Gen. mutari nequeant.

3. Quoniam Ministro Generali additi sunt Definitores non solum ut Consultores, sed etiam ut Con-Rectores, non potest ipse causas, ad Definitorium spectantes, solus decernere; sed tenetur eas Definitoribus suis proponere, eorum sententiam audire, et eorumdem consensum, vel vota eorum absolute majora sequi: si secus egerit, actus invalidus et nullus est ob jurisdictionis defectum. Excipiuntur causae gravissimae, quae moram non admittunt, et in quibus non potest haberi Definitorum consensus.

4. Aliam restrictionem potestatis Ministro Generali concessae, seu potius cautelam, ne abusus potestatis contingat, apposuit *Martinus V* (l. c.) dicens: « Praedictus Generalis nullam exactionem « pecuniariam facere possit, nec pro confirmatione Ministrorum, neque « pro visitatione Provinciarum, neque pro magisterio, aut vestiario, « vel litteris officiorum, aut suffragiorum, sive quacunque occasione, « aut colore quaesitis: quod si secus fecerit, ipso facto suo officio « sit privatus, nec teneantur Fratres ipsi ulterius obedire. Et si « exinde in posterum praesumpserit Generalatus officium retinere, « ipso facto sit perjurus, infamis, et inhabilis ad quaecunque officia, « vel beneficia, honores, et dignitates tam in Ordine, quam extra « Ordinem » (1).

5. Minister Generalis potest etiam Commissarios nominare, et pro variis causis cum potestate delegata in Provincias mittere: tempore autem visitationis juxta Constitutiones certarum provinciarum Commissarius est Procurator Generalis, cui tunc in dictas Provincias plena potestas competit, quam alias Minister Generalis exercet; duplici tamen facultate excepta, uti declaravit *Benedictus XIV,* qui

(1) In praxi solius S. Sedis est hunc casum judicare, seu declarare incursionem in talem poenam. Unde essent schismatici Fratres, qui ab obedientia Generalis sese eximerent praetextu hujusmodi Constitutionis. Confirmatio enim et depositio Min. Generalis est reservata Summo Pontifici, saltem de jure moderno, et hoc sive intra sive extra Capitulum.

(C. *Suprema Apostolicae charitatis* anno 1755) dicit: « Decla-« ramus quod.... in ampla Commissione.... non intelligatur comprehensa « facultas confirmandi Ministros Provinciales, litterasque patentes « praedicatoribus concedendi, quas quidem facultates semper priva-« tive ad dictum Ministrum Generalem reservatas esse volumus, « prout in more positum est etiam in iisdem Provinciis sub Com-« missione comprehensis; prout pariter in dictis Provinciis ipse « Minister Generalis aliquas causas sibi benevisas, quas juxta datam « sibi a Domino prudentiam, aequitatem, et justitiam opportunas « esse judicaverit, sibi reservare, et avocare libere et licite poterit ». — Juxta Constitutiones nostras solus Minister Generalis licentiam dare potest Clericos ante inchoatum octavum Religionis annum ad presbyteratum promovendi (c. 3), sepulchra pro saecularibus in nostris Ecclesiis construendi, conventum quemdam deserendi aut destruendi, libros imprimendi aut evulgandi, etc. De aliis Ministri Generalis juribus alibi sermo recurret.

6. Sicut Ministro Generali totius Ordinis, sic Ministro Provinciali totius Provinciae, a qua est canonice electus, regimen competit, atque ideo in omnes ejusdem Provinciae alumnos plenam jurisdictionem tenet. Minister vero Provincialis subest Ministro Generali, cui obedire tenetur, et a quo etiam judicari et puniri potest. Non potest M. Provincialis statuta, a Capitulo provinciali promulgata, mutare, praesertim si a M. Generali fuerint approbata. Neque causas ad Definitorium spectantes M. Provincialis solus decernere potest; sed tenetur, si fieri potest (1), eas Definitoribus suis provincialibus proponere, eorum sententiam audire, et eorumdem consensum, vel vota eorum absolute majora sequi, ne tum illicite, tum invalide procedat. — Eamdem cum M. Provincialibus auctoritatem habent etiam *Custodes* illi, qui sunt supremi Rectores conventuum Custodiam constituentium, et nulli Provinciali subjectorum.

(1) Non tamen potest Definitores non adire: verba ergo « si fieri potest » vel supprimenda, vel intelligenda quasi diceret: tenetur cum Definitoribus hujusmodi causas decernere, nisi agatur de impossibilitate physica vel morali simulque de urgentissimo negotio, quod adunationem Definitorum ob temporis defectum impedit, qui casus in se vix dari possunt.

§ 136.

II. De obligationibus Ministri Generalis et Ministrorum Provincialium.

1. Ministri Generales in toto Ordine, et Provinciales in sua Provincia invigilare tenentur, ut ab omnibus tum praecepta Regulae, tum Constitutiones, tum laudabiles Ordinis consuetudines accurate observentur. Cavere ideo debent Ministri, ne sine gravissimis rationibus circa regularem disciplinam quid mutent, aut innovent, cum quaevis innovatio odiosa esse, et relaxationibus viam sternere soleat. — Nihil ergo innovetur, nisi quod traditum est. — Majores nostri, optimo repleti spiritu, Congregationem nostram ad illam perfectionem, in qua diu floruit, perduxerunt, et bonum depositum nobis reliquerunt, quod solerti vigilantia custodiendum est. Decet ergo, ut quilibet Minister cum *S. Gregorio M.* dicat: « Si ea destruerem, quae « Antecessores nostri statuerunt, non constructor, sed eversor esse « juste comprobarer, testante Veritatis voce, quae ait: *Omne regnum « in se divisum desolabitur;* et omnis scientia et lex adversum se « divisa destruetur » (rel. in Jur. can. cap. 25, Q. 2).

2. Ad Ministrum Generalem ut supremum totius Ordinis Rectorem pertinet, dubia circa Regulam (1), Constitutiones, et regularem disciplinam mota cum suo Definitorio solvere, eaque ordinare, quae pro temporum circumstantiis ad bonum Ordinis requiruntur.

3. Minister Generalis ut supremus Judex causas omnes inquirere, et reos examinare, judicare, et punire, vel absolvere potest. Cavere autem debet, ne jurisdictionem Superiorum inferiorum vilipendat, et sic ordinem legitime statutum perturbet. Quamobrem non licet ipsi irritare judicium alicujus Provincialis in reum latum, nisi manifeste de hujus injustitia constet, vel reus ad ipsum legitima

(1) Salva, ut dictum est, auctoritate Expositorum probatorum. Unde dubia de quibus agitur debent esse potius practico-practica, seu circa casum singularem seu transitorium, et personalem vel conventualem, quam vere doctrinalia et speculativo-practica. In dubiis enim singularibus sive practico-practicis, possumus et debemus stare solutioni Praelati nostri praesertim Majoris, ut constat ex alibi dictis.

via appellaverit, vel Judicis, qui sententiam tulit, potestas jam exspiraverit, quae tunc vilipendi haud amplius potest. Multo minus autem Provinciali licet, judicium Ministri Generalis infirmare, aut latam ab hoc in reum poenam remittere.

4. Ministri tum Generales tum Provinciales de bona subditorum suorum fama magnam curam habere debent. Ideo horum defectus, commissasque culpas ne suo quidem Definitorio manifestare debent (1), si illis per se, nimirum per paternam correctionem remedium apponere possunt. Graviora autem crimina, de quibus processus juridici instituendi sunt, Definitoribus manifestari debent. Et sic pariter his, vel etiam aliis defectus subditorum, quamvis occulti, manifestandi sunt, si id pro eorum emendatione requiratur, vel si id exigat bonum commune, quod praevalet privato.

5. De obligatione Ministrorum circa Novitios recipiendos (c. 2), de cura pro necessitatibus infirmorum, et aliis Fratribus induendis ipsis injuncta (c. 4), et de modo Fratribus peccantibus poenitentiam imponendi (c. 7) jam actum est; et de gravissimo munere Fratres visitandi etc. (c. 10), et de obligatione a Papa Cardinalem Protectorem petendi (c. 12) agetur inferius.

6. Ministri omnibus suis subditis bono exemplo praelucere debent. Nam Christus quoque *Princeps Pastorum — coepit facere, et docere* (Act. 1), atque sicut Apostolis sic omnibus Praelatis acclamat: *Vos estis sal terrae, — vos estis lux mundi: non potest civitas abscondi super montem posita: — sic luceat lux vestra, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in coelis est* (Matth. 5). Verba movent — exempla trahunt. Ideo *S. Bernardus* ait: « Sermo vivus et efficax exemplum est operis, facile faciens « suadibile, quod dicitur, dum monstratur factibile, quod suadetur » (ap. Bonav. Phar. l. 4, c. 46). Hac de causa Ministri in Constitutionum observantia primi esse jubentur (Constit. cap. 12), ut ad eamdem observantiam etiam alios compellere eo efficacius possint. Decet etiam boni exempli dandi, et scandali vitandi causa, ut Ministri Generales et Provinciales Provinciarum et Conventuum, quos visitant, speciales leges et laudabiles consuetudines cognoscere et observare satagant, et sic omnibus omnia fiant, ut omnes lucrifacerent Christo.

(1) Prudentia ergo hac in re, non vero scrupulositas proponitur; nam data lege secreti non fit notabilis famae jactura, etiamsi causa revelationis non sit extraordinarii momenti.

7. Qualis esse debeat, qui in Ministrum Generalem eligitur, S. Franciscus clare indicavit, ejusdem characterem (Coll. 26) sequenti modo delineans: « Homo iste debet esse vitae gravissimae, discre-« tionis magnae, famae laudabilis, privatis affectionibus carens, ne « dum in parte plus diligit, in toto scandalum generet: homo sit « sanctae orationis amicus, ita tamen, quod certas horas animae suae, « certas gregi sibi commisso distribuat. Nam primo mane debet « sanctissimum Sacrificium Missae praemittere, et ibidem longa de-« votione seipsum et gregem divinae protectioni affectuosius com-« mendare: post orationem vero seipsum statuat ab omnibus depi-« landum, omnibus responsurum, omnibus cum charitate, patientia, « mansuetudine provisurum. Non debet esse acceptor personarum, ita, « quod non minus curet de simplicibus et idiotis, quam de scienti-« bus et sapientibus. Cui si donum scientiae est concessum, tamen « plus in moribus pietatis et simplicitatis, patientiae et humilitatis « imaginem ferat, foveatque virtutes in se et in aliis, atque in prac-« ticando eas se continue exerceat, alios magis exemplo, quam ser-« monibus incitando. Sit execrator pecuniae, quae nostrae professionis « et perfectionis est praecipua corruptela; et tamquam caput et « exemplar imitandum ab omnibus, nullis unquam loculis abutatur. « Sufficiant autem sibi pro se habitus et libellus, pro aliis vero « scriptorium et sigillum: non sit aggregator librorum, nec lectioni « multum intentus, ne forte detrahat officio, quod praerogat studio. « Consoletur pie afflictos, cum sit ultimum remedium tribulatis, ne « si apud eum defuerint remedia sanitatis, desperationis morbus « praevaleat in infirmis. Ut protervos flectat ad mansuetudinem, « seipsum prosternat, et aliquid sui juris relaxet, ut animas Christo « lucrifaciat. Ad refugas Ordinis velut ad oves, quae perierunt, « viscera pietatis expandat, et nunquam misericordiam neget illis, « sciens tentationes illas pervalidas, quae ad tantum casum pos-« sunt impellere animam, quas si ipsum permitteret Dominus expe-« riri, forte in majus praecipitium laberetur. — Vellem ipsum « tamquam Christi Vicarium ab omnibus cum devotione et reverentia « honorari, atque sibi in omnibus, et ab omnibus cum omni bene-« volentia juxta ejus necessitatem et status nostri condecentiam « provideri: verum tamen oportet eum non ardere honoribus, neque « favoribus plus quam injuriis delectari, ita quod propter honores « non mutentur ejus mores, nisi in melius. — Si vero aliquando « propensiori et meliori cibo indigeret, non in abscondito, sed in

« publico loco assumat, ut aliis tollatur verecundia providendi sibi « in infirmitatibus et debilitatibus suis. Ad eum maxime pertinet « latentes conscientias distinguere, et ex occultis venis eruere veri- « tatem. Omnes accusationes in principio habeat suspectas, donec « veritas ex diligenti examinatione incipiat apparere. Aures etiam « non praebeat multiloquiis, et multiloquos in accusationibus spe- « cialiter habeat suspectos, nec faciliter credat eis. Talis denique debet « esse, quod propter cupiditatem retinendi honorem virilem formam « justitiae et aequitatis nullatenus inficiat vel relaxet: ita tamen, « quod ex nimio rigore nullius anima occidatur, et ex superflua « mansuetudine non nascatur torpor, atque ex laxa indulgentia non « proveniat dissolutio disciplinae, sicque ab omnibus timeatur, ut ab « ipsis timentibus diligatur. Officium autem praelationis semper putet, « et sentiat sibi fore potius oneri, quam honori. Vellem etiam eum « habere socios praeditos honestate, rigidos adversus voluptates, fortes « in angustiis, et compassivos delinquentibus, habentes aequalem « affectionem ad omnes, nihil de labore suo recipientes, nisi puram « corporis necessitatem, et nihil appetentes nisi laudem Dei, pro- « fectum Ordinis, animae propriae meritum, et Fratrum omnium « perfectam salutem; omnibus convenienter affabiles, et omnes con- « venientes ad eos cum sancta jucunditate recipientes, atque formam « et exemplum observantiae Evangelii juxta professionem Regulae « in semetipsis pure et simpliciter omnibus ostendentes. — Ecce « talis debet esse Generalis Minister, et tales debet habere socios ». In hac Generalis Ministri delineatione multa monita continentur etiam a Ministris Provincialibus, et a quibuslibet Superioribus attendenda.

§ 137.

III. De Juribus et Officiis Definitorum.

1. *Definitores* dicuntur, qui Ministro Generali seu Provinciali adjunguntur, ut non solum consulendo, sed etiam definiendo negotia Ordinis una cum Generali aut Provinciali tamquam coadjutores, sive collegae, vel officii participes expediant. De Definitoribus in S. Regula nulla fit mentio. Sapientissime tamen illi jam in Capitulo generali anno 1239 celebrato Ministris adjuncti fuerunt, et a Con-

stitutionibus nostris Ministro Generali *sex Definitores generales*, Ministro autem Provinciali *quatuor Definitores provinciales* assignantur. Talis institutio tum in bonum Ministri, tum in commodum totius Ordinis cedit. Impossibile enim est, ut solus Minister omnia videre, audire, et observare possit; huic autem defectui Definitores occurrere, varia Ministro sub oculos ponere, ipsumque suis consiliis juvare possunt. Praecavetur etiam tali modo, ut Minister non tam facile studio partium abripiatur: neque sic ipse solus tam grave onus portare tenetur, sed hujusce partem in alienos humeros devolvere potest: negotia demum ope Definitorum cum majori dexteritate et auctoritate expediri possunt.

2. Per *Definitorium* intelligitur collegium Definitorum sive generalium cum Ministro Generali, sive provincialium cum suo Ministro Provinciali congregatorum. Duplex ergo Definitorium distingui debet — *generale* et *provinciale*. Ad Definitorium generale, quod ad bene ordinatum totius Ordinis regimen institutum est, spectant causae integrum Ordinem concernentes, et causae quoque particulares per legitimam appellationem ad ipsum devolutae. Ad Definitorium provinciale spectat electio Superiorum localium, dispositio familiarum, erectio studiorum, examen Studiosorum pro obtinendis litteris patentibus ad praedicationem requisitis, etc. etc.

3. Definitores generales Romae residere obligantur: id pro Ordine Capuccinorum ordinavit *Clemens IX* anno 1667 (C. *Debitum past. officii*). Hoc Decretum pontificium confirmatum et gravius inculcatum fuit a *Clemente XII* anno 1733. — Ab hoc eodem etiam sapientissime sancitum fuit, ut Religiosis nostris sub poena nullitatis interdictum sit, ad Curiam romanam causam quamdam devolvere, nisi haec prius coram tribunalibus Ordinis, et ultimato a Definitorio generali tractata fuerit.

4. Praecipuum Definitorii tum generalis, tum provincialis officium est, regularem observantiam (1) in Ordine conservare; quamobrem invalescentes inobservantias et gliscentes abusus dissimulare non potest, sed strenue se illis opponere tenetur. Hoc officium negligens, gravissimam rationem reddendam incurrit; quia relaxationum magis magisque invalescentium se reum constituit. Ideo *S. Petrus Damianus* (Epist. 21) ait: « Sicut quod a majoribus est omissum, non

(1) Et studiorum sanctitatem, integritatem, ac doctrinae sanitatem.

« reparatur a nobis; ita quod apud nos per negligentiam defecit, « nequaquam successorum nostrorum posteritas instaurabit, ut verum « sit illud Horatii: Aetas parentum pejor avis tulit nos nequiores, « mox daturos progeniem vitiosiorem ».

5. Omnes Definitores tenentur circa materiam pertractatam sincere sententiam suam manifestare, posthabito omni humano respectu. Ut libere id faciant, et discordias ac odia devitent, convenientius esse videtur, ut vota sua dent *per urnam,* seu per suffragia secreta, quod etiam Constitutiones nostrae indigitant. Vota autem aperta, seu oretenus palam expressa magis faciunt ad ostendendam et fovendam unionem animorum. Ad circumstantias ergo attendendum est, ut dijudicetur, qualis modus in dandis votis servandus sit. Provisio Guardianorum debet per secreta scrutinia fieri; quia etiam *Concilium Trid.* Sess. 25. de Regul., c. 6, id jubet, et electionem aliter factam irritam declarat. Putant quidem nonnulli, hoc decretum huc non spectare; quia de *provisione,* et non de *electione canonica* sermo est, et Guardiani expresse non nominantur. Sed quia multi contrarium sentiunt, tutius est, ut post habitam mutuam collationem juxta mandatum Constitutionum electio Guardianorum per secreta scrutinia perficiatur. — Quamvis porro Definitores Ministro ut capiti suo subsint, nihilominus in congregationibus se ipsius opinioni, quam falsam esse putant, opponere, et sententiam suam manifestare et propugnare non solum possunt, sed et debent. Definitori tali in casu illud Esdrae acclamari potest: *Surge, tuum est decernere; nosque erimus tecum: confortare, et fac* (I. Esdr. 10). In quae verba *V. Beda* inquit: « S. Scriptura decentissime docet, quomodo « sit apud majores in consilio agendum, ut videlicet quisque pro « suo sensu, quod optimum intellexerit, sive intellexisse visus fuerit, « dicat, et tamen ei, qui praeest, locum decernendi relinquat, paratus « obtemperare omnibus, quae ille secundum voluntatem et legem « Dei agenda disposuerit ».

6. Definitores cum suo Ministro legitimum tribunal constituunt, et in causis criminalibus cum ipso potestatem judicandi habent. Ideo Minister sive Generalis, sive Provincialis potest quidem processum incipere, reum examinare, et etiam in carcerem mittere; sed non potest sine assistentia et consensu Definitorum judicialem sententiam dicere et poenam dictare. Ex eadem ratione potest Minister alium equidem delegare pro inquisitione rei, et instauratione processus; non potest autem sine Definitorum consensu alium delegare ad ipsam finalem sententiam ferendam.

7. Si major Definitorum pars in re quadam decernenda consentit, reliqui Definitores, quamvis aliter sentiant, tali decreto subscribere tenentur, ne pax turbetur, et ne judicium legitime prolatum de suo vigore quid amittat (1). — Si Definitor quidam collegialiter concurrere non potest, tota auctoritas aliis manet. Si quis autem ex contemptu praetereatur, aut a Congregatione excludatur, ea, quae communem consensum exigunt, valide decerni nequeunt, et decreta ab eo, qui injuriam passus est, irritari possunt. Id decisum fuit in Capitulo generali anno 1637 celebrato, in quo etiam sancitum fuit, Definitorem, qui Congregationi personaliter interesse nequit, non posse praesentiam suam supplere per litteras, aut per procuratorem, sed juri suo renuntiare debere. Haec decisio confirmata fuit in Capitulo generali anno 1643.

8. Ob defectum unius Definitoris contingere potest, ut Definitorii vota paria fiant, et ex utraque parte ita aequalia ferantur, ut causa pertractata nunquam ad judicialem decisionem perduci queat. Pro tali casu Capitulum generale anno 1796 decrevit, ut post tres votationes irrito factas Minister sive Generalis, sive Provincialis *votum duplex* dare, et sic per vota absolute majora causam pertractatam dirimere possit. Ast *Pius VII*, postulante R.^{mo} P. Nicolao a Bustillo, anno 1803 speciale Decretum edidit, per quod in praedicto casu Ministro sive Generali, sive Provinciali jus tribuitur, post quintam irritam votationem extra Definitorii gremium ejusdem Ordinis Religiosum prudentem probatumque denominandi, qui in causa, de qua tractatur (2), non secus ac reliqui Definitores votum dare possit, ne inutilibus votationibus tempus teratur, aut etiam discordiarum semina spargantur.

9. Summo studio Definitores cavere debent, ne *secreta* Definitionis revelent; sed rigorosum silentium servent circa omnia, quae pertractantur, et quorum manifestatio notam infamiae, perturbationes, obtrectationes, aut alia inconvenientia parere possit. — Si hac in re silentium a Definitoribus non diligentissime servatur, sed pertractata in congregatione imprudenter promulgantur, plurimis inordinationibus, peccatis et scandalis ansa praebetur, et negotia Ordinis ne-

(1) Excipe si solutio sit evidenter injusta, vel in Ministrum Generalem injuriosa sive irreverens.

(2) Debet toties quoties, id est ad unicam illam quaestionem nominari, non vero semel pro semper.

quaquam ad desideratum finem perducentur. Ideo Constitutiones nostrae a Definitoribus juramentum de non revelandis secretis Definitionis exposcunt. Quare qui secretum hujusmodi violant, siquidem res sit magni momenti, et valde intersit non evulgari, mortalem culpam etiam contra Religionis virtutem propter violatum juramentum incurrunt. Idem aliqui docent, etiamsi res modica sit, propter reverentiam juramenti. Sed in hoc peccari venialiter tantum, docent graves Doctores *Navarrus, Sanchez, Diana,* et alii, quos citat *Bonagratia.*

10. Officium Definitorii provincialis inter alia munia est provisio Guardianorum. Ab istorum ad Conventuum curam deputatione salutem Provinciae dependere, nullum dubium est. Praelati majores familiarum status, et conditiones sub oculis non habent, nec perseveranter habere valent; inspectio ista ad Superiores locales pertinet, qui pro conservanda disciplina regulari curam gerere debent. Ideo Definitores cum Provinciali in Praelaturarum et Officiorum distributionibus illud primum et universale spectare debent, ut nulla prava affectione aut simultate ducti, sed communis tantum utilitatis studio sanctoque zelo permoti in his se habeant ea prudentia et dexteritate, quae tantorum Patrum muneri conveniat. Tales enim tantum viros in Superiores locales eligere et deputare tenentur, quales inhaesitanter profuturos sperant Familiis eorum curae committendis. Quod si proponantur ad dignitates et officia illi, quorum defectus notabilis est publicus, sed a Praeside ignoratus, tenentur sub mortali detegere defectum Praesidi, ne admittatur indignus ad officium, imo etiam defectus occultos et non emendatos, quando aliter non posset obviari periculo, quod communitati instat ex indigni et defectuosi electione; praeponderat enim bonum publicum bono particulari electi indigni (*S. Thom.* 2. 2, quaest. 68, art. 2). Etiam dispositio familiarum ita perficienda est, ut, quantum fieri potest, Conventibus singulis bene provideatur (1). Opus ideo est, ut Definitores tum negotia singulis familiis incumbentia, tum aptitudinem subjectorum recte cognoscant, et probe attendant, pro ratione laborum numerum idoneorum subjectorum determinantes (2).

---

(1) Ac proinde esset quasi usurpatio jurium Definitorii frequens mutatio Fratrum inter duas congregationes definitoriales, ex solo Provincialis placito.

(2) Unde Provinciales debent illis manifestare generalem statum Provinciae, neque possunt (quoad illos) agere quasi in abscondito, ita ut Definitores fere

§ 138.

IV. De Guardianis.

1. Guardianos legitime electos esse vere Praelatos, et habere curam animarum, declaravit *Clemens IV* et *Sixtus IV,* relati a *Corduba.* Cum tamen Guardiani infra se Praelatum alium non habeant, in Jure solum Curatis, seu Parochis comparantur (v. *Bonagratia,* v. Guardianus). Debent autem etiam in sua Communitate officia Curati, seu Parochi adimplere. Ideo R.mus P. *Eugenius a Rumil.* in suo Caeremoniali P. 4, cap. 3, tria ipsis officia praescribit. *Prima* eorum cura, ait, ad cultum divinum debito modo peragendum directa esse debet: omnem itaque sollicitudinem impendere debent, ut divinum Officium diu noctuque debito tempore et praescripto modo persolvatur; ut Missae in ordine, cum gravitate, diligentia, et reverentia tam sancto operi debita celebrentur; ut Sacramenta religiose administrentur et frequenter recipiantur; et tandem, ut utensilia et paramenta ad Altaria et Ecclesiam pertinentia sint munda, integra, et in qualitate ac quantitate sufficienti, exclusa omni superfluitate et curiositate. *Secundo* valde solliciti esse debent, ut Regula, Constitutiones, Decreta Summorum Pontificum, Ordinationes generales et provinciales, ac piae Religionis aut Provinciae consuetudines (1) exactissime observentur: ideo frequenter cellas Religiosorum, praecipue juniorum, officinas, aliaque conventus loca visitare tenentur, tum ut explorent, si quid novi, superflui, aut curiosi introductum fuit, idque tollant; tum ut etiam necessitates Fratrum cognoscant, iisque provideant. *Tertio* Guardiani, quamvis subditos suos magis operibus, quam verbis aedificare debeant, nihilominus frequenter ipsis tam publice, quam privatim de sublimitate votorum, de sanctitate Regulae, de observantia Constitutionum, de utilitate orationis, de modestia, de bono exemplo saecularibus dando, de amore

---

nihil sciant praeter ea quae subditi generatim non ignorant. Excessivum silentium quoad Definitores est toti Provinciae nocivum ac salutaris concordiae impeditivum.

(1) Dummodo non repugnent Decretis vigentibus sive Ordinis sive S. Sedis.

solitudinis, et de aliis virtutibus Filiis S. Francisci necessariis verba facere tenentur (1). — Ut autem haec monita observentur, Guardianus non facile permittat, ut Fratres sine necessitate exeant, raro silentium dispenset, Saeculares in conventum non sine gravi ratione introducat, et omnia devitet, quae regularem disciplinam relaxare possunt.

2. *Bernardus a Bon.* (L. 28, § 7) tria monita, a quolibet Superiore probe attendenda, proponit. *Primo,* ait, Guardianus summopere curare tenetur, ut subditorum animos sibi amore devinciat, atque ideo paternum erga omnes affectum ostendere, et omnia vitare debet, quae pacem, confidentiam, et charitatem inter subditos et ipsum perturbare possent. Ideo etiam *S. Bonaventura* (de 6 alis seraph. c. 6) cuilibet Superiori dicit: « Stude magis amari, quam « timeri; quia libentius obeditur ei, qui diligitur, quam ei, qui ti- « metur ». *Secundo* magna sollicitudine etiam inter Subditos suos pacem et concordiam conservare, atque hac de causa privatas amicitias et clandestina conventicula prohibere debet, ex quibus odia et discordiae prodire solent. *Tertio* Guardianus in negotiis a se gerendis alios Religiosos prudentes et timoratos consulere debet (2). Maximi enim Principes et Summi Pontifices suos consiliarios et habent et interrogant et audiunt. Guardianus ergo, praecipue junior (3), qui spretis aliorum consiliis suum tantummodo judicium sequitur, spiritum non ingenio, sed arrogantia repletum praesefert, et de negotiis imprudenter gestis gravissimam Deo rationem reddet. Hisce monitis praelaudatus auctor adjungit ea, quae *R. P. Jacobus Raggius* Guardianis pro recto eorum regimine necessario observanda recensuit:

---

(1) Idque statutis diebus facere curet per se vel saltem per alios concionatores conventus praesertim aetate ac prudentia commendabiliores. — Tenentur insuper Catechismum semel in hebdomada per se vel per alios sacerdotes idoneos laicis, et tertiariis, et famulis explanare: idemque dicendum de Regula (quoad fratres laicos). Constat ex multis S. Sedis ac Ordinis Decretis. Cfr. § 163, et not. ibid.

(2) Praesertim consulat Discretos seu consiliarios ex officio tales. Vid. Ord. et Decis. Cap. Gen. LXV, a. 35.

(3) Juniores raro eligantur et non nisi per modum exceptionis vere necessariae, ed dummodo moraliter constet non futuros esse superbos, duros, praetentiosos ac sibi sufficientes. Caeteris paribus semper eligantur, qui seniores reverentur ac consiliorum amici existunt. Secus non leve capiunt nocumentum sive electi sive Provincia universa.

« Attendat Superior », sunt hujus verba, « ut subditorum animos pro « viribus amore sibi vinciat, nedum eorum necessitatibus consulendo, « verum etiam eas praeveniendo, potius redundanter, quantum status « noster subferre valet. Temporibus consuetis ei non displiceat de- « cens solatium concedere vacantibus studiis. Signa oblectamenti sui « tum dictis quum factis praebeat his, qui caeteros praestant la- « boribus aut pro proximorum salute, aut Religionis profectu. Im- « perium non affectet, nec dominium, dum aliquid praecipit; imo « modestia et humanitate, hortantis potius instar quam imperantis. « Modus adhibendus cum subditis potius ille est, qui accessum « confidentem eis praebet atque conciliat, et se facilem in conce- « dendo ostendit, quantum honeste ipsi postulant, et (quando id opus « sit) denegare comiter, atque interdum ostendere negationis causam. « Infirmis et afflictis Superior verum Patrem se praebeat, qui ut opem « eis ferat ad oeconomiam non attendit. Dulcedo semper zelo tem- « perata sit, ut observantia regularis in tuto semper sit; atque ad « ejus custodiam semper quemlibet sive privatim sive publice, nedum « verbis, sed et exemplis hortetur. In subditorum defectibus robur « habeat, ut eos corripiat et poenitentiis afficiat, sed juxta pruden- « tiam et charitatem; atque ostendat, se denique non a passione « ulla fuisse commotum indignationis aut odii, sed a debito suo et « a zelo pro Religionis bono. Aestimationem erga omnes in se sen- « tiat, aut saltem eam se habere demonstret; atque interea super « eorum mores et genium invigilet, ut melius eos in finem ducat « et arceat a periculis. Atque inter omnes curas eam semper prae « oculis habeat, cultus videlicet Dei promotionem. »

3. In Capitulo Generali anno 1733 celebrato statutum fuit, quod nullus in Guardianum assumendus sit, nisi decem annos in Religione laudabiliter transegerit (1). Quamvis autem Guardianus juxta Constitutiones per triennium munere suo in eodem loco fungi possit, tamen etiam infra hoc tempus ex gravi ratione a Definitorio provinciali congregato ab uno loco in alium ut Guardianus transferri potest. Non potest autem Guardianus infra triennium penitus officio suo privari sine juridico processu, in quo munere suo indignus pro-

(1) Hodie pro nostratibus requiritur et sufficit septennium completum: « Nullus in Guardianum vel Vicarium assumatur, qui septimum religionis annum nondum compleverit, servatis aliunde servandis » (Ord. et Dec. Cap. Gen. LXV, a. 42).

betur. Quod ad depositionem Guardianorum attinet, *Clemens IX* in cel. Bulla « *Debitum pastoralis officii* » decrevit, ut Capitula triennalia sint, et quotannis Congregatio habeatur, « in qua subrogentur « novi Guardiani illis, qui tempus jam compleverunt, sicut etiam « illis, qui licet tempus non compleverint, minus tamen apti repu- « tabuntur ». Sed in Capitulo generali anno 1712 sancitum fuerat, ut extra Capitulum provinciale (in quo omnis praelatura cessare censetur) nullus Guardianus sine juridico processu, quo ipsius inhabilitas probetur, deponi possit. Sed hoc decretum iterum abrogavit, seu mitigavit anno 1754 *Seraphinus a Capricolle* Min. Generalis cum suo Definitorio generali, et statuit, ut etiam oeconomico modo sine judiciali processu Guardianus, ad regimen ineptus, deponi possit, ita tamen, ut de suis defectibus prius admoneatur, defensioni ipsius locus concedatur, et tum accusatio saltem a tribus subscripta (quorum autem nomina Guardiano non manifestentur), tum defensio ejusdem toti Definitorio congregato proponatur, a cujus (secreto sumendis) votis absolute majoribus Guardiani causa dependet. Id in provinciis in quibus sesquiennalia Capitula in usu fuerunt, in una Congregatione intermedia; in iis vero provinciis, in quibus semper quotannis Definitorium congregari consuevit, in qualibet annuali Congregatione fieri potest. — Ad novum Guardianum constituendum semper requiritur, ut Definitorium provinciale congregetur: neque potest substitui Guardianus, qui in praecedenti Capitulo ultra necessarium numerum electus fuerat: sed ad novam electionem procedendum est, uti declaravit Capitulum generale anno 1643.

ARTICULUS II.

§ 139.

De obligatione Capitula celebrandi.

Capitulum est congregatio Regularium ad negotia sui Ordinis pertractanda legitime instituta: dividitur in *generale,* in quo negotia totius Ordinis, *provinciale,* in quo negotia Provinciae, et *locale,* in quo negotia unius conventus seu familiae pertractantur. Ipse Seraphicus Pater Capitula generalia celebrare praecepit, tum ut defuncto

Generali alius substituatur, tum ut quovis triennio mutua de negotiis Ordinis collatio habeatur, tum ut Minister Generalis deponatur, si officio suo recte gerendo impar sit. Capitula provincialia celebrandi non praeceptum fert, sed libertatem concedit. Juxta ordinem Regulae ergo 1. *de electione Ministri Generalis in Capitulo generali*, 2. *de depositione Ministri Generalis*, et 3. *de Capitulis provincialibus* agendum est. Ut autem cognoscatur, quomodo obligatio celebrandi Capitula nostris temporibus urgeat, ad Decreta Summorum Pontificum, et ad Constitutiones Ordinis respicere oportet.

§ 140.

I. De electione Ministri Generalis in Capitulo generali.

TEXTUS. *Quo decedente, electio successoris fiat a Ministris Provincialibus, et Custodibus in Capitulo Pentecostes: in quo Ministri Provinciales teneantur semper insimul convenire, ubicunque a Generali Ministro fuerit constitutum; et hoc semel in tribus annis, vel ad alium terminum majorem, vel minorem, sicut a praedicto Ministro fuerit ordinatum.*

1. Ex citatis verbis « *quo decedente* » etc., apparet, S. Patrem voluisse, ut Minister Generalis perpetuus sit, et ad mortem usque in suo munere perseveret; nam « decedere, ait *Politius*, est e vita migrare ». Ideo S. Pater praeceptum dedit, ut mortuo Ministro Generali Provinciales Ministri et Custodes tempore Pentecostes in capitulo congregati Successorem eligant. Non ergo statim, quovis tempore, quo Minister Generalis obiit, Successorem eligendi praeceptum urget. Nam licet Regula mandet, ut unus hujus Ordinis Frater semper in Generalem habeatur, non tamen illud *semper* ita intelligendum est, ut decedente Generali statim debeat congregari generale Capitulum ad praeficiendum alium; sed hoc fieri debet, ut in Regula dicitur, in Capitulo Pentecostes. Generalis enim eligi non potest a Provincialibus et Custodibus nisi in generali Capitulo, et generale Capitulum nonnisi in Pentecoste celebrandum est, uti Hugo, Pisanus, et alii ex Regula probant. Idem confirmat *Mar-*

tinus V, qui (C. *Non est novum,* c. 8) haec notatu digna dicit: « Quia languescente capite caetera membra dolent, statuimus, et or- « dinamus, quod electio Generalis Ministri canonice celebretur *in* « *capitulo Pentecostes* a Ministris et Custodibus, ut Regula dictat. « Ipsi autem electores talem in tanta Religione studeant habere Pa- « storem, qui scientia, vita, moribus, et exemplo valeat magis pro- « desse, quam ambitiose praeesse ovibus sibi commissis, omni post- « posito amore, odio, timore, prece, pretio, vel rancore; quod si secus « factum fuerit, electio nulla sit, et electores voce activa et passiva « perpetuo sint privati ».

2. Romani Pontifices, gravibus rationibus moti, ordinarunt, ut Minister Generalis non perpetuus sit, sed per determinatum annorum numerum munere fungatur. A *Paulo V,* et a Constitutionibus nostris stabilitum est, ut Minister Generalis per sex annos in suo munere perseveret. Sed hujus muneris duratio a *Clemente IX* ad septennium extensa fuit; nam (C. *Debitum pastoralis officii*) dicit: « Cum non possit P. Generalis complere totam Religionis visitationem « decursu sexennii, expedit differre Officium Generalatus usque ad « septennium ». Ideo ab hoc tempore, nimirum ab anno 1667, quovis septennio Capitulum generale celebrari consuevit. Cum autem recentioribus temporibus provinciarum a P. Generali visitandarum numerus valde imminutus fuerit, jure creditum est, causam mutationis a *Clemente IX* factae amotam esse, et cessante fine legem quoque cessare. Ideo annuente S. Sede tempus Generalatus juxta formam et tenorem Constitutionum iterum ad sexennium redactum est; sic e. g. Em. et R.mus Ludovicus a Tusculo per sexennium — nimirum ab ann. 1824 usque ad ann. 1830 — ut Minister Generalis Ordinem rexit. Hac de causa quovis sexennio Capitulum generale celebrandi obligatio urget, nisi ab ipsa Sede apostolica Minister Generalis cum Definitorio denominetur; quod praecipue in initio hujus saeculi saepe factum est, cum ob injurias temporum Capitulum generale non potuerit celebrari (1). Si vero P. Generalis ante completum

(1) Hodie non obstante temporum malitia, et data majore facilitate communicationum, ex mente S. Sedis stricte celebrari solent Generalia Capitula apud omnes Regulares generatim, praesertim ut, praeter utiliorem electionum normam, habeantur etiam efficaciora media opportune (per prudentiores ac solemniores praescriptiones) providendi occurrentibus temporum necessitatibus. Unde sola difficultas temporum non valet, ut postuletur dispensatio, nisi S. Sedes ex se aliud declaret vel jubeat.

sexennium moriatur, proximo tempore Pentecostes celebrandum est Capitulum generale pro Successoris electione, prout ordinavit *Clemens IX* (C. *Cum sicut accepimus*, 1669), iis revocatis, quae prius hac de re ordinaverat (1) (V. Bull. T. I, pag. 118).

3. S. Franciscus etiam ordinavit, ut semel in tribus annis Ministrorum et Custodum congregatio fiat: ipse autem S. Pater Ministris facultatem tribuit, majorem vel minorem terminum pro istis congregationibus statuendi. Ideo postquam a *Paulo V*, et etiam a Constitutionibus nostris Capitulum quolibet sexennio celebrandum ordinatum fuit, obligatio triennalis Capituli cessavit.

§ 141.

II. De Ministro Generali in Capitulo gen. deponendo.

TEXTUS. *Et si aliquando appareret universitati Ministrorum Provincialium, et Custodum, praedictum Ministrum non esse sufficientem ad servitium, et communem utilitatem Fratrum; teneantur praedicti Fratres, quibus electio data est, in nomine Domini alium sibi eligere in Custodem.*

1. S. Franciscus, de recto totius Ordinis regimine maxime sollicitus, praescripsit, ut Minister Generalis ad Fratres regendos et bonum Ordinis promovendum insufficiens deponatur, et ut alius idoneus eidem substituatur. Insufficientia Ministri ad munus suum rite gerendum provenire potest vel ex parte corporis, si ob graves et frequentes infirmitates negotia sibi incumbentia expedire, et necessarias visitationes peragere non possit; vel ex parte animae, si in ipso facultas intelligendi et decernendi, aut etiam memoria valde deficiat, si principia fidei, moralitati, S. Regulae, aut regulari disciplinae contraria proponat, si passionibus iniquis saepius abripiatur, scandala det, etc.

(1) In talibus adjunctis nihil definitive fieri solet inconsulta S. Sede, quae, nisi speciales rationes aliud suadeant, exigit omnimodam observantiam Constitutionum Ordinis.

2. Judicium de insufficientia Ministri spectat ad Provinciales et Custodes in Capitulo generali congregatos. Primis seraphici Ordinis temporibus, in quibus triennalia Capitula habebantur, facilius judicium istud ferri poterat: difficilius id nostris temporibus contingit. Sed tamen, ait *Philippus a Castel.*, si de insufficientia Ministri Generalis argumenta satis certa et manifesta haberentur, Ministri Provinciales et Custodes, atque his deficientibus omnes Fratres obligarentur, vel ad Definitorium generale, vel ad Ordinis Protectorem, vel ad ipsum Papam recurrere, et alium Ministrum petere (1).

§ 142.

III. De Capitulis Provincialibus.

TEXTUS. *Post Capitulum vero Pentecostes Ministri et Custodes possint singuli, si voluerint, et eis expedire videbitur, eodem anno in suis Custodiis semel Fratres suos ad Capitulum convocare.*

1. S. Pater Ministris et Custodibus non praeceptum imposuit, sed facultatem concessit, ut post Capitulum generale celebratum, *in suis Custodiis*, i. e. in suis Provinciis Capitulum provinciale convocare possint. Equidem de electione Ministri Provincialis in illo perficienda verbum non occurrit, quia teste *Hugone* antiquitus Ministri Provinciales a Ministro Generali nominabantur. Postmodum vero haec electio Capitulo provinciali commissa est. Nam *Clemens V* (*Exiit*, Art. 12) ait: « Declaramus, statuimus etiam, et ordinamus « in hac Constitutione in perpetuum valitura, ut cum alicui Provin- « ciae de Ministro fuerit providendum, ipsius Ministri electio penes « Capitulum provinciale resideat, quam idem Capitulum die sequenti, « qua fuerit congregatum, facere teneatur ». Hoc idem in Constitutionibus nostris ordinatur; atque ideo, cum Minister Provincialis so-

(1) In hoc casu hodie omnino necessaria foret licentia vel auctoritas S. Sedis: ac proinde unicum remedium esset recursus ad S. Sedem. Unde non liceret absque licentia S. Sedis ad novam electionem procedere.

lummodo per tres annos munere suo fungi possit, finito triennio Capitulum provinciale pro electione novi Provincialis et Definitorii celebrari debet. — Si vero Provincialis ante completum triennium moriatur, primus Definitor, qui ut Vicarius Provincialis constituitur, efficere debet, ut, quam primum fieri possit, Capitulum provinciale celebretur. Eadem obligatio urget, si Provincialis ad munus suum rite gerendum manifeste insufficiens agnoscatur; tali enim in casu ad instar Ministri Generalis etiam ante completum triennium deponi potest. Id declaravit *Leo X,* qui in Bulla Unionis dicit: « Poterunt « tamen praefati Ministri intra suum triennium a suis Capitulis « Provincialibus, quae secundum Regulam et consuetudinem cele- « brabuntur, si minus utiles inventi fuerint, ab officiis officialium « absolvi » (1).

2. Antiquitus quovis anno Capitula provincialia celebrari consueverunt. Hanc vero consuetudinem substulit *Clemens IX,* qui in jam citata celebri Constitutione, Farnesiana dicta, num. II dicit: « Cum Capitula Provincialia modo sint annualia, expedit, ut in po- « sterum fiant tantum de triennio in triennium, et singulis annis « fiat congregatio intermedia, in qua subrogentur novi Guardiani illis, « qui tempus jam compleverunt ». Cum autem nonnullis Capitula triennalia nimis rara viderentur, concessa sunt sub *Clemente X* anno 1671 Capitula sesquiennalia, seu intermedia: haec vero penitus abrogata fuerunt a Capitulo Generali anno 1747, et iterum anno 1756. — Quare insistendum modo est Constitutioni Clementis IX.; Capitulum nempe de triennio in triennium celebrare oportet, congregatio vero Definitorum cum Provinciali singulis annis (2) instituenda est.

3. Quoniam juxta Constitutiones nostras ad Capitulum provinciale cum Guardianis etiam Discreti convenire debent, opus est, ut habeatur etiam *Capitulum locale,* seu *conventuale,* in quo cum Guardiano omnes ejusdem familiae seu Conventus Fratres, qui quartum in Ordine annum expleverunt, ad praedictum Discretum eligendum concurrunt. Idem Capitulum conventuale ter ante Novitiorum professionem est instituendum, uti dictum fuit § 26.

---

(1) Cum vero hodie non celebrentur alia Capitula Provincialia, quam completo triennio, talis casus deferendus esset ad Min. Generalem, qui omnibus ponderatis de opportuno remedio, etiam ope S. Sedis si necessarium foret, provideret.

(2) Praeter casus extraordinarios forsan occurrentes.

ARTICULUS III.

§ 143.

De modo Capitula celebrandi.

Cum in Capitulis Praelatorum electiones fiant, a quibus Ordinis salus dependere solet, tum a Pontificibus, tum a Constitutionibus nostris varia ordinata fuerunt, quibus rectus Capitula celebrandi modus determinetur. Haec potissimum vel 1. *Capitulorum convocationem,* vel 2. ipsam *celebrationem,* vel tandem 3. *confirmationem* concernunt: ex quibus nonnulla ita essentialia sunt, ut iis non attentis et observatis electio nulla, seu invalida reddatur.

§ 144.

I. De Capitulorum convocatione.

1. Ante omnia opus est, ut Capitulum a legitima auctoritate convocetur. Convocatio Capituli generalis spectat ad Ministrum Generalem, et si hic ante completum sexennium moriatur, ad Procuratorem Generalem. Capitulum Provinciale convocandum est a Ministro Provinciali et, hoc ante completum triennium defuncto, a primo Definitore provinciali. Laudabilis consuetudo est, ut ad celebrandum Capitulum provinciale licentia a Ministro Generali petatur: hanc vero non de essentia esse, declaravit Capitulum generale anno 1643. Non potest autem Provincialis, finito triennio, Capitulum ad duos vel tres menses differre sua tantum auctoritate; bene vero id potest ex gravi ratione cum consensu sui Definitorii, uti decisum fuit a Capitulo generali anno 1659. Capitula conventualia a Superiore loci sunt indicenda.

2. Convocandi sunt ad Capitula omnes, ad quos de jure pertinet eligere, seu, uti cap. *Quia propter. de elect.* dicitur, « omnes, qui « debent, volunt, et possunt commode et legitime interesse ». Ad Capitulum generale convocari debent Provinciales, Custodes nulli Provinciali subjecti, et ex qualibet provincia duo Custodes generales.

Ad Capitulum provinciale convenire debent Guardiani, et Discreti. Sicut autem Generalis in Capitulo generali, sic Provincialis in Capitulo Provinciali voce activa, non vero passiva gaudet: Provincialis tamen in scrutinio pro secundo Custode generali etiam cum voce passiva concurrit. Praeterea sicut Definitores generales actuales in Capitulo generali, sic etiam Definitores provinciales actuales, imo etiam Custodes generales, pro Capitulo generali proxime habito, vel proxime habendo electi, in Capitulo provinciali voce activa et passiva gaudent. Id apertissime colligitur ex Constitutione *Clementis IX* (*Debitum past. off.*), in qua dicitur: « Definitores — habebunt vocem « in Capitulo provinciali, cum actu sint Definitores, vel Custodes « ad Capitulum generale, etiamsi non concurrant ad Discretatum ». Ad electionem Discreti omnes admittendi sunt Sacerdotes, Clerici, et Laici, qui quartum Religionis annum compleverunt.

3. Electio, non vocato sufficienter aliquo eorum, qui debent, volunt, et possunt ei commode interesse, non ex ipso jure nulla, ad ejus tamen petitionem irritanda est, si non vocatus contemptum sui prosequatur; secus autem, si non prosequitur, aut electionem vult ratam habere, aut non contradicat electioni infra tempus, quod antecedit confirmationem, nisi constet, eum ignorasse celebrationem electionis et confirmationis, vel nisi unico actu fiat electio et confirmatio.

4. Qui Jure Regulari et ex officio tenentur ad electionem accedere, ut Provinciales, Guardiani, Discreti, etc., non possunt voci suae renuntiare, et si renuntiant, peccant mortaliter. Secus autem est, si ratione tantum juris privati, ut sunt Fratres in electione Discreti localis, qui renuntiare possunt, et renuentes interesse electioni compellendi non sunt, nisi renuntiatio illa cedat in damnum Religionis, Provinciae, vel Monasterii; e. g. si potestas eligendi penes alios laxioris disciplinae amatores et sequaces remaneret, vel si ex defectu illius vocis electio dirigenda esset in indignum, seu in dignum quidem, sed non notabiliter digniorem, qui fuisset electus, si praefatus renuntiatus suffragium tulisset, et hujusmodi, etc. — Debet porro renuntiatio fieri a renuntiante expresse et in loco patente, vel in scriptis per litteras, etc.; cui tamen etiam licet reassumere vocem suam, quamdiu Superior eam renuntiationem non acceptaverit: ita *Bonagrat.* n. 175. Cf. *Bernardus Bonon.* L. 26, § 2.

5. Inmunes a culpa sunt Vocales ad Capitulum non convenientes, si vero impedimento ab hoc detinentur. Tale impedimentum potest

esse vel physicum, e. g. infirmitas, nimia distantia (1), injuria temporum, vis, etc.; vel morale, e. g. si quis sit excommunicatus, suspensus, etc., a Judice declaratus. Neque opus est, ut illi ad Capitula vocentur, de quibus certo constat quod praedictis impedimentis detineantur (*Bonagr.* n. 173.)

6. In convocatione dies pro electione habenda determinandus est. Assignato autem termino ad eligendum, si aliqui non compareant, possunt reliqui ad electionem procedere, etiamsi unus solus reperiretur in Capitulo; quia iste non tenetur dimittere jus suum propter aliorum absentiam, qui sufficienter admoniti in termino praefixo non comparuerunt. Idem est dicendum, si congregatis omnibus in Capitulo aliqui egrediantur: possunt de jure reliqui, qui remanent, electionem facere; quia, qui exierunt, non computantur amplius in numero electorum (*Bonagr.* n. 176).

7. Notandum hic est, quod immediate ante Capitulum, vel tempore Capituli nullus Vocalis privari possit vocis activae et passivae jure (2); nam *Paulus V* anno 1606 decrevit: « Privationes vocis « activae et passivae, sententiaeque a Superioribus latae in ipso « electionis actu Vocales minime afficiunt, nisi per mensem ante « fuerint intimatae; quod decretum omnino servari mandamus sub « poenis arbitrio nostro infligendis contravenientibus ».

§ 145.

II. De Capitulorum celebratione.

1. Ut in Capitulis omnia ordinate procedant, opus est, ut adsit, qui in illis praesidium gerat. In Capitulis Generalibus ordinarie Eminentissimus Protector Ordinis, vel is, quem Summus Pontifex spe-

(1) Hodie, data facilitate communicationum, distantia esse non potest causa legitimi impedimenti sive ad convocandum tales *distantes,* sive ad excusandam assistentiam ipsorum jam convocatorum. Unde merito ad Capitulum Generale vocantur et vocari debent Vocales v. g. Americae, et ad Capitulum Provinciale saltem omnes, qui intra Provinciam vel non multum longe a Provincia existunt. Quoad Capitula Provincialia, in dubio an distantia sit sufficiens ad convocationem alicujus absentis omittendam, exquirendum omnino judicium Ministri Generalis.

(2) Quoad privationes de jure seu *ipso facto* incurrendas, v. g. ob notoriam percussionem Clerici, cfr. Theol. Moralem et Jus Canonicum.

ciatim deputavit, Praesidem agere consuevit. In Capitulis provincialibus, nisi ipse Minister Generalis, vel deputatus ab hoc Commissarius praesideat, id praestat usque ad electionem Definitorum P. Provincialis, et deinceps primus Definitor, quousque novus Provincialis electus sit, qui postea reliquis omnibus praesidet. In Capitulis localibus praesidendi jus competit Guardianis.

2. Ante Capituli celebrationem, examinanda sunt a Definitorio vel generali vel provinciali scrutinia aut Custodum, aut Discretorum, praesente sive Provinciali, sive Guardiano, qui testimonium propterea ferat, aut ubi aliqua suborta fuerit difficultas, processum electionis referat. Convenit etiam, ut saltem in vigilia Capituli ab hujus Praeside exhortatio fiat ad electores de qualitatibus eligendorum, et de requisitis ad electionem.

3. Ipso die electionis dicitur a Praeside Capituli Missa de Spiritu S. (1), cui omnes Vocales interesse, et, qui Missam ipsi non dixerint, S. Eucharistiam accipere debent. Finita Missa, semel ac iterum repetitis ictibus ad tegulam signum datur conveniendi ad locum capitularem, qui apud nos refectorium esse solet. — Congregatis in unum Capitularibus leguntur e tabula nomina omnium, quos Capitulo interesse oportet, ad cognoscendum quot et quinam adsint, aut deficiant. Praelegitur Constitutionum nostrarum pars ex cap. S: « In omni electione » etc., usque « Provincialia Capitula », et decretum *Clementis VIII* approbatum ab *Urbano VIII, de subornatoribus.* Interrogantur dein electores, num quis impedimentum sciat sive ex parte eligentium, aut eligendorum, sive undecunque electioni legitimae contrarium, idque tribus modico interposito temporis intervallo vicibus, dicendo primo, — secundo, — tertio. Si nihil impedimenti occurrat, imploratur Spiritus Sancti gratia alternatim recitando Hymnum: *Veni Creator Spiritus* etc. Postea jurant singuli tacto pectore Sacerdotes, caeteri S. Evangelio, de eligendo meliori, etc.

4. In Capitulo generali et provinciali tres scrutatores requiruntur, in electione vero Discreti duo sufficiunt. Scrutatores ab ipso Praeside cum consilio aut Definitorum, aut Seniorum familiae denominantur; et postquam secesserint, mox proponuntur caeteris electoribus: si nulla fiat ab his exceptio, revocantur ad Capitulum, iisque sub obedientiae

(1) Si Provincialis praescribat sive in Missa Conventuali sive singulis Sacerdotibus Collectam *de Spiritu Sancto,* ipse debet licentiam respectivi Ordinarii opportune postulare, nam insufficiens est in casu mandatum Superioris.

praecepto injungitur fidelitas in excipiendis et annotandis votis, atque secreti observantia.

5. Electio peragitur, dum singuli Vocales nomen illius, quem eligunt, schedulae inscribunt, e. g. ego eligo in Ministrum Generalem P. Eugenium a Rumiliaco. — Haec vota debent esse *certa* et *determinata,* non alternativa, v. g. consentio in P. Franciscum, vel P. Antonium; non incerta, e. g. eligo in Discretum, quem Guardianus elegerit; non conditionata, v. g. eligo Petrum, si major pars in eum consentiat. Vota debent etiam esse *gratuita;* nam non gratuita, sed data propter aliquod munus vel a manu, vel a lingua, vel ab obsequio, praeter Simoniae (1) labem, quam continent, reddunt electionem in re spirituali ipso jure nullam. Vota debent quoque omnino *libera* esse; nam si cogerentur Electores unum aliquem determinatum eligere, electio ipso jure irrita et nulla habetur (§ *Caeterum, de elect.* in 6): extendunt hoc aliqui ad casum, quo fieret coarctatio non ad unam solam, verum etiam ad plures personas, tres scilicet vel quatuor (Bonagr. n. 185). Vota denique debent esse *secreta;* nam in Conc. Trid. Sess. 25, de Regul. cap. 6, dicitur: « Imprimis sacra Synodus « districte praecipit omnes supradictos eligi debere per vota secreta, « ita ut singulorum eligentium nomina nunquam publicentur ». Convenit ideo, ut omnes Vocales schedulas ejusdem formae, coloris, magnitudinis habeant, ut non tam facile internosci possint: ex eadem ratione Vocales nomen suum equidem electioni a se factae subscribere, sed ita obtegere debent, ut scrutatoribus non appareat; et finitis electionibus, schedulae publice coram Vocalibus comburendae sunt.

6. Schedulae, in quibus vota scripta continentur, ab uno saltem scrutatore, vel alio ad hoc deputato colliguntur, alta voce numerantur, ab omnibus scrutatoribus inspiciuntur, examinantur, et vota cuique data in charta notantur, ac demum publicantur. Si quis unum tantum, aut duo vota habuit, ejus nomen non exprimitur, sed solum dicitur: Pater N. habuit vocem unam, vel voces duas. Cui ultra medietatem data sunt, is pro electo publicatur juxta formam praescriptam a Constitutionibus. Quando uno scrutinio electio non perficitur, scrutinia repetenda sunt, usque dum electiones completae sint. In electione autem Discreti, si quinque scrutinia inutiliter facta sunt, invocatur

(1) Cfr. Theol. Moral. ubi de diversis Simoniae speciebus, quae sub his verbis intelliguntur.

iterum Spiritus Sanctus; tum proceditur ad scrutinium sextum, in quo si necdum electus habetur, privatus eo ipso existit pro illo Capitulo Conventus, ne Discretum eligat. — Notandum pariter est, *Clementem V* declarasse, quod electio Ministri Provincialis pertineat ad Capitulum provinciale, « quam idem Capitulum die sequenti, qua « fuerit congregatum, facere teneatur » (*Exivi*, Art. 12); et inferius addit: « Caeterum, si Capitulum memoratum die praedicta Ministrum « eligere praetermittat, ex tunc Ministri Provincialis provisio ad « Generalem Ministrum libere devolvatur ». — Si quis inutiliter votum ferat, e. g. incertum, aut incapacem (1) eligendo, aut per errorem vel etiam ex malitia mittat in urnam schedam albam, etc., habetur pro non adjecto, ac si de numero Vocalium non esset, sicuti si quis renuntiaret: et inutiliter suffragans privatur eo scrutinio, nisi simplicitas vel ignorantia excuset. Quod si novum scrutinium fiat, possunt tales iterum suffragari (ita *Bonagrat.*, n. 186). Scrutator statim ac animadvertit tria sibi data esse vota, ab ulteriori scrutatione recedit, et alius eidem substituitur.

7. In Capitulis generalibus et provincialibus, peracta Definitorum electione, P. Generalis, aut Provincialis genuflexus seipsum accusat de commissis in administrato munere defectibus, et resignat officium, tradens Praesidi aut primo Definitori sigillum. Facta deinceps novi Generalis aut Provincialis, prout etiam (si opus fuerit) sexti aut quarti Definitoris, atque Custodum generalium electione, et hac publicata, incipitur Hymnus: Te Deum laudamus etc.; et fit processio ad Ecclesiam cum cruce, post omnes incedentibus recenter electis Definitoribus, et agmen claudente novo Ministro, qui in medio Altaris genuflectit. Cantatis dein consuetis versiculis et orationibus, Praeses, aut primus Definitor, aut Exprovincialis (juxta morem Provinciae), accepta Stola stans ad sinistrum Altaris latus sermonem habet ad praesentes auditores de cura pastorali, laboribus, ejusque remuneratione etc., interim genibus flexis in infimo Altaris gradu persistente P. Ministro; cui finito sermone consignatur officii sigillum, eique ad latus arae dextrum sedenti post Definitores universim omnes in signum obedientiae ac reverentiae manum deosculantur. — Postmodum omnes Capitulares audiri et examinari a novo Definitorio

(1) « Incapacitas » haec non in talibus adjunctis pronuntianda, nisi agatur de idiotis vel aliis notorie ineligibilibus. Non pauca enim illegalia fieri possent, si sufficeret privatum seu personale « incapacitatis » judicium.

debent, ut Provinciae status recte cognoscatur, inordinationes et abusus e medio tollantur, et prudens fiat provisio Superiorum et dispositio familiarum.

§ 146.

III. De Capitulorum confirmatione.

1. Electio omnis confirmanda est a primo Superiore, ut dicitur cap. *Nihil, de elect.,* nisi aliud jure speciali vel consuetudine cautum sit, prout hodie omnium fere Ordinum Generales statim ac sunt electi, remanent confirmati ex diversorum Pontificum concessione, ut testatur *Rodriquez* (tom. 2, q. 52, art. 2). — Cónfirmatio Provincialis juxta Constitutionem *Clementis V* (l. c.) pertinet ad Ministrum Generalem, et quidem etiam quoad provincias Procuratori Generali ceu Commissario subiectas (Cf. § 134, n. 5) (1): si vero Generalis dictam electionem infirmet, non propterea devolvitur ad ipsum provisio Provincialis; sed integrum est Capitulo provinciali alium eligere, nisi forte propter illegitimam electionem privaretur jure eligendi. — Custodes ad Capitulum Generale, itemque Discreti confirmati censentur, cum admissi declarantur a generali seu provinciali Definitione ad omnes actus Capitulares peragendos, qui eis de jure constitutionali competunt. Nostri Guardiani, quia per provisionem fiunt, unico actu eliguntur et confirmantur. — Definitores confirmantur ipso facto a Provinciali, tanquam Praeside Capituli, dum peracta electione iisdem sigillum consignat (V. *Bonagratia,* n. 193).

2. Provincialis, recenter electus, potest jam ante obtentam confirmationem jurisdictionem exercere, uti Constitutiones dicunt; sed tamen, quamprimum potest, confirmationem petere tenetur. — Si autem electio ob impedimentum canonicum invalida fuit in foro interno, nullatenus per confirmationem valida redditur: sed electus a suo munere recedere obligatur; prout fur, in foro externo a Judice absolutus, tamen in foro interno restituendi obligationem habet (*Bernardus Bon.* L. 26, § 10). Si autem de legitimae electionis

(1) Cfr. Const. Bened. XIV « *Suprema Apostolicae charitatis* » an. 1755, in Bullario Ord. Min. Capucc. (continuatio) vol. VIII, pag. 244.

dubia oriantur, S. Congregatio Ep. et Regul. (20 Sept. 1659) declaravit: « Manuteneri debet electus in pacifica sua possessione, donec « probentur nullitatis causae ».

ARTICULUS IV.

§ 147.

De obligationibus Vocalium.

Quoniam in Ordine nostro haud raro Capitula celebrantur, in quibus summi momenti electiones perficiendae sunt, opus omnino est, ut Vocales, a quorum votis electiones dependent, de suis obligationibus rite instructi sciant, quid agendum, quidve vitandum sit. Hunc in finem hic quaedam dicenda sunt 1. *de obligatione eligendi digniores*, 2. *de fugienda ambitione*, 3. *de vitanda acceptione personarum, et subornatione*, 4. *de respuentibus Praelaturas*. — Monita hic suggerenda probe a Vocalibus attendi debent, ut electiones bene procedant; quamvis negandum non sit, quod in tam gravi negotio praecipue ad orationem confugere, et Spiritus S. lumina implorare oporteat: quoniam ipse Christus electurus Apostolos *exiit in montem orare, et erat pernoctans in oratione Dei* (Luc. 6, 12).

§ 148.

I. De obligatione eligendi digniores.

1. Ipsa sana ratio dictat, in omni societate ad gravissimum regendi et gubernandi munus illos eligendos esse, qui ad illud maxime idonei censentur. Nam, ait *S. Thomas* (1. 2, q. 94, art. 5, ad 3): « Naturale est, ut minus sapiens regatur a magis sapiente ». Ideo Ecclesia non solum praecepit, ut a praelaturarum ecclesiasticarum consecutione inepti et indigni excludantur; sed etiam prohibuit, ne digni in conflictu digniorum eligantur. *Concilium Tridentinum* (Sess. 24, C. 1. de Ref.) hac de re ita loquitur: « Imprimis memine- « rint (Electores), nihil se ad Dei gloriam et populorum salutem « utilius posse facere, quam si bonos Pastores, et Ecclesiae guber-

« nandae idoneos promovere studeant; eosque alienis peccatis com-
« municantes mortaliter peccare, nisi quos digniores, et Ecclesiae
« magis utiles judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu,
« aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis,
« praefici diligenter curaverint ». Doctrinam hanc etiam Regularium Praelaturis, quibus etiam cura animarum commissa est, applicandam esse, communis est Theologorum sententia. Ideo etiam Constitutiones nostrae (cap. 8) dicunt: « In omni electione pure et simpliciter,
« sancte et canonice procedendum, et sub poena peccati mortalis ille
« eligendus est, qui ad munus, de quo agitur, rite exercendum opti-
« mus ac maxime idoneus judicatur ». Electores regulares etiam jurejurando ad eligendum digniorem se obstringere tenentur; nam in decreto *Clementis VIII* confirmato ab *Urbano VIII* (de Reform. Regul. n. 36) dicitur: « Jurent Electores secundum veritatem cujusque
« conscientiae, probiores, ac magis idoneos se electuros ».

2. Ut quis ad praelaturam regularem evehi mereatur, tribus praecipue dotibus insignitus esse debet, nimirum pietate, scientia, et prudentia. *Pietas* sane in Praelato regulari requiritur, ut officio suo rite fungatur, et observantiam regularem tum verbis, tum exemplis promoveat. *Scientia* Praelatis perquam necessaria est, ne illud verificetur, quod Christus dicit: *Si coecus coeco ducatum praestet, ambo in foveam cadunt* (Matth. 15, 14). Oportet ergo, ut Praelati in disciplinis theologicis bene versati sint, leges canonicas, rubricas, praecepta Regulae, et documenta ascetica probe cognoscant, ut subditos suos circa officia sua instruere, actiones eorumdem recte dijudicare, dubia ab ipsis proposita solvere, et generatim, ut omnia ordinate procedant, efficere possint. Summi momenti pro quocunque Superiore est *prudentia,* quae efficere debet, ut semper praesentem rerum statum cum omnibus circumstantiis probe perspiciens ad rectum finem aptissima media eligat, et applicet. Eadem prudentia rigorem ita ordinare debet, ut nec per excessum, nec per defectum in devia abripiatur. Prudentia haec scientiam quidem supponit, sed cum hac non semper conjuncta est, sed communiter per longam experientiam obtinetur; unde, in genere loquendo, seniores junioribus praeferendi sunt: quamvis negari non possit, ingenium valde perspicax etiam brevi tempore, ingenium vero valde debile vix unquam requisitam sibi prudentiam comparare posse. Qui pietate, scientia, et prudentia praeditus ad munus obeundum aptus censetur, in jure *dignus* dicitur: *indignus* vero, cui aliqua ex iisdem essentialibus dotibus deest.

3. Electores, ut recte procedant, et digniorem eligant, debent, quantum fieri potest, sibi comparare cognitionem tum munerum, ad quae, tum subjectorum, ex quibus electio facienda est. Dignitas enim eligendorum, ut recte observat *Gaudentius a Brixia*, non solum juxta qualitates absolutas, sed etiam juxta qualitates relativas, i. e. habito respectu ad munus, seu officium dijudicanda est. Non ergo semper doctissimus, vel sanctissimus etiam ut dignissimus habendus est; nam doctissimus Lector non est semper optimus Guardianus. et sanctissimus Subditus non est semper aptissimus Discretus, etc. Sed dignior, seu dignissimus ille censendus est, qui ad munus recte gerendum aptissimus cognoscitur. Sic e. g. ad Definitores spectat provisio Guardianorum, dispositio familiarum, observantiae regularis conservatio vel restauratio, etc.: ergo ad tale munus dignissimi censendi sunt, qui requisita pietate, scientia et prudentia non destituti, prae caeteris statum Provinciae, necessitates conventuum, et qualitates Religiosorum cognoscunt, observantiae regularis amatores et promotores existunt, et qui non ubique alienis placitis humiliter annuere et devote subscribere consueverunt; sed qui ipsi res inquirunt et dijudicant, et sententias suas, quas aequas agnoscunt, manifestare et propugnare non formidant (1).

4. Finis principalis, qui in omni electione attendi debet, est commune Religionis bonum. Ipsum praeceptum digniorem eligendi ad eumdem finem dirigitur. Ideo, ait *Bernardus a Bonon.* (Lect. 25, § 7), contingere potest, ut licitum, imo expediens sit, minus dignum eligere, relicto digniori, si tali modo attentis omnibus circumstantiis bonum Religionis commune magis promoveatur. Talis casus occurrit, 1. si dignior cum magna laude munere Concionatoris, Lectoris, etc., fungitur, a quo sine maximo Religionis detrimento amoveri nequit; 2. si seniores in Provincia deficere incipiunt, atque ideo juniores ad Praelaturas evehuntur, ut consilio seniorum adjuti paulatim muneribus Provinciae gerendis assuescant; quia alias fieri posset, ut de repente nullus in Provincia sit, qui ejusdem regimen suscipere valeat; 3. si alius modus non suppetit majus malum evitandi, e. g. si quis versatur in loco, in quo magnis periculis expositus est, aut officium

(1) Dummodo verbo et exemplo obedientiam et reverentiam Superioribus debitam praedicaverint. Unde pariter excludendi sunt non solum adulatores, sed et murmuratores vel imprudentes critici, qui principium auctoritatis practice debilitare solent.

occupat cum magno aliorum praejudicio; tunc, si alio modo inordinationibus obviari nequit, valere potest celebre dictum: promoveatur ut amoveatur (1). — Citatus Auctor hanc suam doctrinam auctoritate *S. Thomae* (2. 2, quaest. 6, art. 2, ad 3) et aliorum confirmat: monet autem, quod caute et raro sit adhibenda, ne abusus contingant; et quod etiam in adductis casibus nunquam liceat indignum eligere, quamvis hincinde prudentia suadeat, ut dignus digniori praeferatur. Praecipue quoad ultimum cavendum est, ne ob levis mali timorem, aut ex solo respectu humano, famosi dicti applicatio fiat.

5. Hincinde contingit, ut quis post primum aut secundum scrutinium observet, eum, quem digniorem censuit, tam paucas voces obtinuisse, ut spes non affulgeat, eumdem eligendum fore. Quid ergo illi electori in proximo scrutinio faciendum erit? an tuta conscientia, et salvo juramento potest, mutato consilio, votum suum alteri dare, quem minus dignum credit? — *Bernardus Bon.* cum *Jac. Raggio* respondet affirmative; quia alias votum suum inutiliter ferret, et sine effectu projiceret, ad quem suae auctoritatis abusum in conscientia obligari non potest; et quia etiam sensum nimis obstinatum proderet, qui sententiam suam mutare, seque judicio plurium conformare non vellet. — Sed *Gaudentius a Brixia* solide hanc sententiam refutat, et ad propositam quaestionem cum distinctione respondet. Ait enim: si elector cognito primo aut secundo scrutinio, ipsum judicium intellectus mutat, et ex pluralitate votorum sibi persuadet, eum, quem minus dignum putavit, esse digniorem, tunc non solum potest, sed et debet votum suum mutare; secus vero non. Hincinde enim contingit, ut quis subjecta, quae eligenda sunt, non satis cognoscat, atque ideo potest mutata sententia accedere ad numerum ejus, qui plura vota accepit; cum, nisi contrarium suadeat valde urgens ratio, ob perspectam probitatem eligentium, eorumque juramentum, dubitare non liceat, eum, qui a majori parte electus est, vere idoneum esse. — Si quis autem subjecta satis bene cognoscit, ex solidis rationibus eum, cui votum dederat, digniorem judicat, atque ideo etiam post scrutinii publicationem judicium suum mutare nequit; tunc non licet ei votum mutare, sed debet etiam in sequenti scrutinio eidem dare, quem digniorem censet; nam alias tum legem ecclesiasticam, tum juramentum violaret. — Neque tale votum inu-

(1) Intellige, dummodo, praeter rationes allatas, talis promovendus sit vere dignus, nec praevideatur subditis nocivus.

tiliter datum, seu sine effectu projectum dici potest: nam per tale votum propriae conscientiae consulitur, et juramentum servatur; praeterea tale votum est actus justitiae, qui digniori debetur, et salutares effectus producere potest. Nam e. g. si ex 24 votis 15 minus digno, et 9 digniori dentur; haec novem vota quamvis pro electione non sufficiant, tamen merito dignioris conveniunt, et efficere possunt, ut hic in alia electione melius attendatur; et praeterea eadem novem vota fraenum quoddam pro electo constituunt, qui ex ipsis cognoscit, quid alii de ipso sentiant: si contrarium contingeret, et etiam dicta novem vota minus digno darentur, digniori injuria fieret, electus magis magisque insuperbiret, et electores omnes a recto tramite deviasse viderentur. Insuper, nisi enormis sit vocum discrepantia, vix unquam aliquis certus esse potest, in sequenti scrutinio votum suum inutile futurum esse; quoniam hincinde contingit, electores, vel merita alicujus melius ponderantes, vel a Deo specialiter inspiratos, vota sua mutare, et relicto minus digno, in eligendo digniore conspirare. — Denique qui sententiam suam solidis rationibus innixam non mutat, et plurium placitis, quae injusta putat, haud consentit, nequaquam obstinati et pertinacis capitis, sed constantis animi vir dicendus est; et laudem meretur uti Joseph ab Arimathaea, qui *non consenserat consilio, et actibus eorum.* Luc. 23, 51.

§ 149.

II. De fugienda ambitione.

1. Ambitionem, quae est inordinatus appetitus honoris, maxima sollicitudine fugiendam esse, omnes Doctores affirmant. *S. Thomas* hac de re ita scribit: « Quaestionem, an licet appetere praelationem, « solvit *S. Augustinus* (l. 16. de Civ. Dei), ubi dicit, quod locus « superior, sine quo populus regi non potest, etsi administratur, ut « decet, tamen indecenter appetitur. — Ideo nullus suo appetitu « debet ad praelationem pervenire, sed solum Dei judicio, secundum « illud Apostoli (Hebr. 5): *Nemo sibi assumit honorem, sed qui « vocatur a Deo tamquam Aaron* » (Quodl. 2, art. 11). — Idem alibi de eadem quaestione dicit: « Et hoc est illicitum, quia pertinet « ad ambitionem: unde contra Pharisaeos Dominus dicit: *Amant*

« *primos recubitus in coenis, et primas cathedras in Synagogis, et* « *vocari ab hominibus Rabbi* (Matth. 23). Appetere proximis pro- « desse, est secundum se laudabile et virtuosum: verum quia habet « annexam gradus celsitudinem, praesumptuosum videtur, quod aliquis « praeesse appetat ad hoc, quod subditis prosit, nisi manifesta ne- « cessitate imminente, vel quando imponitur a Superiore » (2. 2, Q. 185, art. 1; et Quodlib. 12, art. 17). — Ambitiosus, qui praelaturam desiderat, nunquam a magna iniquitate excusari potest: nam si se illius inter omnes dignissimum reputat, maxime superbus est; si vero se haud dignissimum agnoscit, detestandam injustitiam anhelat. Ambitio ergo in quolibet homine, et multo magis in Religioso, ac praecipue in Fratre Minore omnem abominationem meretur. « Quale enim monstrum, ait *Gaudentius a Brixia,* est Frater Minor, « qui ambit esse major? — Frater Minor, qui illecebris mundi alacri « pede conculcatis vanitates in ipsa humilitatis et paupertatis schola « quaerit? — Frater Minor, qui perfectam omnium rerum abdica- « tionem profitetur, et amore proprio obcoecatus iis inhaeret, quae « sine periculo et injustitia obtinere nequit? qui cor ab amore pa- « rentum, patriae, divitiarum, et deliciarum evacuat, et fumo dia- « bolico implet? — qui minimis renuntiat, et Praelaturas sibi ap- « propriat? »

2. Ambitio semper, et praecipue in Fratre Minore, sicut magnam malitiam, ita etiam magnam stultitiam prodit. Nam « ambitio, ait « *S. Augustinus* (Tract. 122, in Joan.), oritur vel gloriandi, vel « dominandi, vel acquirendi cupiditate ». Insaniunt autem, qui praelaturas desiderant, putantes, se tunc magis aestimandos atque honorandos esse: nam sola virtus, vitaeque rectitudo Religioso hominum aestimationem, et veram gloriam comparare potest: in eo autem, qui in majori dignitate constitutus est, tum scientiae, tum probitatis defectus, tum inordinatae, quibus hincinde abripitur, passiones facilius cognoscuntur; quia *non potest civitas abscondi super montem posita* (Matth. 5). Ideo, teste experientia, saepe contingit, ut qui tanquam subditus maximo in honore habebatur, tanquam Praelatus contemnatur, et in multis vituperetur. — Eodem modo delirant, qui dominandi libidine abrepti praelaturas quaerunt, ut auctoritatem suam in alios exercere queant. Talibus enim dici debet, quod Christus Apostolis suis acclamavit: *Reges gentium dominantur eorum; vos autem non sic, sed qui major est inter vos, fiat sicut minor* (Luc. 22). Eodem modo S. Franciscus voluit, ut in seraphico Ordine

Praelati caeterorum Ministri sint; et inter alia dixit: « Qui ad alios « regendos positi sunt, tantum de Praelaturis gloriari debent, quantum « si destinati fuissent ad lavandos pedes suorum Fratrum. Et si « turbantur ex eo, quod sibi praelaturae sublatae aut negatae fuerint, « magis quam si ipsis sublatum fuisset officium lavandi pedes; eo « magis sibi praeparant ruinam animae propriae ». Quo magis Praelatus ab hac humilitatis regula recedit, et cum fastu (1) imperium suum exercet, eo magis subditos exacerbare, et ab his quoque excruciari solet. — Stupidi denique dicendi sunt, qui ad dignitates evehi cupiunt, arbitrantes, quod in altiori loco constituti lautius vivere, majori libertate, aliisque commodis frui queant. Verum isti vehementer errant, rosas aspicientes, et spinas non attendentes. Sane in nostro Ordine Praelaturae nec redditus habent, nec alia emolumenta afferunt: necessaria quilibet Frater obtinet, superflua nulli, et minime Superiori quaerere licet: hic enim in regulari observantia tanquam forma factus gregis omnes praecedere, omnibus invigilare, pro omnium necessitatibus sollicitam curam gerere, atque ideo non plura commoda experiri, sed plurima incommoda subire debet. — Accedit, quod Superior pro villicatione sua gravissimam rationem redditurus sit: *quoniam judicium durissimum his, qui praesunt, fiet* (Sap. 6, 6). Praelatus, cujus vita privata reprehensione caret, ob peccata subditorum non impedita vel emendata damnari potest. Nam, ait *S. Gregorius* (in I. Reg. c. 2): « Bonis subditis vivere ad salutem sufficit: « Praelatis vero propria vita non sufficit »; et *Petrus Blessensis* ait: « Multorum dominatio est eorum damnatio: quot enim paupertas « ad coelum promovet, tot cum dignitatibus suis infernus absorbet ». Vera ideo sapientia et sanctitate praediti honores et dignitates summo studio fugerunt, et qui praelaturas ambiunt, stulti et obcoecati dicendi sunt.

3. Sicut arbor mala malos fructus, sic ambitio pessimos effectus producit. Hoc vitium sui ipsius carnifex dici meretur. Cor enim ambitiosi inutilibus plerumque desideriis torquetur, cum propter ipsam iniquam passionem suam ea, quae desiderat, non consequatur; nam, ait *S. Chrysostomus* (hom. 39. ad popul.): « Donec gloriam

(1) Idem dicendum de illo, qui subditos regit potius modo militari, quam paterno ac religioso. Milites regit timor, Fratres charitas: milites sunt quasi servi, Fratres tot filii dilecti. Regimen militare fit cum superbia et arrogantia, regulare cum humilitate et mansuetudine.

« sectamur, nos fugit; cum autem eam fugimus, nos ipsa sequitur »: ab ambitioso ergo, quo magis illi inhiat, eo magis remota manet. Ideo *S. Bernardus* (lib. de consid.) exclamat: « O ambitio, ambien-« tium crux! quomodo omnes torques? Nil te acerbius cruciat, nil « molestius inquietat ». Idem S. Doctor (l. de contemptu mundi) ita ambitiosum describit: « Undique circuit sedulus explorator, blanditur, « obsequitur, miseraque sibi suffragia mendicare non erubescit, ma-« nibus et pedibus repens, si quo modo tandem se ingerere queat « in patrimonium Crucifixi ». Et, quod maxime dolendum est, ambitiosi, ut desideratum finem consequantur, variis, pessimisque mediis utuntur, nimirum hypocrisi, mendaciis, fraudibus, murmurationibus, calumniis, etc.; unde *S. Bernardus* ait: « Radix iniquitatis « ambitio, subtile malum, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, « mater hypocrisis, livoris parens, vitiorum origo, criminis fomes, « virtutum aerugo, tinea sanctitatis, excoecatrix cordium, ex remediis « morbos creans, generans ex medicina languorem » (apud *S. Bonav.* Pharet. lib. 1, cap. 24). Nihil ergo religiosorum Ordinum bono magis opponitur, quam ambitio. Ambitiosi enim, si ad desideratam dignitatem non perveniunt, inquieti, afflicti, invidi, omnia factionibus, discordiis, rixisque replent: si vero in altum conscendunt, mali fiunt Praelati, qui quaerunt, quae sua sunt, non quae Jesu Christi. Si enim ut subditi suas non poterant moderari passiones, quomodo ut Praelati id facient? Non de honore Dei, sed de propria gloria solliciti, ut hominibus placeant, ubique indulgentes se ostendunt, fraena subditis laxant, et regularem observantiam labefactant. Qualia motiva ambitionem summo studio fugiendi!

§ 150.

III. De vitanda acceptione personarum, et subornatione.

1. Si digniores prae minus dignis ad praelaturas ineundas scienter non eliguntur, necessario sequitur acceptio personarum, quae a Theologis describitur: peccatum, quo in distributione bonorum communium non attenditur causa, aut titulus, cur aliquis plus, minusve debeat accipere, sed ipsius persona, aut personae conditio, nihil ad praedictam distributionem faciens. Jam dictum est, gravem

esse obligationem, digniorem, i. e. illum eligendi, qui prae caeteris pietate, scientia, et prudentia excellit. Si quis autem non ad istas dotes respicit, sed minus dignum eligit, quia amicus, consanguineus, vel ejusdem patriae est; aut digniorem respuit, quia ab hoc offensus fuit; aut uni votum tribuit, qui non magno ingenio, sed bona voluntate praeditus etiam in dignitate constitutus facile regi, et gubernari potest, alteri vero negat, qui ingenio et pietate pollens non omnibus annuit, sed omnia inquirit; aut minus digno favet, qui praelaturam ambit, et in sinistro casu perturbatur, digniorem vero, qui praelaturas fugit, negligit: etc. etc., talis omni jure de personarum acceptione reus arguitur. Quantum vero sit hoc peccatum, *S. Thomas* (2. 2, Q. 6, art. 1) ostendit dicens: « Quanto in ma-« joribus aliquis justitiam transgreditur, tanto gravius peccat. Unde « cum spiritualia sint temporalibus potiora, gravius peccatum est « personas accipere in dispensatione spiritualium, quam in dispen-« satione temporalium ». *Ludovicus Granat.* (de Benef. 2, § 3, dub. 8) haec addit: « Quemadmodum qui imperitum medicum, aut nauclerum, « aut ducem, aut pastorem praeficit, reus est omnium damnorum, « quae ex horum ignorantia consecuta sunt: ita plane qui indignum « eligit in Ecclesia Ministrum, omnium malorum consequentium reus « est. Omnia enim haec et nomina, et officia cuilibet Ecclesiae Mi-« nistro simili ratione conveniunt... Quid ergo dicet, qui et sciens, « et volens, et affectibus suis aut amicorum serviens, contemptis « dignioribus praeficit indignos, ex qua indignitate tot pereuntium « animarum strages consequuntur? ».

2. Qui vota pro se, aut pro aliis malitiose procurant, in jure Subornatores vocitari solent. Tales sunt, qui precibus, promissionibus, aut minis, pro se vel pro aliis vota procurant, aut qui de illo, quem eligendum fore timent, male loquuntur, eius merita extenuantes, aut varios defectus ipsi affingentes, aut qui econtra eum, cujus electionem exoptant, usque ad astra extollunt, caeterisque cunctis praeponunt. Contra tales Subornatores *Clemens VIII* Decretum edidit, quod jussu *Urbani VIII* a Congregatione approbatum fuit, et sequentis est tenoris: « Ut omnis officiorum ambitus occasio praeclu-« datur, caveant omnes a directa vel indirecta votorum seu suffra-« giorum procuratione, tam pro se ipsis, quam pro aliis, tum in « Capitulis locorum, tum in caeteris praesertim generalibus Capitulis, « aut Congregationibus, seu alibi. Quicunque secus fecerint, praeter « alias poenas et censuras hactenus contra hujusmodi ambientes in-

« flictas, quas in robore suo permanere volumus, in poenam priva-
« tionis officiorum, quae obtinent, eo ipso incidant, et ad futura
« quaecunque pariter inhabiles habeantur, super quo cum eis a ne-
« mine dispensari possit, nisi a nobis, vel a successoribus nostris,
« et pro qualitate culparum gravius etiam plectantur. Porro supra-
« dictas omnes poenas ad complices, ac simpliciter scientes et non
« revelantes extendimus ». Per hoc decretum, ait *Bernardus Bonon.* (Lect. 26, § 3), non omnis consultatio, electioni praemittenda, interdicitur, quae licita, utilis, imo et necessaria dici potest. « Bullae
« et Decreta Rom. Pontificum, ait *Rodriquez* (tom. 2, q. 56, art. 1),
« debent tantum intelligi de mala procuratione, et subornatione pro-
« veniente ex aliquo affectu inordinato, vel passione humana, qua
« ambiuntur officia Ordinis, pecunia et aliis donis; vel qua indignus
« digno, et minus dignus digniori praefertur, cum hoc evidenter sit
« in damnum communitatis: non autem de bona et virtuosa, in qua
« licite suadentur virtutes et merita alicujus. » Cel. *Donatus* in praeclaro opere (Rerum regul. praxis resolutoria, T. II, Tract. 1, q. 11) praevias consultationes necessarias esse docet; ait enim: « Quidam
« tractatus sunt boni et virtuosi, ceu sunt tractatus consultorii, in
« quibus discutiuntur merita, partes, et qualitates eligendorum; et
« hi de necessitate habendi sunt in qualibet electione, aliter non va-
« leret electio: et est manifesta decisio (cap. *Cum in vet. lege* 52,
« *de elect.*), ubi irritatur electio ob defectum debiti tractatus, ubi
« Glossa ait: hic patet, quod tractatus debet haberi ante electionem,
« et collationem ad invicem; alias quomodo eligerent, nisi primo de
« aliquo eligendo tractarent? Hinc collige, hujusmodi tractatum esse
« tantae necessitatis, ut non possit in quavis electione canonica prae-
« termitti, nec per contrariam consuetudinem abrogari ». — Idem inferius citat *Urbanum VIII,* qui voluit, statuitque, electores posse habere tractatum juxta dispositionem S. Canonum, scilicet ante unum aut duos dies antequam ad electionem procedatur, prout constat ex litteris D. Fagnani datis Romae die 10 Octobr. 1626. Jure ergo prohibitum censetur, ante praedictum unum, aut duos dies, de electione peragenda verbo aut scripto tractare, aliquos pro electione commendare, alios respuere, etc. Sed si omnes electores uniti sint, decet omnino, ut prudens quaedam consultatio non clandestino modo, sed publice in Domino instituatur, in qua per actualem Provincialem, et Definitores, qui statum Provinciae melius cognoscunt, qualitates eligendorum discutiantur, aut etiam aliqui denominentur, quos coram

Domino digniores putaverint. Per tales consultationes nonnullorum ignorantiae et simplicitati subvenitur, aliorum praejudicia, contra aliquem concepta, emendantur, et machinationibus malignorum obviatur, qui, ut ait *Bernardus Bon.*, cum tam scrupulosi non sint, sensus suos aliis communicare non verentur, ad finem suum omnia media licita putant, et per iniquas subornationes suas electionem facile corrumpunt.

§ 151.

IV. De respuentibus Praelaturas.

1. Qui attente graves Praelatorum obligationes considerat, et humiliter infirmitatem propriam agnoscit, longe ab omni ambitione remotus praelaturas, quantum fieri licet, fugere conatur. Multa hac de re exempla in vitis Sanctorum prostant: sic e. g. *S. Ambrosius, S. Gregorius M.* et alii oblatos sibi honores pro viribus declinare studuerunt. — Quamvis autem humiles isti sensus omnem laudem mereantur, tamen magnopere vituperandus est, qui sub humilitatis larva obedientiae praecepto se subducere praesumit. Nam, ait *S. Thomas* (2. 2, Q. 185, art. 2): « Sicut ad inordinationem voluntatis « pertinet, quod aliquis proprio motu feratur in hoc, quod aliorum « gubernationi praeficiatur: ita etiam ad inordinationem voluntatis « pertinet, quod aliquis omnino contra Superiorum ordinationem prae- « dictum gubernationis officium finaliter recuset, propter duo: primo « quidem, quia hoc repugnat charitati proximorum, quorum utilitati « se aliquis debet exponere pro loco et tempore; secundo, quia hoc « repugnat humilitati, per quam aliquis Superiorum mandatis se su- « bjicit ». Potest quidem Religiosus rationes exponere, ob quas se a praelatura eximendum putat; si vero, his auditis, Superiores nihilominus electioni insistunt, obedientiae jugo humeros suos submittere tenetur. Ideo etiam Constitutiones nostrae, quamvis humilitatis sensus ubique commendent, tamen hac de re ita loquuntur: « Ii, « quibus per obedientiam praelaturae impositae fuerint, pertinaces « non sint in illis respuendis; sed cum omni humilitate et sollici- « tudine adimpleant ministerium sibi commissum ».

2. Qui electioni suae inordinate et pertinaciter resistit, quandoque electioni minus digni causam praebet, atque ideo de malis

effectibus, qui exinde sequuntur, rationem reddere debebit. Praeterea respuens praelaturas plerumque ostendit, quod nimis semetipsum, et nimis parum Dei gloriam et proximi salutem amet. Memoratu digna sunt, quae hac de re *S. Gregorius M.* (Lib. I. Pastor. cap. 5) scripsit: « Sunt, ait, nonnulli, qui eximia virtutum dona percipiunt, « et pro exercitatione caeterorum magnis muneribus exaltantur.... « Qui nimirum culmen regiminum si vocati suscipere renuunt, ipsa « sibi plerumque dona adimunt, quae non pro se tantummodo, sed « etiam pro aliis acceperunt; cumque sua, et non aliorum lucra co- « gitant, ipsis se, quae privata habere appetunt, bonis privant.... « Hinc Christus (Jo. 21) Petro ait: « *Simon Joannis, amas me?* « qui cum se amare protinus respondisset, audivit: *Si diligis me,* « *pasce oves meas.* Si ergo dilectionis est testimonium cura pastionis, « quisquis virtutibus pollens gregem Dei renuit pascere, Pastorem « summum convincitur non amare ». Accedit, quod vera in Deum confidentia illi desit, qui etiam jussus praelaturam refugit, ne salutis suae pericula subeat; nam sine gratia in nullo statur, cum gratia autem, quae praecipue per humilitatem et obedientiam obtinetur, etiam ut Praelatus salutem suam operabitur.

CAPUT IX.

§ 152.

De Praedicatoribus.

Christus, Filius Dei incarnatus, proprio ore nobis Evangelium salutis annuntiare dignatus est; nam *circuibat Jesus totam Galilaeam docens in synagogis eorum, et praedicans Evangelium regni* (Matth. 4, 23). Ipse etiam ad praedicandum discipulos *misit binos ante faciem suam;* et ascensurus in coelum Apostolis suis ait: *Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae* (Luc. 10, 1; Marc. 16, 15). Hoc divini Redemptoris exemplo commotus S. Franciscus praedicationi se accinxit. Cum enim vitae

contemplativae dulcedine alliceretur, et magnam orationis praestantiam consideraret, « in qua Deum alloquimur et audimus, et quasi « angelicam vitam agentes inter Angelos conversamur »; tamen postea addit: « Sed unum est in contrarium, quod videtur praepon- « derare his omnibus ante Deum: quod videlicet unigenitus Dei Fi- « lius, qui est sapientia summa, propter animarum salutem de sinu « Patris descendit, ut suo mundum informans exemplo verbum sa- « lutis hominibus loqueretur, quos sacri sanguinis et pretio redimeret, « et mundaret lavacro, et poculo sustentaret, nihil sibi omnino re- « servans, quod non in salutem nostram liberaliter erogaret. Et quia « debemus omnia facere secundum exemplar eorum, quae videmus « in ipso tanquam in monte sublimi, videtur Deo magis placitum, « quod intermissa quiete foras egrediar ad laborem » (Collat. 14). Ex eadem causa S. Pater etiam discipulos suos ad praedicandum mittere voluit, ut animarum salutem promoverent; nam ait (Opusc. S. P. Proph. 7): « Dico vobis in veritate, quod Dominus Minores « elegerit, et miserit propter profectum et salutem animarum totius mundi ». Ideo in isto capite nono praecepta et monita pro praedicatoribus proposuit: « ex quo patet, ait *S. Bonaventura,* quod Fra- « tres ex sua professione habent praedicare, in quorum Regula inter « omnes specialis tractatus de praedicationis officio continetur; unde « certissime constat, quod nullis aliis Religiosis plus competit prae- « dicare ex ratione status sui, quam his, qui hanc Regulam profi- « tentur » (1). Cum officio autem praedicationis intime cohaeret munus Saecularium quoque confessiones audiendi: et ex utroque hoc munere fluit Studiorum necessitas. Quare *S. Bonaventura* ait: « Ex isto « capitulo patet, quod Fratribus ex intentione beati Francisci in- « cumbit studere, quia sine studio non possunt verba modo debito « examinare ». — Ut ergo omnia, quae ad istud caput spectant, rite exponantur, agendum est 1. *de requisitis ad legitimam praedicationem,* 2. *de audiendis Saecularium Confessionibus,* atque 3. *de Studiis* a Fratribus Minoribus suscipiendis, ut juxta intentionem seraphici Patris non propriam tantum perfectionem, sed etiam aliorum salutem promovere valeant.

(1) Unde errant et a propria vocatione alieni fiunt Sacerdotes, qui non curant habiles fieri ad sacrum ministerium.

ARTICULUS I.

§ 153.

De requisitis ad legitimam praedicationem.

Verbum Dei praedicatum miram ad animarum salutem promovendam efficaciam habet; comparatur enim ab ipso Christo semini, quod in terra bona uberrimos fructus profert (Matth. 13). Ut autem verbi divini praedicatio vere salutaris fiat, opus est, ut ex legitima missione seu auctoritate suscipiatur, et debito modo perficiatur. Et de his duobus S. Pater in isto capite sermonem habet; nam ait *S. Bonaventura:* « Hoc Capitulum habet duas partes; quia primo « agit de pertinentibus ad praedicationis auctoritatem, et secundo « de pertinentibus ad praedicationis utilitatem et maturitatem ». — Ut in Fratribus Minoribus legitima missio seu auctoritas inveniatur, S. Pater 1. *consensum Episcopi,* et 2. *approbationem Ministri Generalis requirit;* et ut verbi divini praedicatio debito modo perficiatur, 3. *saluberrima monita pro praedicatoribus* adjungit.

§ 154.

I. De consensu Episcoporum ad praedicandum requisito.

TEXTUS. *Fratres non praedicent in Episcopatu alicujus Episcopi, cum ab eo illis fuerit contradictum.*

1. S. Franciscus, humilitatis et pacis amator, noluit, ut ipsius Alumni in alterius messem, invito Domino, falcem mittant; et ideo eis prohibuit praedicationem *in Episcopatu alicujus Episcopi, cum ab eo illis fuerit contradictum.* Prohibitio haec justissimis rationibus innititur. Episcopi enim sunt Pastores, quibus greges commissi sunt, et ad quos spectat pabulum doctrinae ovibus suis subministrare, quod, ipsis invitis, perficere, alieni muneris usurpatio est. Sed tamen juxta citata Regulae verba ad licite praedicandum non requiritur consensus Episcopi expressus, sed sufficit tacitus, seu sufficit, ut ab

eo illis non fuerit contradictum. « Hoc ideo dicitur, ait *S. Bona-*
« *ventura,* quia Fratribus iste gradus licentiae debet sufficere; quia
« praesumitur eum consentire, si non contradicat (1): unde *S. Grego-*
« *rius M.* (l. 22 Moral.) ait: Pii Pastoris mens, quia non propriam
« gloriam, sed Auctoris sui quaerit, ab omnibus vult juvari; quod
« namque, ait, praedicator fidelis optat, si fieri valeat, veritatem,
« quam solus loqui non sufficit, ore cunctorum sonet ». In hoc sensu praedicationis prohibitionem intelligendam, et a Fratribus Minoribus observandam esse, declaravit *Nicolaus III* (*Exiit,* Art. 9) dicens: « Quia expresse continetur in Regula, quod Fratres non praedicent « in Episcopatu alicujus Episcopi, cum ab eo illis fuerit contradic-« tum, nos in hoc et deferentes Regulae, et nihilominus auctoritatem « apostolicae plenitudinis conservantes, dicimus, quod praedictum « verbum ad litteram, sicut Regula ipsa protulit, observetur, nisi « per Sedem apostolicam circa hoc pro utilitate populi christiani sit « concessum, vel ordinatum aliud, vel in posterum concedatur, sive « ordinetur ».

2. Successu temporis a Romanis Pontificibus varia privilegia circa praedicationem Fratribus Minoribus concessa fuerunt. Sed haec revocata, aut saltem restricta fuerunt per *Concilium Tridentinum,* quod Regularibus praecepit, ut in propriis Ecclesiis praedicaturi benedictionem, in alienis autem Ecclesiis munere apostolico functuri licentiam ab Episcopo petant; ait enim, Sess. V de Reform. cap. 2: « Regulares vero cujuscunque Ordinis, nisi a suis Superioribus de « vita, moribus, et scientia examinati et approbati fuerint, ac de « eorum licentia etiam in Ecclesiis suorum Ordinum praedicare non « possint: cum qua licentia personaliter se coram Episcopis prae-« sentare, et ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prae-« dicare incipiant. In Ecclesiis vero, quae suorum Ordinum non sunt, « ultra licentiam suorum Superiorum, etiam Episcopi licentiam « habere teneantur, sine qua in ipsis Ecclesiis non suorum Or-« dinum nullo modo praedicare possint ». Hoc Decretum Concilii omnes Regulares, et praecipue Fratres Minores observare tenentur, qui sine consensu Episcopi in alienis Ecclesiis praedicantes, tum

(1) Ut infra dicetur, hodie generatim seu *de jure* necessaria est Ordinarii licentia (respective) proprie talis. Facile tamen *in praxi* praesumitur Episcopi benedictio ad praedicationem habendam in nostris ecclesiis, praesertim ubi talis viget consuetudo.

legem ecclesiasticam, tum praeceptum Regulae transgrederentur. — Attendi hic etiam debent, quae statuit *Clemens X* (Const. *Superna*) dicens: « Regulares, qui in Ecclesiis sui Ordinis praedicare « voluerint, teneri ab Episcopo dioecesano benedictionem petere; prae- « dicare tamen poterunt, quamvis illam non obtinuerint. Quod si « Episcopus benedictionem nedum non concesserit, sed etiam contra- « dixerit, nec in praedictis quidem Ecclesiis licere Regularibus « praedicare, eosque contravenientes ab illo tamquam Apostolicae « Sedis Delegato, censuris aliisque poenis ecclesiasticis... coerceri, « et puniri posse. Episcopum tamen absque justa et rationabili « causa contradicere non debere, et hujusmodi benedictionem teneri « etiam Regulares petere, si in quibuscunque Oratoriis sui Ordinis « sermonem coram populo, vel in Ecclesiis, aut ad crates monaste- « riorum Sanctimonialium eorum jurisdictioni subjectarum, licet clausis « januis, et nullus Saecularis ibi intersit, habere voluerint ». — Quamvis vero, ut ex dictis patet, Episcopis jus insit a Praedicatoribus Regularibus personalem praesentationem exigendi, attamen huic juri suo renuntiare possunt. Eos autem huic juri renuntiare, et personalem praesentationem non exigere, vel ab expressa eorum declaratione, vel ex consuetudine et praxi, contra quam non reclamant, dignosci potest: quo posito, praedicatores personaliter se Episcopo praesentare non tenentur. — Caeterum ipsa S. Congregatio Ep. et Regul. anno 1635 Episcopos monuit, quod non debeant exigere personalem eorum praesentationem, qui longe ab ipsis dissiti sunt; voluitque, ut his per litteras, aut per Vicarios locorum benedictionem impertiantur.

3. Cum S. Regula tunc solum praedicationem prohibeat, si Episcopus contradicat, et Concilium Tridentinum nonnisi Episcoporum benedictionem aut licentiam requirat; videtur Fratribus Minoribus praedicatio licita esse, si tantum Praelati inferiores, Decani, Parochi, vel Curati contradicant. Imo *Alexander IV* (Const. *Non insolitum*) declaravit, Fratres Minores, si a Papa, aut ejus Delegato, aut ab Episcopis praedicandi licentiam obtinuerint, munus suum apostolicum etiam sine assensu Praelatorum inferiorum aut Parochorum exercere posse. Idem confirmavit *Martinus V* (Const. *Ad fructus uberes*). — Verum gravissimae rationes suadent, ut etiam inferioribus Praelatis contradicentibus a praedicatione abstineatur. Secus enim pax turbaretur, et scandala orirentur. Ideo S. Franciscus, cujus utique exemplum sequi oportet, in suo Testamento ait: « Si haberem

« tantam sapientiam, quantam Salomon habuit, et invenirem pau-
« perculos Sacerdotes hujus saeculi, in Ecclesiis, in quibus morantur,
« nolo praedicare ultra voluntatem eorum ». Eodem humilitatis ac pacis spiritu ductus, ait *Pisanus,* « B. Franciscus numquam voluit
« impetrare privilegium, ut Fratres possint praedicare in Episcopatu
« contra voluntatem Episcoporum: sed oppositum semper voluit
« dicens, quod talia facilius fierent cum pace Episcoporum et Cle-
« ricorum, quam alio modo. » Pro eadem sententia citari solet etiam *S. Bonaventura,* qui (in cap. 9) sequentia habet: « Ponamus, quod
« Episcopo attemperante, et adprobante praedicationem Fratrum,
« aliquis inferior Praelatus repellat eos in parochia sua. Nunquid
« contra voluntatem ejus debent ibidem praedicare? — Et videtur,
« quod non; quia auctoritas concessa a quocunque judice, intelligitur
« concedi sine praejudicio; sed praedicare in alienis parochiis invito
« curam habente, est in praejudicium, proprii pastoris: ergo nullum
« Fratribus suffragatur privilegium ad praedicandum plebi contra-
« dicente proprio pastore ». Sed haec verba S. Doctor profert per modum objectionis, ad quam respondet exponendo Hierarchiam ecclesiasticam, juxta quam « quidquid potest inferior, etiam potest
« Superior, et non e converso ». Ergo Episcopus potest in qualibet parochia sibi subdita praedicare, et potest etiam hoc jus suum alteri e. g. Fratri Minori committere. « Unde si Sacerdos curam habens
« nolit admittere Fratrem missum canonice, peccat mortaliter; nam
« *qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Si igitur resistat
« sacerdos, nitatur Frater eum cum humilitate allicere; quodsi non
« possit (nisi scandalum immineat), debet Frater praedicationis offi-
« cium exercere. Quod si omnino se Sacerdos irrationabiliter opponat,
« vehemens est praesumptio contra ipsum; et tunc cedendum est ad
« tempus malitiae, ne scandalum suscitetur, et denunciandum est
« Hierarchae periculum animarum ». Pro praxi ex dictis colligi potest, quod communiter, contradicentibus etiam inferioribus praelatis, a praedicatione abstinendum sit: si vero praedicatio ex mandato Praelati superioris suscipiatur, aut si praedicationis omissio cedat in grave vel Ordinis vel animarum detrimentum, Fratres Minores jus suum praedicandi defendere, ac ideo ad Praelatos superiores recurrere possunt et debent.

4. Jus Praedicatores Regulares examinandi Episcopis non Concilium Tridentinum, sed *Clemens X* tribuit, qui in Constitutione anno 1670 publicata § 3 dicit: « Posse Episcopum licentiam conces-

« surum Regularibus in Ecclesiis, quae suorum Ordinum non sunt, « praedicare volentibus... quoad doctrinam examinare, si ita ipsius « arbitrio, quod moderatum et discretum esse debet, visum fuerit ». Putant autem varii Expositores, ut *Sanctes, Gaudentius a Brixia, Viator a Coc.* et alii, Fratres Minores sub hoc decreto comprehendi non posse: nam tum Romani Pontifices, tum Concilia Regulam nostram adprobarunt, atque ideo facultatem praedicatores examinandi et adprobandi in Superiores Ordinis transtulerunt, quibus ex praecepto Regulae hoc officium incumbit. Non potest ergo praesumi, *Clementem X* hanc facultatem et obligationem Superioribus Ordinis adimere, vel praedicatores Ordinis duplici examini subjicere voluisse. Ideo Ordo Minoriticus omni tempore exemptionem praedicatorum suorum ab examine et approbatione episcopali sibi vindicavit, neque hanc — etiam post tempora *Clementis X* — communiter loquendo, Episcopi restringere consueverunt. Non potest ergo, ait *Philippus a Cast.*, Frater Minor sine praejudicio Ordinis se examini episcopali pro praedicatione subjicere: quodsi Episcopus sine praevio examine requisitam licentiam pro praedicatione concedere recuset, ab hac abstinendum est; quia juxta Regulae praeceptum, contradicente Episcopo praedicare non licet. — Sed tamen attendendum est ad locorum consuetudinem. In provinciis enim, in quibus praefata exemptio jam sublata est, Fratres Minores possunt et debent se examini episcopali subjicere, ne majus bonum — praedicatio — impediatur (1).

(1) Ex variis Decretis S. Sedis, *contradicente Episcopo* seu expresse prohibente, non licet Fratribus conciones habere neque intra neque extra ecclesias nostras. Unde praesumptio quoad nostras ecclesias debet esse fundata seu proprietalis. Et etiamsi contradictio Episcopi injusta foret seu mere arbitraria, debent Fratres abstinere et interim ad S. Sedem rem deferre.

§ 155.

II. De approbatione Ministri Generalis ad praedicandum requisita.

TEXTUS. *Et nullus Fratrum populo penitus audeat praedicare, nisi a Ministro Generali hujus Fraternitatis fuerit examinatus, et approbatus, et ab eo sibi officium praedicationis concessum.*

1. S. Regula Ministro Generali officium imponit, illos, qui praedicationis munere sunt functuri, examinandi, et si idonei inventi fuerint, approbandi. Cum autem successu temporis ob maximam Ordinis amplitudinem, officium hoc non sine plurimis difficultatibus ab uno Ministro Generali impleri potuisset, *Nicolaus III* (*Exiit,* art. 9) facultatem praedicatores tum examinandi tum approbandi etiam Ministris Provincialibus cum Definitoribus concessit; ait enim: « Nos « et statum praeteritum ipsius Ordinis in paucitate sui, et mo- « dernum in ampliato Fratrum numero, ac utilitatem animarum (ut « condecet) advertentes, concedimus, nedum Generalem examinare « et approbare Fratres praedicaturos in populis, ac illis concedere « licentiam praedicandi, quatenus personae idoneitatem et praedica- « tionis officium licentia ipsa respiceret, prout in Regula continetur; « verum etiam Provinciales Ministri hoc possint in Capitulis cum « Definitoribus: quod etiam hodie observari dicitur, et in Fratrum « privilegiis contineri: quam quidem licentiam praefati Ministri re- « vocare ac suspendere valeant, et arctare, sicut et quando id eis « videbitur expedire ». Hoc privilegium pontificium in Capuccinorum Congregatione ex parte tantum, nimirum quoad examen, non autem quoad approbationem praedicatorum receptum fuit. Quamobrem antiquissimus in Ordine nostro mos viget, ut ii, qui ad praedicationis munus adspirant, examen subeant coram Definitorio provinciali congregato, quod, petita et obtenta prius a R. P. Ministro Generali ad hoc delegatione, pro illis, quos idoneos judicavit, testimonia (a Provinciali, et singulis Definitoribus subscripta) conficit, quae ad Ministrum Generalem pro obtinenda approbatione mittit.

2. Praedicatores tum quoad scientiam et dexteritatem, tum etiam quoad vitae probitatem examinandi sunt, sicuti egregie Constitutiones nostrae monent. Nam, ait *S. Thomas* (Opusc. 69): « Circa « instructionem populi duo sunt necessaria, scilicet doctrina, et vita « pura, ut doceat populum verbo, et aedificet exemplo. Debet enim « frequenter exponere verba S. Scripturae.... et SS. Patrum exempla, « prout juxta congruitatem viderit expedire, ad cognitionem veritatis, « et per exempla suae conversationis et vitae aedificare auditores... « Non enim sufficit vita bona sine doctrina.... non iterum sufficit « doctrina sine vita. Si enim Sacerdos malae vitae sit, perdet fruc- « tum doctrinae, qui cum ipse talis sit, non habet frontem corripiendi « criminosum. Laici enim de facili corrumpuntur per exempla malae « vitae Sacerdotis, et ex hoc contemnitur verbum... Cujus enim vita « despicitur, restat, ut ejus praedicatio contemnatur... Sic ergo patet, « quod Sacerdos debet utrumque habere, et puritatem vitae, et doc- « trinam, quantumcunque hoc sit difficile. »

3. Examen non est necessarium pro illis, de quorum scientia, pietate, et dexteritate ad praedicandum jam abunde constat (1): id enim jam *S. Bonaventura* et *Barth. Pisanus* adnotarunt, et *Gregorius IX* ac *Innocentius IV* declararunt. Ideo *Politius* ait: « Si « qui vero examinari non indigent, quia in theologica facultate et « praedicationis officio sunt instructi, et probabiliter constat de « ipsorum sufficientia; si aetatis maturitas, et alia, quae requiruntur, « in talibus conveniant, poterunt absque ulla examinatione de Ge- « neralis licentia seu mandato populo praedicare. Pro quo facit, quod « adnotavit Glossa in C. *Nullus* dist. 24, quod ignoti tantum sunt « examinandi ad sacerdotium, licet Jus dicat absolute, quod exami- « nentur ». Adprobatio autem Generalis, ejusdemque licentia ad praedicandum semper requiritur; quia in Regula expresse cuilibet praedicatio interdicitur, qui a Generali non approbatus, et cui ab eodem praedicationis officium concessum non est. Cujus porro ambitus sit haec prohibitio, et quid per *praedicare,* quid per *populum,* quid per *penitus* intelligatur, optime exponit *Politius* dicens: « Constat, quod

(1) Quoad studentes qui cursum compleverunt, in praxi numquam datur dispensatio a formali examine. Hoc valet v. g. quoad Sacerdotes saeculares praesertim maturae aetatis ab Episcopis jam approbatos, qui ad Ordinem nostrum admissi sunt. Talis vero dispensatio a solo Ministro Generali dari potest, ut deducitur ex verbis Politii mox citandis.

« (approbatione et licentia Generalis destitutus) neque in foro, neque « in Ecclesia, neque in altari poterit populo praedicare: vox enim « illa *penitus* omnem modum excludit; *populi* autem nomen hic « omnes extra Ordinem nostrum constitutos complectitur ». — Ex dictis sequentia corollaria deducere licet: 1. possunt Fratres non approbati praedicare coram suis Confratribus, quia isti sub nomine populi non veniunt: 2. « possunt quoque, ait *Politius,* licet prae- « dicatores non sint, verba exhortationis et salutis, tempore et loco « opportuno aliis dicere, et tanquam evangelici homines, et mundi « contemptores in domo, in via, in mensa et ubique bonis aedificare « sermonibus, et ad poenitentiam exhortari; quoniam hoc eis non « interdicitur, sed tantum praedicationis ministerium »: 3. non possunt autem isti publice i. e. coram populo Catechetae munere fungi; nam Capitulum generale anno 1643 ad propositam quaestionem: « an « possint, qui non sunt Concionatores, doctrinam christianam expli- « care adjunctis discursibus cum allegationibus Scripturae et Patrum, « invehendo contra vitia, et ejusmodi moralitates faciendo? an saltem « exempla sacra adducere? Respondit: non possunt ». — Idem de illis etiam dicendum est, qui Missionarios comitantur; nam S. Congregatio Praefecto Missionum Rhaetiae respondit: « Missionarios « Rhaetiae, qui non sunt Concionatores, non posse sermonem habere « ad altare, sed solummodo juxta Cardinalis Bellarmini Catechismum « inter Missarum solemnia populos instruere posse et debere ». Haec autem nonnisi specialis licentia dictae Missioni concessa videtur.

4. Quamvis Fratres approbationem et licentiam praedicandi ab ipso Ministro Generali obtinuerint, in ipso tamen praedicationis exercitio a suis Superioribus localibus dependent, qui, attentis personarum et locorum circumstantiis, ad praedicationem illos deputare tenentur, quos pro tanto munere aptissimos et dignissimos judicaverint. A recto tramite ergo aberrant Fratres, qui amore proprio obcoecati seipsos pro praedicatione aptissimos et dignissimos putant, et si ad hanc non deputentur, magnam sibi injustitiam fieri censent, inquietantur, et obmurmurant. Etiam hoc superbiae et ambitionis genus caute a Religioso fugiendum est, qui judicium suum judicio Superiorum subjicere, et in omnibus obedientiam sectari tenetur. — Eodem modo gravem reprehensionem illi merentur, qui a praedicationis munere se eximere conantur, vel quia nimis timidi sunt et judicia hominum expavescunt; vel quia pigritiae dediti labores abhorrent cum praedicatione conjunctos; vel quia putant, quod vitae mere

contemplativae insistentes Deo melius inserviant. — Sed omnes isti amore proprio decipiuntur. Si enim ex obedientia erga Superiores praedicationis munus suscipiant, et diligentiam suam adhibeant, divinum auxilium certo obtinebunt, et gloriam Dei promovebunt, quam unice quaerere debent, judicia hominum non curantes. Qui ex pigritia seu vitae commodae amore praedicationis labores et aerumnas refugiunt, per exempla Christi, Apostolorum, et aliorum Sanctorum, qui pro gloria Dei et salute animarum diu noctuque laborarunt, et omnia dura sustinuerunt, miserrime confunduntur, et servi pigri, qui talentum in terra abscondit, judicium pertimescere debent. Demum, qui ex amore contemplationis a vita activa declinant, considerent exemplum S. Francisci (§ 151), et verba *S. Gregorii M.*, qui (I. P. Pastor. c. 5) dicit: « Sunt nonnulli, qui magnis muneribus ditati, « dum solius contemplationis studiis inardescunt, parere utilitati « proximorum in praedicatione refugiunt, secretum quietis diligunt, « secessum speculationis petunt. De quo si stricte judicentur, ex « tantis procul dubio rei sunt, quantis venientes ad publicum pro- « desse potuerunt. Qua enim mente is utilitati caeterorum secretum « praeponit suum, quando ipse summi Patris Unigenitus, ut multis « prodesset, de sinu Patris egressus est ad publicum nostrum? » (1).

(1) Ad rem faciunt sequentes Ordinationes novissimi Cap. Gen. LXV, a. 68, 69, 70: — « Sacerdotes, qui Ordinis nostri habitum sumpserunt, triennio vo- « torum simplicium perdurante, sacrum ministerium praedicationis non nisi cum « speciali permissu Ministri Generalis a Provinciali petito et in scriptis obtento « exercere poterunt. Praedicationis vero *Patentes* illis emissa tantum professione « solemni conceduntur. — Juniores Sacerdotes tenentur ad annua examina su- « beunda coram duobus vel tribus examinatoribus per Ministrum Provincialem, « cui examini si possibile ipse in persona intersit, designandis, durante quin- « quennio ab expleto studiorum cursu, exceptis Lectoribus et Superioribus. Ma- « teria examinis universam Theologiam et expositionem Regulae primi et tertii « Ordinis complectatur. — Designatio temporum et locorum praedicationum per- « tinet ad solos Superiores locales, si conciones intra Conventus districtum et « ad P. Provincialem, si extra hunc districtum habendae sunt. Caveant ergo « Concionatores, ne hac in re aliquid concludant cum parochis vel aliis, incon- « sultis Superioribus. »

§ 156.

III. Monita pro Praedicatoribus.

TEXTUS. *Moneo quoque, et exhortor eosdem Fratres, ut in praedicatione, quam faciunt, sint examinata, et casta eorum eloquia, ad utilitatem, et aedificationem populi, annuntiando eis vitia et virtutes, poenam et gloriam, cum brevitate sermonis; quia verbum abbreviatum fecit Dominus super terram.*

S. Pater hic in exiguo verborum nucleo saluberrima Praedicatoribus monita praebet, eisque proponit *modum,* quem observare, *finem,* quem sibi praefigere, *materiam,* quam pertractare, *tempusque,* per quod apostolico muneri insistere debent.

1. Circa *modum* S. Pater vult, ut *examinata, et casta* sint Praedicatorum *eloquia.* Primum exigit, ut Concionator verba e sacro suggestu dicenda probe examinet, atque ideo concionem diligenter componat, ponderet, et ruminet: quam in rem *S. Bonaventura* in haec Regulae verba dicit: « Nullus praedicare debet, nisi sciat ipse « sermonem facere, et sufficienter disponere; et nullus ex improviso « praedicare debet, nisi prius se disposuerit opportune, et sufficienter « studuerit ». *S. Augustinus* ait: « Omne verbum prius veniat ad « limam, quam ad linguam »; et plus exigit *S. Bernardus* dicens: « Antequam verba quis proferat, bis ad limam veniant, quam ad « linguam »: si autem hoc in qualibet locutione observandum est, quanto magis in publica concione? Ipsa sane experientia testatur, quod ii, qui conciones haud scribunt, saepe sine nexu ab una re ad aliam transiliunt, propositiones suas non solide probant, periodos mutilant, superfluas faciunt digressiones, inutilia narrant, eadem saepius repetunt, textus S. Scripturae et SS. Patrum non rite proferunt, vel alios errores committunt. Magni ergo momenti est, ut Praedicatores concionibus suis componendis, scribendis, atque addiscendis diligenter incumbant. — Praedicatoris eloquia etiam *casta* esse debent; id est, remota a quacunque dictione, quae gravitati materiae, et sanctitati tum loci tum muneris adversari

videtur. Vitari ergo omnino debent dictiones omnes, quae aures pudicas offendere, vel etiam innocentibus scandalum parere possent. Procul sint a Concionatore sacro verba scurrilia, nugacia, jocosa, nonnisi risum moventia. Abstinendum quoque ipsi est a sententiis nimis obsoletis et plebeiis, quae sacrum munus inhonorant, et ab ironicis ac satyricis, quae auditores exasperant. Cavendum porro est a fabulis et historiis fictis, quae dedecent cathedram veritatis. Ultimo attendendum est, ne adhibeantur, praecipue dum de dogmatibus fidei agitur, voces novae, in Theologia haud usitatae, quae audientium animos perturbare, vel etiam erroribus ansam praebere possunt. Ipse Paulus discipulo suo circa usum verborum cautelas praescribit, dicens: *Formam habe sanorum verborum* (II. Tim. 2); *et profanas vocum novitates devita* (I. Tim. 6).

2. *Finem* praedicationis S. Pater optime indicavit, dum dixit, sacra eloquia *ad utilitatem et aedificationem populi* proferenda esse. Oportet ergo Concionatorem sacrum nil aliud quaerere, nil aliud desiderare, quam gloriam Dei et salutem animarum. Pessime ergo, et omnino contra S. Patris mentem agunt, qui propriam gloriam quaerentes totum studium suum eo convertunt, ut sublimi et eleganti stylo utentes, pomposam eruditionem jactantes, flosculis, vanisque ornamentis concionem implentes, auditorum aures demulceant, eorumque applausus laudesque aucupent. Hi profecto se, et non Christum praedicare, suam gloriam, et non utilitatem ac aedificationem populi quaerere convincuntur. Quodsi talis ambitio in quolibet Concionatore graviter reprehendenda est, quanto magis in Fratre Minore, qui per externum habitum mundi contemptum praeseferens, et in suggestu mundanae gloriae inhians, turpissime sibi ipse contradicit? — Frater Minor ergo sibi specialiter dictum putet, quod *S. Hieronymus* Nepotiano scripsit: « Docente te in Ecclesia, non « clamor populi, sed gemitus suscitetur; lacrymae auditorum laudes « tuae sint: sermo presbyteri Scripturarum lectione conditus sit. Nolo « te declamatorem esse, et rabulam garrulumque sine ratione, sed « mysteriorum peritum, et Sacramentorum Dei tui eruditissimum. « Verba volvere, et celeritate dicendi apud imperitum vulgus admi- « rationem sui facere, indoctorum hominum est ». — « Fratres Mi- « nores, ait *S. Bonaventura,* tales esse debent, ut cum Apostolo di- « cere possint: *Non sumus sicut plurimi adulterantes verbum Dei,* « *sed ex sinceritate sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loquimur* « (II. Cor. 2); i. e. *ex Deo* contra falsitatem, *coram Deo* per ma-

« turitatem, *in Christo* per puritatem intentionis », qua nimirum sicut Christus nil nisi gloriam Patris et salutem animarum quaeritamus. Qui ex alio fine praedicat, et ex divino hoc munere vel lucrum temporale, vel vanam gloriam ambit, juxta *S. Gregorium M.*, « non prolem, sed voluptatem quaerit; male igitur verbo Dei abu« titur, et ab Apostolo illud *adulterare* dicitur ». — Rectae intentionis puritate illi quoque se privos ostendunt, qui pulpita insignia ambiunt, et in locis ignobilioribus praedicare recusant. « Haec am« bitio, ait *S. Carolus*, oratoribus gentilibus quondam propria, longe « remota esse debet ab oratore christiano, qui ad praedicandum Chri« stum crucifixum, et non ad ostentandum suum ingenium vocatur: « Christum potius imitari oportet, qui ad erudiendum genus hu« manum a Patre coelesti missus castella, vicos, et pagos percurrere « non est dedignatus. » — Pejoris ambitionis rei censendi sunt illi qui, ut se, suumve Ordinem exaltent, alios denigrare non verentur, aut saltem eorumdem honorem et gloriam obscurare tentant. Ecclesia ipsa tali inordinationi viam praecludere conata est; nam, ait Politius (in c. 9, n. 15), « in Canonibus sub interminatione aeternae « maledictionis Religiosis inhibetur, ne in sermonibus suis praelatis « Ecclesiarum detrahant, neve retrahant Laicos ab accessu et fre« quentia suarum Ecclesiarum. Item *Martinus V* inhibuit, ne Fra« tres praedicare audeant contra libertatem sanctae Ecclesiae, vel « scandalum contra Clerum, vel Religionem aliquam excitare, aut « personam aliquam criminaliter nominare ». Haec enim omnia non ad utilitatem et aedificationem populi, sed potius ad destructionem pacis et moralitatis tendunt.

3. *Materiam* in concionibus pertractandam S. Pater quatuor verbis proponit, in quibus omnia e sacro suggestu dicenda continentur. Vult enim, ut hominibus annuntient *vitia* et *virtutes, poenam* et *gloriam:* in his utique comprehenduntur omnia, quae vitanda et agenda, timenda et speranda sunt; seu in his moralitatis tum officia, tum motiva assignantur. Neque putandum est, juxta S. Patris mentem veritates fidei theoreticas, seu Religionis dogmata pertractanda non esse: inter virtutes enim hominibus commendandas etiam fides continetur, quae praecipit, ut firmiter credantur, et probe cognoscantur, quae nobis a Deo revelata sunt. Non alia autem materia e sacro suggestu proponenda est, quam talis, quae homines circa moralitatem et pietatem instruat, vel ad eam sectandam moveat. Sapientissime ideo Constitutiones nostrae Praedicatoribus prae-

cipiunt, ut non proponant res ineptas, novitates, poesias, inutiles quaestiones, superfluas opiniones, curiosas doctrinas, aut subtilitates communem capacitatem excedentes. Notari hic merentur, quae juxta decreta ecclesiastica in sacris concionibus proferre non licet. Concilium *Lateranense V* sub *Leone X* praedicatorem ipso facto in tribus casibus suspensum declarat; nimirum: 1. si praedicat miracula falsa, aut incerta; 2. si praedicat prophetias, quae in S. Scriptura fundamentum non habent, aut a Sede Apostolica non sunt approbatae, aut saltem ab Ordinario ad hoc trium aut quatuor virorum eruditorum examine adhibito, si tempus ad dictam Sedem accedere non permiserit; 3. si praedicat de Episcopis, vel de suis Praelatis. — Ex Concilio Tridentino Sess. 5, de Ref. cap. 2, sunt alii tres casus, in quibus Regularis ab Episcopo tanquam Sedis apostolicae Delegato suspendi potest, licet de facto non sit suspensus; scilicet: 1. si praedicat propositiones erroneas, 2. si praedicat propositiones scandalosas, 3. si praedicat propositiones haereticas.

4. Circa *tempus* quoque, per quod praedicationi insistendum est, S. Pater cautelam praescribit, animadvertens, concionandum esse *cum brevitate sermonis.* « Haec brevitas, ait *S. Bonaventura,* « excludit verborum ambages, et sententias involutas, verba etiam « ardua supra capacitatem audientium. Hoc patet per illud, quod « sequitur: *quia verbum abbreviatum fecit Dominus super terram.* « Ista enim abbreviatio non excludit, cum expedit, sermonis pro- « lixitatem; quia Dominus aliqua prolixe praedicavit, sicut patet « Matth. 5, et Jo. 13, etc. » Etiam *Corduba* per brevitatem sermonis intelligit praecisionem omnis superfluitatis. Superfluum vero, uti observat *Philippus a Cast.,* in concione id dici debet, quod nec ad explicationem, nec ad probationem, nec ad motionem confert, et quod, cum extra rhombum dicatur, nec delectare potest. Contra normam ergo a S. Patre propositam agunt, qui in exordio varia disserunt, quae nullo modo conferunt ad auditores pro themate proponendo praeparandos, aut qui in ipsa concione ad alias materias saltant, aut qui res omnino certas et evidentes variis argumentorum ponderibus probare student, etc. etc. Sed brevitas sermonis etiam ita intelligi potest et debet, quod praedicator eloquium suum non extra terminos discreti temporis extendat. Ideo *S. Bonaventura* addit: « Ad litteram etiam studendum est brevitati, quia prolixitas gene- « rando fastidium auditores retrahit saepius ab auditu ». Hoc idem monet *S. Gregorius M.,* qui (in Ezech.) ait: « Si ei, qui multa ferre

« non valet, verbum exhortationis longius trahimus, auditorem no-« strum ad fastidium ducimus »; et *S. Augustinus* dicit: « Fre-« quenter in longum protractus sermo caret intelligentia ». Duratio concionis ordinariae non minor sit dimidia hora, nec longior tribus quadrantibus: conciones extraordinariae ad horam protrahi possunt.

ARTICULUS II.

§ 157.

De audiendis Saecularium Confessionibus.

Cum munere Praedicatoris intime connexum est munus Confessarii, ita ut unum sine altero non sufficiat ad peccatorum conversionem, et ad salutem animarum promovendam. Quamvis igitur in Regula de audiendis Saecularium confessionibus sermo non instituatur, dubitari tamen non potest, S. Patrem voluisse, ut Fratres illis, quos praedicando commovent, si rogati fuerint, etiam Poenitentiae Sacramentum administrent. Ideo *S. Bonaventura* (Opusc. *Quare Fr. Minores praedicent* etc.) dicit: « Cum ex Regula nostra « etiam injunctum habeamus praedicationis officium, ne fructus prae-« dicationis inanis sit, possumus ex privilegio apostolico, ubi prae-« dicamus, etiam confessiones requirentium tunc audire ». Ejusdem sententiae fuit *Benedictus XI,* qui (Extrav. com. de Privil. *Inter cunctas*) ait: « Quia multoties propositum verbum Dei audientem a « peccato non retrahit, idcirco post praedicationem necessarium est « Poenitentiae Sacramentum ». Hac de causa tum hic, tum alii Summi Pontifices Fratribus Minoribus facultatem Saecularium confessiones excipiendi cum multis privilegiis concesserunt. — Non defuerunt quidem jam in primis Ordinis Seraphici temporibus, qui Fratres Minores reprehenderent, eo quod praedicarent et confessiones exciperent, quamvis proprias oves inter homines saeculares non haberent. Sed *S. Bonaventura* (in cit. opusc.) illos defendit, et inter alia dicit: « Quod quandoque Religiosi ad salvandos fideles in Ecclesia essent « vocandi, ostenditur in Evangelio Lucae (cap. 5), cum Dominus « dixit Petro: *Duc in altum, et laxate retia vestra in capturam....* « *Et cum hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copio-*

« *sam: rumpebatur autem rete eorum: et annuerunt sociis, qui* « *erant in alia navi, ut venirent, et adjuvarent eos: et venerunt,* « *et impleverunt ambas naviculas.* Mare est saeculum: navicula « Petri est Ecclesia fidelium populorum: rete est evangelica doctrina. « Per jussum Domini tot piscium multitudo concluditur, quod rete « rumpitur; quia tot ad fidem veniunt, quod eam etiam haeresibus « scindunt. Sed cum Petrus cum suis trahere non valet, annuerunt « sociis in alia navi, ut venirent, et adjuvarent eos; quia Praelati « Ecclesiae cum Clero, non sufficientes per se tantam plebium mul- « titudinem trahere ad littus vitae perpetuae, annuerunt (admittendo) « sociis religiosis, scilicet Jacobo et Joanni, activis et contemplativis, « ut venirent compatiendo animarum periculis, et adjuvarent eos, « tam illos, qui trahunt, quam illos, qui trahuntur, illorum insuffi- « cientiam, istorum indigentiam revelando. Ambas autem naviculas « implent, cum prae multitudine populi, nec Clerici, nec Religiosi « plene sufficiunt omnibus satisfacere ». — Ex his concludit S. Doctor: « Cum ergo ex apostolicae Sedis missione, et Episcoporum benevo- « lentia, praedicationis et confessionis opera subditis eorum impen- « dimus, eos ex auctoritate et charitate eorum absolvimus; et non « decipimus eos, sed juvamus; et in illis non fit praejudicium Ple- « banis (Parochis), sed beneficium, dum pro eis laboramus, et ad « obedientiam debitam eorum subditos exhortamur. Nam si Plebanus « potest alteri vicem suam committere, multo fortius potest hoc Papa, « et Episcopi, qui pleniorem habent in omnes sibi commissos sine « differentia potestatem. Et sicut ex charitate, non ex necessitate « impendimus fidelibus spiritualia subsidia docendo, et orando, et a « peccatis in confessione absolvendo; ita ipsi non ex debito coactionis, « sed ex libertate charitatis ministrant nobis corporalis necessitatis « subsidium, cum Dominus ordinaverit his, qui Evangelium nunciant, « de Evangelio vivere » (I. Cor. 9, 14). Equidem Constitutiones nostrae (cap. 7) personarum saecularium Confessiones excipere vetant; simul autem monent, decreta pontificia observanda esse. Sed Romani Pontifices, quibus a S. Patre ipsa Regula subjecta fuit, et qui eo magis Constitutiones mutandi jus habent, hac ex parte Constitutionibus nostris derogarunt, ordinantes, ut Fratres Minores Capuccini non solum in missionibus, sed et in propriis Ecclesiis Confessiones Saecularium excipiant, ut sic Saecularibus promptior Sacramenta suscipiendi occasio suppeditetur, eorumdem frequentatio augeatur, et sic gloria Dei, et salus animarum promoveatur. Talia decreverunt

Clemens VIII (C. *Alias felicis recordat.*) et *Clemens XII* (C. *Dudum emanarunt*) et alii. — Capuccini ergo, si ab Episcopis fuerint approbati, et a Superioribus suis deputati, non solum possunt, sed etiam debent pro personis saecularibus Sacramentum Poenitentiae administrare. In tam sancto munere autem, ne vel per defectum, vel per excessum aberrent, seu ne vel culpabiliter negligentes existant, vel per inordinatum zelum abripiantur, charitas ipsis maxime necessaria est. Nam 1. *charitas in Confessariis sanctum animarum zelum excitare,* et 2. *charitas Confessariorum zelum moderari, seu intra debitos limites continere debet.* Haec duo consideratione quadam digna sunt: reliqua, quae ad legitimam Poenitentiae Sacramenti administrationem pertinent, in Theologia morali et pastorali traduntur.

§ 158.

I. De Confessariorum zelo a charitate excitando.

Si Apostolus in genere dicit: *omnia vestra in charitate fiant* (I. Cor. 16, 15), id praecipue de muneribus spiritualibus intelligi debet, quae, quo excellentiora sunt, eo magis requirunt, ut a charitate procedant, et in charitate perficiantur. Maxime in Sacramenti Poenitentiae administratione allatum S. Pauli monitum observandum est; Confessarius enim *a charitate erga Deum, erga proximum,* et *erga seipsum* impelli debet, ut officio suo cum magno zelo, et indefessa assiduitate incumbat.

1. Charitas erga Deum exigit, ut ejus honorem et gloriam omnibus viribus promovere, atque ideo offensas divinas impedire, ad virtutes vero et ad opera Deo placentia homines perducere studeamus. Id autem efficacissimo modo in Tribunali Poenitentiae fieri posse, tum SS. Doctores testantur, tum ipsa experientia commonstrat. Quis ergo sacerdotali dignitate insignitus, et ad confessiones Fidelium deputatus sibi persuadere poterit, se Deum debito amore prosequi, si de officio suo rite adimplendo parum sollicitus efficacissimum medium negligit ad Dei gloriam promovendam? — Christus pro infinito suo erga Patrem amore nullis laboribus aerumnisque pepercit, ut homines a peccatorum vinculis solutos in viam justitiae et salutis

dirigeret. Ideo circuibat Galilaeam et Judaeam, *praedicans Evangelium regni* (Matth. 4); discipulos etiam de nocte instruxit, peccatores benignissime recepit ac convertit; et ut eximium suum pro gloria Patris, et salute animarum zelum ostenderet, in conversione mulieris Samaritanae dixit: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus* (Jo. 4, 34). Omni jure ergo Christus se bonum pastorem nominavit, *qui animam suam dat pro ovibus suis* (Jo. 10); et alibi (Luc. 15) se comparat pastori, qui amissam ovem sedulo quaerit, et de inventa summopere gaudet. Quale exemplum, et quale motivum pro Confessariis conversioni peccatorum et saluti animarum maximo zelo incumbendi! — Certe illi Christum parum amare convincuntur, qui non pro viribus laborant, ut amissas ad ipsum oves reducant. Ideo *S. Gregorius M.* in verba Christi: *Si diligis me, pasce oves meas* (Jo. 21), ait: « Si ergo « dilectionis est testimonium cura pastionis, quisquis virtutibus pol« lens gregem Dei renuit pascere, Pastorem summum convincitur « non amare » (Past. l. 1, c. 5).

2. Charitas proximi, quae nobis in Evangelio maxime commendatur, efficax esse et opere exerceri debet. *Filioli mei!* exclamat S. Joannes, *non diligamus verbo, neque lingua, sed opere et veritate* (I. Jo. 3, 18). Opus ergo omnino est, ut proximo in necessitatibus corporis et animae subveniamus, atque ejus temporale, ac multo magis spirituale bonum promovere studeamus. Hoc vero praecipue per dignam Sacramenti Poenitentiae administrationem fieri potest. Nam Tribunal Poenitentiae merito ille locus dicitur, in quo a Confessariis, debito zelo animatis, praestantissima maximeque meritoria charitatis opera exercentur. Si enim redimendo captivum, visitando infirmum, vel vestiendo nudum, egregii misericordiae temporalis actus perficiuntur; quanto praestantiora misericordiae opera ponuntur, dum zelantis Confessarii ope anima immortalis ex daemonis captivitate liberatur, ab infirmitatibus spiritualibus sanatur, pretiosa gratiae sanctificantis veste, et virtutibus decoratur? — Praeterea Tribunal Poenitentiae actuum misericordiae spiritualis continuum exercitium requirit: quoties enim in illo oportet docere ignorantem, consulere dubitanti, consolari moestum, corrigere errantem, tolerare onerosum, etc. etc. Motiva ergo fortissima, quae cuilibet Christiano charitatem fraternam commendant, Confessarium quoque impellere debent, ut officio suo cum omni diligentia incumbat. — Quomodo enim de illo, qui tot occasiones opera misericordiae exercendi, et sa-

lutem animarum promovendi leviter negligit, dici potest, quod proximum suum diligat juxta praeceptum et exemplum Christi dicentis: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*? (Jo. 13).

3. Nonnulli putant, Sacramenti Poenitentiae administrationem declinandam esse ob pericula errandi, conscientiam laedendi, et propriam animam perdendi. Sed errant, qui ita sentiunt. Nam si Confessarius necessariam scientiam sibi comparat, et cum recta voluntate ad Tribunal Confessionis accedit, paratus officia sua rite adimplere, auxilium divinum certo exspectare potest, ut cum magno animarum fructu munus suum exequatur; nam ait *S. Augustinus:* « facienti « quod est in se, Deus non denegat gratiam ». Quodsi Confessarius inadvertenter errorem committit, a peccato tamen immunis erit. Plenum quoque solatio pro Sacramenti Poenitentiae Ministris est dictum S. Jacobi: *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viae suae, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum* (Jac. 5, 20). Omni profecto jure Confessarius in officio diligens, atque ideo praestantissima charitatis opera exercens, benignum judicium exspectare potest; cum econtra, si officium suum negligit, omnino timere debeat, ne illis adnumeretur, quibus dicitur: *nudus eram, et non cooperuistis me; infirmus, et in carcere, et non visitastis me* (Matth. 25, 44). Confessarius ergo etiam per charitatem erga se incitari debet, ut in Sacramenti Poenitentiae administratione indefessum se ostendat, et obligationes cum illa conjunctas fideliter adimpleat.

§ 159.

II. De Confessariorum zelo a charitate intra debitos limites continendo.

Qui ad gloriam Dei, et salutem animarum promovendam, se ad excipiendas confessiones quovis tempore promptum ostendit, magna diligentia, mansuetudine et patientia huic sacro muneri incumbit, et de multiplicatis misericordiae spiritualis actus exercendi occasionibus gaudet, non jam reprehendi, sed potius laudari meretur. Tunc tantum zelus a recto tramite deviat, per excessum peccat, et spurius redditur, si Confessarius, ut non sat puris cordis sui desideriis sa-

tisfaciat, inordinato modo procedit, ita ut vel *infidelis erga Deum*, vel *iniquus erga proximum*, vel *impius erga semetipsum* constituatur. Eadem ergo triplex charitas, quae laudabilem zelum excitat, eumdem moderari et intra debitos limites continere debet.

1. Principalis Confessarii finis nullus alius esse debet, nisi ut homines a peccatis retrahat, ad virtutis studium excitet, atque sic gloriam Dei promoveat. Ab hoc autem fine recedit, et tanquam infidelem erga Deum Ministrum se ostendit Confessarius ille, qui ex timore poenitentes offendendi et a se repellendi, eosdem circa graviores defectus debito modo examinare, aut serio corrigere negligit; vel qui, ut benigni Confessarii nomen acquirat, et magnum poenitentium numerum attrahat, laxiora principia consecutus contra regulas a Theologis praescriptas, occasionarios, consuetudinarios, recidivos, etc., levi animo absolvit. Talis zelus spurius omnem detestationem meretur, quia non ex charitate, sed ex stupiditate, vel ambitione procedit; et non ad gloriam Dei et animarum salutem tendit, sed Deum offendit, et animas perdit. Confessarius ergo tali erga Deum charitate animatus sit, oportet, ut gloriam Dei omni respectui humano, omnique proprio commodo longe praeponat, et etiam ad exemplum Apostolorum paratus sit, pro nomine Jesu contumeliam pati (Act. 5).

2. Natura corrupta, nisi strenue oppugnetur, in hominibus superbiam, seu nimiam sui ipsius aestimationem, aliorum despectum, inanis gloriae cupidinem, invidiam, aliasque inordinatas passiones producere solet. Etiam Confessarii haud semper ab istis naturae depravatae motibus immunes sunt: unde contingit, ut a charitate fraterna recedant, et iniqui erga proximos suos, i. e. erga illos fiant, quibuscum in eadem vinea Domini laborant. Certe enim charitatem fraternam Confessarius laedit, qui semetipsum tanquam maxime idoneum animarum directorem reputans, alios despicit, et horum praxin ex eo tantum, quia ipsius principiis apprime consentanea non est, ineptam, absonam, reprobandam judicat. Majori iniquitate reus fit Confessarius, qui alium cernens magna hominum confidentia gaudentem, et poenitentium multitudine stipatum, animo inquietatur, et misera zelotypia cruciatur; atque hac iniqua passione adactus de illo obloquitur, defectus ipsius sive veros sive falsos in vulgus spargit, aut eumdem aliis modis vexare et persequi non veretur. — Ne Confessarii in tam gravem inordinationem prolabantur, vera charitate animati esse debent, quae, ut Apostolus dicit (I. Cor. 13, 4 etc.),

non aemulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quaerit, quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet — etiam aliorum infirmitates et defectus, a quibus nullus liber est.

3. Impius erga semetipsum profecto dicendus est, qui in Sacramenti Poenitentiae administratione se, prout jam dictum est, vel infidelem erga Deum, vel iniquum erga proximum ostendit, atque ideo, dum salutem aliorum promovere nititur, propriam perdit. Sed dantur etiam alii modi, quibus Confessarius a recte ordinata erga se charitate recedit. Quamvis enim omnia officia sua rite adimplere conetur, attamen si intentionem suam non debito modo ad Deum dirigit, sed vanam gloriam, aut lucrum temporale quaerit, seipsum lucro spirituali et meritis pro aeternitate privat. Imprudentiae quoque notam facile Confessarius incurrit, qui ambitionem quamdam manifestat, de negata sibi confidentia lamentatur, et confitentibus se intempestive offert, quamvis sufficiens aliorum Confessariorum copia adsit. Quaeri enim Confessarius debet, non quaerere. Ideo S. Franciscus, ut discipulos suos ad pacem cum reliquo Clero conservandam excitaret, dixit: « Si vos vere humiles viderint, et omnino ab ava-« ritia alienos judicaverint Ecclesiarum Praelati.... ipsi vos rogabunt, « ut saluti populi provideatis, et omnium confessiones audiatis, licet « vos de hoc parum curare desiderem. Nam qui ad Dominum con-« vertuntur, et sua piacula deplorant, multos invenient, quibus « sua peccata revelent ». Reprehendi etiam Confessarius meretur, qui nimis frequenti et familiari cum alterius sexus poenitentibus, praecipue junioribus, conversatione aut animam aut saltem famam propriam periculo exponit. A culpa etiam immunis non est, qui ut loquacibus aut scrupulosis femellis satisfaciat, vanas et longas garrulitates, sive inutiles imo noxias Confessionum generalium repetitiones permittens, pretiosum tempus terit, quod melius impendere posset et deberet. Necesse enim omnino est, ut Confessarius ante omnia seipsum continuo perficere studeat, atque ideo orationi, praecipue mentali, lectioni spirituali, studioque incumbat; quia alias cum debito spiritu, et fructu in vinea Domini laborare non poterit.

ARTICULUS III.

§ 160.

De Studiis.

In Ordine seraphico Clerici, et Laici distinguuntur. Illi dignitate sacerdotali decorantur, et tum ad verbi divini praedicationem, tum ad Sacramenti Poenitentiae administrationem deputantur; atque ideo scientiarum, praecipue theologicarum studio diligenter incumbere debent. Non abs re igitur est, ut hic ostendatur 1. *quanta sit pro Fratribus Minoribus Studiorum necessitas,* et 2. *quaenam sint praecipua requisita ad Studia recte instituenda.*

§ 161.

I. De Studiorum necessitate.

Quamvis S. Regula de Studiis verba non faciat, nihilominus illa saltem indirecte ut necessaria declarat, dum Fratribus sacram praedicationem commendat, sicuti jam *S. Bonaventura* observavit. Constitutiones autem nostrae studiorum necessitatem clare manifestant, dum septem annos praescribunt, per quos a Clericis tum philosophicarum, tum theologicarum scientiarum studio cum omni diligentia incumbendum sit. Facile etiam est ostendere, quantae necessitatis sint studia, sine quibus nec *boni Religiosi,* nec *digni Sacerdotes,* nec *utiles Praedicatores,* nec *proficui Confessarii,* nec *idonei Praelati* in Ordine invenientur.

1. Sicut ignorantia errorum, defectuum, et peccatorum foecunda mater est: ita scientia, quae veritatum credendarum, et officiorum adimplendorum cognitionem promovet, ad spiritualem religiosae vitae profectum plurimum confert. Ideo *S. Bonaventura* (quaest. 3. in Reg.) ait: « Scientia non solum utilis est ad aliorum eruditionem, sed « etiam ad propriam instructionem; ut servus Dei sciat seipsum bene « regere, virtutes a vitiis secernere, et notitiam Dei, et futurorum

« praemiorum clarius intelligere, et in omnibus cautius et fructuosius « conversari ». Et *S. Augustinus* (l. 12 de Trin. c. 14) inquit: « Sine « scientia nec virtutes ipsae, quibus recte vivitur, possunt haberi, « per quas haec vita misera sic gubernetur, ut ad illam, quae vere « beata est perveniatur aeternam ». Ex his jam colligi potest, quam necessaria scientia dicenda sit ad vitam Religiosi recte ordinandam. — Sed etiam ex alia ratione ostendi potest, quam necessarium sit studium scientiarum, ut bene ordinata inter Religiosos disciplina conservetur. Egregie id probat *Mabillonius* in cel. Tractatu de Studiis monasticis (P. 1, c. 2), ubi inter alia dicit: « Quomodo fieri « potest, ut diu quis maneat in cella reclusus, vitamque solitariam « penitus degat, nec non silentium servet absque ullo studiorum « subsidio? — Orationi vel contemplationi jugiter vacare specialis- « simum Dei munus est, quod proinde non omnibus conceditur. Quin « imo oratio ipsa aut contemplatio piis identidem cogitationibus, ut « possit enutriri, devotisque affectionibus, quas lectio parit, indiget « sustentari. Sunt enim haec, inquit *Tertullianus* (l. 2 de uxor.), fo- « menta fidei de Scripturarum interlectione. Hoc sublato adminiculo « orationem arescere, languēre ac taedēre, silentium ac solitudinem « pene intolerabilia reddi contingit; et hinc postmodum fit, ut ea « plerumque a Monacho quaerantur exterius oblectamenta, quae vel « ex vanis occupationibus, vel ex materialibus objectis hauriuntur, « cum spiritualibus interius privetur, quae Deus iis tantum elargitur, « qui ad seipsum in cunctis operibus intueantur... Ubi primum in « Coenobiis studia elanguerunt, omnis quoque disciplinae regularis « honestas ad nihilum redacta est, rerumque temporalium cura illico « subsecuta, cum mundo et vanitatibus ejus initum est stricto foe- « dere consortium, ex quo subinde prodiit totius monasticae perfec- « tionis desolatio. » — Quae hic praeclarus auctor potissimum de Benedictinis scripsit, potiori jure Ordini nostro applicanda esse, as- serit *Viator a Coc.* (Adp. de studiis, c. 2, n. 3). « Nam, ait, accedit, « Religionem nostram alumnos suos (Clericos) ad laborem (manualem) « nonnisi contingenter obligare, utpote cum labori manuum laborem « mentis utilius substituerit; labor mechanicus, methodicus, et quoti- « dianus a Religione omnibus non indicitur. — Consequenter si « studia desint, nec manuale exercitium praesto sit, celebratis di- « vinis officiis otiari opus erit, et in otio et gerris pudibunde mar- « cescere. Sed licet plane commercium cum saeculo interdicatur (quod « sane Religioni pauperi, et vitae mixtae addictae est impossibile),

« pericula solitudinis non evitantur, si mens in studiis proficuis dies « suos non impendat. Moeror, taedium, ignavia, ignorantia, caete- « raeque passiones spiritum occupabunt, ac demum per mortem spi- « ritualem eumdem sensim interiment. Sola studia, quae proficua « sint, mentem elevabunt, ne de vitiis cogitet, et voluntatem allicient, « ut ad virtutem semper aspiret. Atque hinc demum fiet, Religiosos « studiis addictos, sive in claustro sive extra claustrum ad tempus « detineantur, ferre animos virtute refertos, ut sciant semper reprobare « malum et eligere bonum, et caeteris verbo et exemplo praelucere. »

2. Dignitatem sacerdotalem sacrarum scientiarum studium exigere, ex ipsa S. Scriptura patet. Nam Malach. 2, 6, dicitur: *Labia Sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est;* et Ose. 4, 6, Deus ipse dicit: *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.* Quamobrem *S. Chrysostomus* (Hom. 38, in Matth.) dicit: « Sicut cor sapientiae locus est, ita et Sacerdotes sunt receptacula « Sapientiae spiritualis ». Varii etiam in Conciliis confecti sunt canones, quibus Sacerdotes ad sacrarum scientiarum studium obligantur, eorumque ignorantia damnatur. Neque Sacerdoti ignaro suffragium praestat effugium illum se ad praedicandum non esse destinatum (1): siquidem sola Sacerdotalis dignitas scientiarum ornatu carere non debet, licet nullo ministerio relativo praedita sit; et vituperabile in eo vitium foret, in ignorantia, cum discere possit, pudibunde et culpabiliter jacere. « Quid, quaeso, miserabilius Sacerdote indocto, di- « cebat *Trithemius* (Ep. 3, relat. in cap. *Nulli*), qui licet nullum « praedicationis officium habeat, ratione tamen suscepti Ordinis ad « scientiam obligatur Scripturarum? » — Non se ipsum tantum, sed et statum sacerdotalem in facie mundi contemptui exponit. *Viator a Coc.* (l. c. cap. 5) his addere non dubitat, « ignorantiam in Sa- « cerdote esse quoddam sacrilegii genus, per quod Divina profanan- « tur dictim, in liturgiis, in legum Dei, et Ecclesiae, et Religionis « transgressionibus ».

3. Necessitas Studiorum in Ordine nostro praecipue ex injuncto nobis praedicationis munere petenda est. Ut isto rite fungamur, Clericis septenne studium a Constitutionibus praescribitur. « Calcaria,

(1) Omnes Sacerdotes debent pro viribus habiles fieri, et sub dependentia Superiorum panem veritatis distribuere nisi actu impediantur physice vel moraliter. Sacerdotes vero impediti, quia ex. gr. ex incurabili defectu organico vocis, conciones habere nequeunt, non ideo possunt studia negligere.

« inquit *Viator a Cocal.* (l. c. cap. 8), nobis esse debent Ponti-« ficiae dignationes, cum suggestum in Aula Apostolica Religioni Ca-« puccinae deputarunt, tantumque munus praeconiis non vulgaribus « erga eamdem prosecutae fuerunt. » Nam *Benedictus XIV* in pontificia sua concessione (per Breve *Inclytum* etc., anno 1743) inter alia dicit: « Religio Capuccinorum omnia meretur, cum sit unicum « exemplar, quod hodiedum de perfectione evangelica remanet. Abun-« dat illustribus Concionatoribus, et melius in ore Capuccini, quam « cujuscunque alterius sonant veritates, quae ex pulpito Papae, Cardi-« nalibus, et Praelatis annuntiari debent » (v. Bullar. tom. 7, p. 356). Ut autem Capuccini se tali encomio semper dignos reddant, omnino opus est, ut studiis diligentissime incumbant. Ut enim quis utilis Praedicator fiat, magno scientiarum apparatu opus est, prout egregie ostendit *Cajetanus M. a Berg.* (Hom. apost. in pulp. cap. 8). — Necessaria enim ipsi est Philosophia, praecipue Logica, sine qua ipsius conciones debito ordine, et requisita claritate ac soliditate carebunt. Necessaria ipsi pariter est clara, completa et solida Theologiae dogmaticae et moralis cognitio, ut tum veritates fidei, tum officia moralia auditoribus debito modo proponere possit. Opus quoque est, ut ipse in S. Bibliis, et SS. Patribus bene versatus sit: oratorem enim christianum ex divinis hisce fontibus ea haurire decet, quae orationi dignitatem, venustatem, et soliditatem conciliant. His pariter addi debet studium historiae, cujus necessitatem ipse *Quintilianus* (in Orat. l. 12, c. 4) agnoverat: quale autem foedus historia habeat cum Theologia, ostendit *Melchior Canus* (de loc. theol. l. 2, c. 2) et ait, « Theologorum quemquam historiae ignarum, Theologi nomine immerito gloriari ». Pro Concionatoribus magni etiam momenti est sacrae eloquentiae studium. Verum equidem est, tum Apostolos, tum alios Sanctos sine rethoricae artis regulis per simplicem praedicationem suam uberrimos fructus retulisse; sed id tum miraculis ab iisdem patratis, tum extraordinariis, quibus pollebant, Spiritus S. gratiis adscribendum est. Sed haec dona extraordinaria non omnibus praesto sunt, atque ideo ad media quoque naturalia, id est, ad bene ordinatam eloquentiam confugere oportet. Egregie id probat cordatus Auctor, quem citat *Viator a Coc.;* ac demum concludit, « quemlibet Concionatorem miraculorum gratia mi-« nime insignitum omni conatu satagere debere, ut officio suo elo-« quentiae vi, atque elegantia perfungi possit, ne Verbi Dei semina « ex auditorum taedio in vacuum projiciantur ». Asserta sua munit

auctoritate *S. Gregorii Naz.*, qui eloquentiae propriae rationem suis aemulis reddere curat his verbis: « Simplicitatem Piscatorum « evangelicorum ipse quoque, mihi credite, complexus essem, ut pi- « scator, si sermonis et doctrinae loco signorum vim haberem ». Quamvis ergo certissimum sit ipsius concionatoris fervidam orationem, et bonum exemplum ante omnia requiri, et ad uberem praedicationis fructum plurimum conferre; attamen illi s. eloquentiae regulas negligere non licet. — Verum eloquentiae studium eo tendere debet, non tam ut pulchre, quam potius ut utiliter dicatur. Rejicienda omnino est eloquentia illa, quae flosculis tantum inhiat, et vano sermonis ornatu auditorum aures titillat, quin eorum intellectum instruat, aut cor moveat. Talem eloquentiam SS. Patres graviter reprehendunt. *S. Gregorius Naz.* (Or. 36) ait: « Sermonis ornatus, et elegantia « crucis evacuatio existit »; *S. Ambrosius* (in Ps. 118) inquit: « Quod luxuriat in flore sermonis, tenuatur et hebetatur in fructu »; *Hieronymus* (Ep. 2. ad Nep.) scribit: « Multo melius est e duobus « imperfectis rusticitatem sanctam habere, quam eloquentiam pec- « catricem; hanc sequi est Religionem nostram paganam facere ». — S. eloquentiae studium eo dirigendum est, ut praedicationis finis obtineatur, qui alius non est, quam ut auditores circa veritates fidei instruantur et convincantur, atque ad peccati fugam et virtutis studium moveantur. Ad hunc autem finem facilius obtinendum, concionatori etiam auditorum delectationi intendere licet. Talem verae eloquentiae ideam SS. Patres proponunt. *S. Augustinus* (l. 4 de doctr. chr. c. 12) ait: « Oportet eloquentem Ecclesiasticum, quando suadet ali- « quod, quod agendum est, non solum docere ut instruat, et delec- « tare ut teneat (attentum auditorem), verum etiam flectere ut vin- « cat ». Et *S. Chrysostomus*, optimum verae christianae eloquentiae exemplar, in verba Apostoli (II. Tim. 4): *Praedica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia, et doctrina*, — « quodlibet horum desit, ait, alterum inutile fiet; « nam si absque argumentis increpes, temerarius videberis, et nullus « te perferet. Ubi vero praecessit probatio, tunc et increpationem fa- « cile suscipit; alioquin impudens fiet. Quod si arguas vehementer « et increpes, obsecrationemque subducas, rursus omnia perdis; quippe « reprehensio per se intolerabilis est, nisi admixtam habeat consola- « tionem » (ap. Habert. t. 7, p. 1, de Ordin., f. m. 93).

4. Confessarii, ut gravissimo suo officio rite fungantur, Theologiae moralis et pastoralis studio assidue incumbere debent. Quanta

enim scientia in Confessario requiratur, egregie proponit *S. Carolus*, de eodem dicens: « Opus est, ut is tum scientiam atque eruditionem, « tum prudentiam studeat sibi quantum potest comparare, — tum « ex divina gratia, quam assidua precatione supplex a Deo petat, « tum ex Auctoribus probatis, qui eam materiam pie, planeque trac- « tarunt. In primis bene cognita habeat, quae monitis seu instruc- « tionibus in hac Ecclesia editis ad Confessariorum usum continentur. « Sacramenti igitur hujus doctrinam omnem recte nosse studebit, « ita ut, quae illius ratio, qui effectus, quae illius partes, quae « harum partium vis et natura pariter intelligat. Quae peccata « mortalia, et quae venialia cognoscat; peccati circumstantias sciat, « quae praesertim mutant speciem peccati, et quae in confessione « explicandae sunt, quae restituendi onus inducant. Censurarum ra- « tionem et vim recte intelliget, et quibus criminibus annexae illae « sint. Casus reservatos in promptu habebit, ita ut recte sciat, qui « jure Canonum Summo Pontifici, qui rursus Episcopo, qui praeterea « in Bulla Coenae, quique pro varietate temporum Episcopo reser- « vati sint. Differentiam satisfactionum poenitentialium etiam probe « noscet, ac praeterea Canones poenitentiales ordine Decalogi expli- « citos. Memoria tenebit casus, quibus confessio sit iteranda. Co- « gnitum etiam habere Confessarius omnis debet, ac praeterea ani- « madvertere, antequam ad audiendas Confessiones accedat, quanta « sit auctoritas, potestasque jurisdictionis suae, ita ut cum norit, et « quos, et a quibus peccatis, censurisque absolvere possit, tum etiam « caveat, ne facultatis suae fines praetergrediatur. » — Notari hic etiam meretur Decretum Concilii Romani sub *Benedicto XIII* anno 1725 habiti, quo ordinatur, ut Episcopi Sacerdotibus regularibus sacrae audiendae Confessionis munus non committant, « nisi « a monasterii Praefecto litteris testatum fiat, eos in probatissimis « etiam, pro Confessariis datis, S. Caroli monitis instructos esse, et « vitae disciplina ac moribus probatos haberi ac dignos, quibus id « munus laudabiliter imponatur » (Tit. 32, cap. 2).

5. Scientiarum studium in Ordine etiam necessarium est, ut idonei Praelati inveniantur. Cum enim isti non tantum pro oeconomica conventus administratione, sed multo magis pro spirituali subditorum directione (1) ceu Pastores animarum deputentur, omnino

(1) Unde errant Praelati locales qui rebus temporalibus toti intenti, potius procuratoris materialis quam pastoris animarum officium exercent. Ut autem

necesse est, ut non solum pietate, sed etiam scientia et doctrina insigniti sint. Cardinalis *Cassini,* Religionis nostrae decus, agens de scientia Praelato necessaria argute dixit: « Filius Dei in prae-« sepio societatem jumentorum non aspernatus est, et in cruce socie-« tatem latronum non abhorruit; sed in templo nonnisi Doctores socios « sibi elegit: *nam invenerunt illum in templo sedentem in medio* « *Doctorum;* cujus rei rationem affert *S. Hieronymus,* dicens: « In Ecclesiis, quamvis sanctus sit, Pastoris sibi nomen assumere « nemo debet, nisi possit docere, quos pascit » (tom. 1, Conc. 10, n. 4). Eapropter *Concilium Toletanum IV* Praelatos admonuit dicens: « Si in Laicis vix tolerabilis videtur inscitia, quanto magis « in iis, qui praesunt, nec excusatione digna est, nec venia? ». Et sane: Praelati, etiam Regulares, ignari et indocti tum Subditorum suorum, tum Saecularium, quibuscum ipsis hincinde agendum est, contemptui se exponunt, neque officia sua recte adimplere valent; nam dubia sibi proposita solvere, justas ubique regulas praescribere, inter lepram et lepram distinguere nesciunt: ex quo fit, ut excolantes culicem, camelum deglutiant, leves hincinde defectus circa regularem observantiam commissos graviter carpant, et graviores culpas charitati fraternae, vel paupertati, etc., repugnantes vix reprehensione dignas censeant. Ne tales inordinationes contingant, per quas ipsa religiosae disciplinae essentia labefactatur, omnino opus est, ut Religiosi scientiarum studio diligenter incumbant, per quod ad digne gerendas Praelaturas idonei fiant.

6. Allata pro studiorum necessitate argumenta ostendunt, quanto jure a Constitutionibus nostris praescriptum fuerit, ut Clerici per septem annos philosophicis ac theologicis studiis incumbant: sed dimenso septennali (1) studiorum curriculo, nemo se sufficienter eru-

---

temporalia facilius et spiritualia salutarius pertractent, ipsis dantur ab Ordine duo consiliarii seu Discreti, quorum munera novissim. Cap. Gen. LXV, art. 35, prudentissime designavit.

(1) Notanda haec gravissima mandata ejusdem Cap. Gen. vim Constitutionum habentis, art. 14: « Quoad studia, sequentia ordinamus et mandamus: « 1° Nullus Clericorum ad studium Philosophiae admittatur, nisi prius huma-« niores litteras didicerit, additis, sive ante sive post Novitiatum, notionibus « Rhetoricae, secundum Provinciarum variarum consuetudines et locorum indi-« gentias. 2° Studium Philosophiae et scientiarum tres annos insumat. 3° Cursus « theologicus ad quatuor annos extendatur et sequentes disciplinas comprehendat: « S. Scripturam, Dogmaticam, Moralem, Jus Canonicum, Historiam ecclesiasti-

ditum, et ad omnia officia aptum recenseat, ita ut nullo alio studiorum alimento indigeat; nam immensa adhuc litterarum acquirendarum spatia occupanda restant, quae tamen facilius superabuntur, cum mens praejudiciis liberata et lectionibus praeviis imbuta in litteris plane hospes non erit. Munus erit licentiatorum post septennale studium iter litterarium marte proprio prosequi, ut ex lectionum et applicationum assiduitate habitus studendi acquisitus firmetur, nec per officia alterius generis in posterum obeunda eradatur ac deperdatur, sed tempus aliquod ad exercitium litterarium post orationem semper supersit. Quandoquidem certum est, quod quantulacunque scientiarum plenitudine quis acquisita gaudeat, tota propediem evacuabitur, nisi diligentem curam adhibeat, ut reiteratis sciendi actibus jam habitum obtentum confirmet. Sensim enim, quod antea comparatum fuerat, amittet, nisi quae didicit, saepius repetat, et novis cognitionibus mentem locupletare studeat. Hanc eamdem rem graviter commendat et premit *Lud. Habert* dicens, Apostolum suo Timotheo usque ab infantia sacras litteras docto, et a se apprime exculto injunxisse, ut attendat lectioni, exhortationi, atque doctrinae (I. Tim. 14). Morem hunc prosequebatur ipsemet Apostolus, licet usque ad tertium coelum raptus; siquidem spiritum suum librorum visu et lectione nutriebat, ut patet ex II. Tim. 4, 13. « Quae, ait laudat. *Habert,* operae « pretium fuit observare, ut extimulentur, simulque erubescant, qui « licet litterarum plane rudes illis vix aliquam dant operam, ex quo « inaugurati sunt Sacerdotes, et saluti aliorum inserviunt; cum juxta « *S. Thomam* discipulus, qui ad magisterium pervenit, magis quam « ante lectioni et meditationi praesertim Scripturae sacrae incumbere debeat ». (T. 7 de Hier. eccl., cap. 8).

« cam, Patrologiam ac Pastoralem. 4° Eloquentia sacra legatur per integrum « annum. 5° In philosophicis atque theologicis facultatibus exponatur optima et « tutissima doctrina Seraphici Doctoris S. Bonaventurae et Angelici Doctoris « S. Thomae Aquinatis, ad mentem Leonis XIII. — Haec velut basis studiorum « nostrorum consideranda sunt. Si quae Provinciae autem, sive ob temporum ca- « lamitates sive ob leges civiles sive ob alias causas graves, hanc studiorum « normam servare nequeunt, ad Definitorium Generale recurrant, quod ipsis in « Domino providebit. ».

§ 162.

II. **De praecipuis requisitis ad studia recte instituenda.**

Ut studia recte instituantur, et uberes pro honore et bono Religionis fructus ferant, varia sunt, quae partim *a Superioribus,* partim *a Lectoribus,* partim *a Studiosis,* partim *circa libros et Bibliothecas* requiruntur.

1. Maximi imprimis momenti est, ut Provinciales cum Definitoribus cautissime in Lectorum electione et deputatione procedant, a qua ut plurimum studiorum sortes dependent. « Tenentur enim, « ait *Viator a Cocal.* (l. c. cap. 14, n. 1), qui ad Lectoris officium « aliquem deputant, expendere ejus ingenium, probitatem, scientiam, « acumen, perspicuitatem, amorem studii, expressionis facilitatem, « persistentiam in applicationibus; et super omnia debent attendere, « quo ejus animus vergat, an ad opinionum perniciosas novitates, « ad laxitatem (vel nimium rigorismum), corruptionemque avitae « disciplinae; uno verbo eligere debent, quem ad aedificandum idoneum « agnoverint, et rejicere, qui bona potiora non pollicetur. » Convenientissimum etiam est, ut pro singulis sive philosophicis, sive theologicis disciplinis singulares Lectores deputentur; nam difficillimum est, ut unus idemque in omnibus disciplinis ita emineat, ut universalis Doctoris munus digne sustinere valeat: si quis autem per longius tempus uni praecipue scientiae et addiscendae, et tradendae insudet, haud difficulter in hac magnam doctrinae perfectionem consequetur, quam etiam aptissime discipulis suis communicabit. Praeterea autem tum Provinciales, tum Superiores locales (1) invigilare debent, ut tum Lectores in praelectionibus habendis, tum Studiosi in iis, quae audierunt, addiscendis diligentissimi sint. Ma-

(1) Merito excitatur vigilantia Superiorum etiam localium. Intolerabilis enim abusus esset si Lector tamquam alius praelatus Conventus, independenter ageret a Guardiano, propria jura exaggerans et Guardiani ingerentiam repellens. Guardiani vero Lectoris auctoritatem tueantur: Lectores autem et re et nomine subditi sint. Ut ergo haec moderata vigilantia Superioris localis utiliter exerceatur, curandum est ut Guardiani conventuum studiorum sint doctiores inter omnes Superiores locales, vel antiqui Lectores, ut aliquibus in regionibus fieri solet.

xime ergo caveant Superiores, ne vel Lectoribus, vel Studiosis talia munera et officia imponant, quibus vel illi a lectionibus habendis, vel isti ab his audiendis et addiscendis impediuntur: raro tantum, vera necessitate cogente, tale quid permittendum est.

2. Lectores de gravitate muneris sibi injuncti intime persuasi sint, oportet; officium enim suum rite adimplentes, magna merita sibi comparabunt, illud vero negligentes, de illatis toti Ordini damnis gravem Deo rationem reddent. Ante omnia ergo maximam curam gerere debent, ut ipsi necessariam ad alios erudiendos doctrinam comparare, eamque assiduo studio in dies perficere satagant, ut semper *crescentes in scientia Dei* (Col. 1, 10) magis magisque concreditae sibi juventuti prodesse queant. Praelectiones statutis diebus et horis sine gravissima ratione nunquam omittendae, aut decurtandae sunt; in his vero Lector eo animum intendere debet, ut veritates, quantum fieri potest, clare et distincte proponat et explicet, solidis argumentis probet, et si opus fuerit, contra adversarios vindicet. Cum praelectionibus vero etiam frequentes, imo quotidianae repetitiones seu examinationes eorum, quae pertractata fuerunt, jungendae sunt, tum ut Lector inquirat, an ejus discipuli propositas ab eo doctrinas rite intelligant et diligenter addiscant, tum ut eaedem menti juvenum firmius impressae maneant, et simul horum memoria continuo exerceatur: neglectis his repetitionibus et examinibus, ipsas praelectiones parva emolumenta afferre, experientia testatur. — Convenit denique, ut Lectores per verba et exempla moralem quoque et religiosam alumnorum suorum perfectionem promoveant, et in his non vanam et sterilem scientiam producant, sed potius *agnitionem veritatis, quae secundum pietatem est* (Tit. 1, 1).

3. Qui studiis incumbunt, erga Lectores suos magnam reverentiam et in corde fovere, et exterius manifestare debent; nam ad ipsos vel maxime spectant verba S. Patris in Testamento dicentis: « Et « omnes Theologos, et qui ministrant nobis sanctissima verba divina, « debemus honorare et venerari, sicut qui ministrant nobis spiritum « et vitam ». Necesse autem est, ut Studiosi non solum praelectionibus diligenter atque attente intersint, sed etiam ut ea, quae pertractata fuere, postea ruminent, propositas doctrinas melius intelligere, atque memoriae imprimere studeant. Neque dicant, tempus sibi pro tali studio deesse. Quamvis enim choro interesse, et aliis exercitiis spiritualibus vacare debeant; attamen a vanis deambulationibus, visitationibus, conversationibus, ludis, aliisque negotiis, et mentis

dissipationibus alieni sunt, quibus sat frequenter in saeculo commorantes a studiis impediuntur. Dummodo ergo studentes Religiosi quasvis temporis particulas bene adhibeant, et ab intempestiva garrulitate, et a nimio somno abstineant, tempus studiis debito modo vacandi sufficiens invenient. — Cavere etiam debent alumni, ne, dum a Lectore suo in scientia quadam erudiuntur, mentem suam aliis studiis occupare, aut variorum Auctorum libros pervolvere praesumant; tali enim modo facile animum suum perturbabunt, et confusas tantum omnis generis cognitiones, non autem veram scientiam, seu solidam doctrinam consequentur. Ideo jam *Seneca* dixit: « Vide, ne « lectio Auctorum multorum, et omnis generis voluminum aliquod « vagum habeat, et instabile etc. » (ap. Viat. a Coc. l. c. cap. 1, n. 3). Oportet ergo, ut alumni totis viribus iis addiscendis incumbant, quae a Lectore traduntur. Maximi autem momenti est, ut in studiis non alium sibi finem praefigant, nisi gloriam Dei, et animarum salutem, atque ut dum studiis incumbunt, pietatem, seu perfectionem suam moralem et religiosam non negligant; scientia enim nihil prodest, nisi pietati sit conjuncta. Quare Apostolus ait: *Si linguis hominum loquar, et Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut aes sonans aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia, et omnem scientiam: et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* (I. Cor. 13, 1. etc.).

4. Quoad libros et bibliothecas, adduci hic merentur ipsamet *Viatoris Coc.* verba, qui (l. c. cap. 14, n. 5) sequentia habet: « Superest, ait, ut de bibliothecis aliqua dicantur, ne posteaquam « milites ad bellum instruxerimus et paraverimus, arma postea de- « sint, quibus rem bellicam gestent. Bibliothecae hoc nostro aevo, « quantum ubique gentium excolantur, nemo nostri ignorat. Sed po- « tiori jure a Religionibus cura haec impendi debet; cum certum sit, « post Sanctuarium Domini primum locum in coenobio Bibliothecae « deberi. Hinc studiosae Religiosi applicationes ad binos hos scopos « collimare debent, ad Templum et ad Bibliothecam: in Templo pro « voluntatis sanctificatione, in Bibliotheca vero pro illustratione men- « tis, cum juxta *S. Chrysostomum* (Hom. 3. de Laz.) « fieri non « possit, ut quisquam salutem consequatur, nisi perpetuo versetur « in lectione ». Sed inutile erit hoc monitum, si Bibliotheca neces- « saria sua supellectili careat, et plutei inopes sint. Heic non urgeo « circa provisionem librorum in particulari. Constitutiones nostrae

« satis quoad codicum necessitatem locutae sunt, cum dixerunt (cap. 9), « in Bibliothecis nostris esse reponendum « Scripturam divinam, Do- « ctores sanctos, atque devotos ». Ita porro; verum pro intelligentia « Scripturarum succurrunt Expositores, sine quorum auxilio nec lit- « tera, nec spiritus penetratur utiliter. Hinc tanta eorum copia adesse « debet, quanta opus esse possit, ut moles integra percipi valeat. « Idem colligendum venit, quando agitur de sanctis Doctoribus. Ne- « cessarii sunt SS. Patres, necessarii SS. Doctores, necessarii auctores « ascetici. Sine eorum lectionibus nec Divina intelligi possunt, nec « Traditio ecclesiastica acquiri, nec regulae morum haberi valent, « nec pietatem concipi, nec spiritum Religionis et vitae asceticae « possibile est, eoque minus sermones concionesque componi. Post « haec Lectorum indigentiae exigunt, ut sibi comparare possint Au- « ctores, qui in facultatibus scientificis insigniti sunt. Etenim sine « Magistris, qui ad disciplinas manuducant, compilari lectiones ne- « queunt sive in Philosophicis, sive in Theologicis, caeterisque di- « sciplinis, quarum inventione, aut saltem expolitione gloriantur tem- « pora nostra. Si itaque de istis memorati Lectores tractare velint, « iisdemque auditores suos juvenes instituere, nec non de iis expe- « rimentum publicum coram Professoribus instituere, nemo sit, qui « deneget necessitatem, quae urget, ne Lectores hujusmodi Auctoribus « priventur, ne contemptum et sibilum contra se moveant, si quae « vel plane falsa sunt, et pro falsis a doctioribus habeantur, aut « tanquam improbabilia jam abrogata et rejecta fuere, alumnos suos « doceant, vel thesibus publice defensandis exponant. — Libri itaque, « qui sint utiles et congrui, provideri debent, atque iisdem Biblio- « thecae muniri, quin obstacula fiant ab his, qui studio parum ad- « dicti opinantur, librorum collectionem inter superflua posse com- « putari. — De aliis vero libris, qui plane inutiles sunt, nec ar- « gumenta praestant, quibus legentes proficere possint, sed potius « venenum ferunt, animas inficiunt, nec propter foeditatem, qua sca- « tent, impugnationem promerentur, a nostris Bibliothecis eliminandi « sunt. Circa librorum custodiam numquam heic accurate haberi po- « terit, donec Bibliothecarius non praesideat, ordinatam teneat, et « expolitam, sub clave libros reservans, nec eosdem extrahere sinens « sine adnotatione cellae, vel Religiosi, qui eos extraxerit, vel pe- « tierit ». Per Bibliothecas bene ordinatas, necessariis, utilibusque libris abunde instructas variae inordinationes et incommoda prae- caventur, quae facile sequuntur, si Fratres individui necessarios li-

bros ad simplicem suum usum procurare, et de loco in locum transferre coguntur. Quomodocunque autem Bibliotheca libris referta sit, nihilominus Fratribus permittendum est, ut ad simplicem suum usum aliquos libros habeant, praecipue asceticos pro lectione spirituali et meditatione, prout etiam quamdam Theologiam dogmaticam et moralem, tum ut eamdem frequenter legentes et repetentes memoriae firmissime imprimant, tum ne propter quodlibet dubium ad Bibliothecam recurrere obligentur. Concionatoribus vero et Lectoribus majorem hac in re licentiam concedendam esse, ipsa munerum ratio postulat (1). — Ultimo hic adnotari meretur, *Urbanum VIII* sub poena excommunicationis, et privationis vocis activae et passivae prohibuisse, ne quis, quacunque auctoritate polleat, libros, quinterna, aut folia sive impressa, sive manuscripta ex nostris Bibliothecis extrahat; sed tamen Provinciali et Definitoribus unitim facultatem tribuit, libros inutiles cum licentia Dantium vel haeredum per Syndicos in utiles transmutandi. *Innocentius X* hoc decretum confirmavit, et Provincialibus concessit, ut libros superfluos ad alios conventus, iis carentes, mittant (V. Bullar. Cap. tom. I, pag. 97 et pag. 104).

Appendix.

§ 163.

De Fratrum Laicorum instructionibus.

1. Quamvis Fratres Laici ad scientiarum studia nullatenus vocati sint, variae tamen in ipsis religiosae cognitiones requiruntur. Oportet enim, ut tanquam viri religiosi in doctrina christiana multo magis quam homines saeculares instructi sint. Perbene etiam sacrae Regulae, quam professi sunt, praecepta et monita nosse debent, ut

(1) Capit. Gen. LXV, art. 33, n. 6°, haec habet: « Bibliothecae accommodentur ad hodiernum scientiarum statum et praecipuis antiquorum et recentiorum operibus pro viribus instituantur. Unde non approbamus usum privatum librorum, paucis ad proprium officium adimplendum exceptis. Provinciales vero permittere possunt majorem librorum numerum illis Fratribus, qui in specialibus studiis seu in scientificis et litterariis laboribus occupantur. »

ea etiam exacte adimplere possint. Et cum vi professionis religiosae ad perfectionem tendere obligentur, omnino opus est, ut Theologiae asceticae documenta bene perspecta habeant. Hac de causa ad statum Laicorum juvenes, qui legere nesciunt, haud recipiendi sunt (1); qui autem legere noverunt, admoneri debent, ut per frequentem atque attentam librorum spiritualium lectionem in praedicta triplici cognitione crescere studeant. — Licet autem librorum spiritualium lectio saluberrima sit, sola tamen pro Laicis, qui ad Ecclesiam discentem spectant, non sufficit; nam *placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes* (I. Cor. 1, 21). Quodsi Saeculares, etsi libros spirituales legant, tamen etiam ad audiendum verbum divinum praedicatum obligantur; qua ratione Laici a tali obligatione eximentur? Isti quoque persaepe ea, quae legunt, non satis intelligunt, vel sibi applicare nesciunt: melius id praestat viva praedicatoris vox, quae etiam clarius docet, et efficacius movet; quoniam cum speciali gratia divina conjuncta est, qua Laici nostri privandi non sunt. Ideo S. Congregatio praecepit, ut qualibet die Dominica in omnibus Conventibus Laicis doctrina christiana cum aliquo Regulae articulo explicetur (V. Bullar. Cap. tom. II, pag. 12). Idem decretum anno 1758 renovatum, et gravissime inculcatum fuit; et quamvis solum pro Italia et Insulis adjacentibus datum sit, obligatio tamen eadem ex jure divino ubique locorum urget.

2. Obligatio Fratres instruendi in quolibet Conventu incumbit primario Superiori locali, qui est subditorum suorum Pastor, et ideo haud minus quam Parochus oves suas verbo divino pascere tenetur. Hanc Praelatorum obligationem non ad solos Laicos restringi, sed etiam ad Clericos et Sacerdotes extendi, atque illi neque per sermones Provincialis in Visitatione, neque per correptiones in capitulo ter in hebdomada indictas, neque per lectionem asceticam in mensa communi satisfieri, gravibus argumentis probat *Viator a Coc.*

(1) Hoc tamen generatim non servatur, ut patet ex historia et experientia, ex vita S. Felicis a Cantalitio, etc. Excipe nisi agatur de locis ubi omnes etiam pauperrimi operarii legere sciunt, ita ut imperitia hac in re sit quasi nota infamiae et stupiditatis. Et tamen etiam in talibus locis dari possent exceptiones nonnullae. Unde novissimum Gen. Cap., art. 6, ex candidatis excludit quidem « communi sensu quasi carentes et stupidos », non autem caeteros quamvis illitteratos, dummodo sint « honesti, pii, ordinaria solertia et intelligentia praediti, et ad labores utiles ».

(l. c. cap. 10). Et sane magna pro regulari disciplina emolumenta speranda forent, si Superiores locales saepius ad omnes suos subditos de officiis Religiosorum sermones haberent. Si autem tam pia consuetudo in Ordinem nostrum introducta nondum est (1), saltem Laicos verbi divini pabulo privare non licet. — Quemadmodum autem juxta *Concilium Tridentinum* (Sess. 5, cap. 2, de Reform.) ipsi Episcopi suum praedicandi munus per alios exercere possunt, sic etiam Superioribus localibus officium Laicos instruendi aliis committere licet. Eligere vero tenentur Superiores talem, qui dogmata christianae fidei, et Regulae litteram et spiritum optime callens explicet, et porrigat methodo clara, facili et dulci, sed energica; qui notiones virtutis, et vitii distincte declaret et repraesentet; qui abusus reprobet, et consuetudines sanctas defendat, et ad earum observantiam excitet atque fere manu ducat. Caveat autem summopere, ne in particulari Religiosum ullum vellicet, vel censura comburat; sed in sua Catechesi semetipsum in primis comprehendat et involvat, vel saltem se nunquam, quando vitium carpit, excipiat. Haec autem omnia doctrinarum soliditate, atque opportunis admonitionibus probari et confirmari opus est, auxilio semper a Deo implorato, ne verba in vacuum redeant. — Procurandum autem est a Superiore, ut, quantum fieri potest, instructioni Laici omnes intersint, quos etiam graviter monere oportet, ut non solum auribus corporis, sed etiam auribus animae magistri sui verba suscipiant, ejusdem monita non aliis, sed sibi applicent; et si de vitio quodam se correptos sentiant, non concionatori, sed sibi succenseant, et seriam emendationem proponant. Tunc tantum ex audita instructione uberes fructus colligent, a vitiis et defectibus magis magisque purgabuntur, virtutes addiscent, et salutem aeternam consequentur, dicente Christo: *Beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud.*

---

(1) Ex historia et Ordinationibus Ordinis, et ex praxi Provinciarum, constat de consuetudine spiritualium hujusmodi collationum. Unde omnino tenenda et ubique pro viribus restituenda ad utilitatem singulorum Fratrum sive sacerdotum, sive clericorum aut laicorum. Etenim in libro Ordinat. et Decis. edito a R.mo P. Venantio a Taurino (Capit. Gen. XXXIV, art. 53) legitur: « Ut spiritus Do-« mini nutriatur in nobis, fiat semel in hebdomada spiritualis collatio vel sermo « spiritualis, qui dicatur, sive a Guardiano, sive ab aliis, servato ordine indivi-« duorum familiae. Exercitium hoc simpliciter ac devote peragatur, verseturque « circa aliquam virtutem, puta paupertatis, obedientiae, et similium, addito semper « aliquo exemplo e fastis Sanctorum Patrum, e Chronicis Minorum, aut simili « libro excerpto. »

CAPUT X.

§ 164.

De admonitione et correctione Fratrum.

In hoc capite varia a S. Patre proponuntur, quae gravissimi sunt momenti. *S. Bonaventura* ait: « Haec pars habet octo: quia « *primo* imponit Ministris Provincialibus diligentiam curae; *secundo* « imponit subditis districtionem obedientiae; *tertio* Fratribus gra- « vatis dat remedium; *quarto* circa hoc subdit informationem Mini- « strorum; *quinto* subdit informationem omnium Fratrum ad vita- « tionem peccatorum praecipue spiritualium; *sexto* informat eos ad « devotionis spiritum, et orationis exercitium; *septimo* ad tolerantiam « injuriarum, et aliorum gravaminum; *octavo* ad charitatis comple- « mentum, etiam persecutores diligendo ». Ut haec omnia rite pertractentur, agendum est 1. *de officiis Ministrorum visitantium;* 2. *de obedientia Subditorum;* 3. *de recursu Fratrum ad suos Ministros in casu spiritualis necessitatis;* et 4. *de monitis S. Patris ab omnibus Fratribus sedulo observandis.*

ARTICULUS I.

§ 165.

De officiis Ministrorum visitantium.

TEXTUS. *Fratres, qui sunt Ministri, et servi aliorum Fratrum, visitent... Fratres suos.*

Nihil S. Patri Francisco magis cordi fuit, quam ut regularis disciplina in Ordine semper conservetur, et ut omnes Fratres a vitiis declinantes ad religiosam perfectionem tendant. Ideo supremis Ordinis moderatoribus diligentiam curae, seu magnam vigilantiam

injunxit: voluitque, ut non jam in loco quodam quiescentes, sed potius non sine magna difficultate circumeuntes, Fratres suos visitantes, horum querelas audientes, et necessitatibus providentes, eorumdem defectus inquirentes, et per admonitiones et correctiones emendantes, et pro variis locorum, temporum et personarum circumstantiis salutaria praecepta imponentes, et sic bono Religionis continuo inservientes, non solum nomine, sed etiam factis se *Ministros, et servos aliorum Fratrum* ostendant. Gravissima haec Ministrorum officia, et caetera, quae ad eorumdem visitationem spectant, hic explananda sunt; atque ideo tractatio suscipienda est 1. *de Visitationis necessitate,* 2. *de modo Visitatorem recipiendi,* 3. *de inquisitione a Visitatore instituenda,* 4. *de denuntiationibus Visitatori faciendis,* 5. *de admonitione et correctione Fratrum,* 6. *de imponendis obedientiae praeceptis,* ac demum 7. *de Visitationis conclusione.*

§ 166.

I. De Visitationis necessitate.

1. Quamvis *Clemens V* ea, quae in Regula de Fratrum visitatione dicuntur, inter praecepta non retulerit; dubitari tamen nequit, Ministros tum Generales, tum Provinciales ad visitationem Fratrum sibi subditorum obligari. Hanc enim obligationem ipsis *Concilium Tridentinum* imponit (Sess. 25, de Reform. cap. 20), dicens: « Or« dinum Superiores, Episcopis non subjecti, quibus est in alia in« feriora monasteria.... legitima jurisdictio, eadem illa sibi subdita « monasteria.... suo quisque loco atque ordine ex officio visitent ». — Ipsum jus naturale dictat parentibus, ut filiis, et pastoribus, ut ovibus suis invigilent, ac ideo ut his adesse, seu ipsas visitare non negligant; quomodo non etiam supremi Ordinum Rectores, omnium Patres et Pastores, ex eodem jure ad idem obligabuntur? — Ipsa quoque experientia testatur, ex omissa aut obiter tantum peracta visitatione plurima detrimenta, ex diligenter autem persoluta maxima emolumenta sequi. Ideo Constitutiones nostrae praecipiunt (cap. 10), ut Minister Generalis sui Officii tempore cunctas Provincias, et si fieri potest, omnia etiam monasteria sua praesentia visitet, aut

saltem omnes Fratres videre contendat; Ministri vero Provinciales cunctos suae Provinciae conventus, et Fratres bis saltem singulis annis visitent, etc. Sed hoc in Capitulo generali anno 1650 moderatum fuit circa provincias ultramontanas, quibus propter nimiam amplitudinem concessum fuit, Capitula provincialia non annuatim facere, sed ad menses 18 differre, atque interea temporis binas visitationes peragere. — Abrogatis autem postea Capitulis intermediis, et annuis Congregationibus Definitorii provincialis introductis, in iisdem provinciis ultramontanis consuetudo invaluit, ut semel tantum in anno omnes conventus, et Fratres a Provinciali visitentur; illaque, cum Ministri Generales, aut Capitula generalia eam non reprobaverint, legitima dici potest.

2. Ministro Generali jus inest, *Commissarios* ad certas quasdam causas dirimendas, vel *Visitatores generales* ad Provincias quasdam visitandas mittendi, eisque jurisdictionem suam delegandi. Delegata haec potestas vel restricta est, vel illimitata. Si restricta est, omnes actus illius limites excedentes nulli sunt: si vero est illimitata, non tamen extenditur ad ea, quae illicita sunt, sic e. g. Commissarius, seu Visitator non potest indignum, seu minus idoneum ad praelaturam promovere. Imo potestas ejusdem, quomodocunque illimitata, non extenditur ad ea, ad quae perficienda speciale mandatum requiritur; sic e. g. Visitator, quamvis generali potestate instructus, non potest circa Ordinis Statuta dispensare, nec Praedicatores approbare, nec dispositiones familiarum sine consensu Definitorii perficere, etc. In primis Visitator, ac quivis Judex delegatus tenetur ostendere, se habere eam delegatam jurisdictionem; alioquin nullus ei tenetur parere. Quod si extra Provinciam sit, debet, antequam accedat ad visitandam Provinciam, monere prius Provincialem illius, quod tali die seu tempore accedet ad suam Provinciam visitandam, ut possit se praeparare ad illum debito modo recipiendum, sintque Fratres parati ad visitationem, praecipue autem causa exhibendi mandati suae commissionis: neque illi licebit exercere suum munus et officium, donec Provinciali constet de sua commissione. Facta vero litterarum seu mandati ostensione, si sit Visitator generalis missus in Provinciam a S. Congregatione, vel a Ministro Generali, traditur eidem Provinciae sigillum, quo ipse deinceps tanquam Provinciae caput et Superior utitur. Praeterea tempore Visitationis, totum regimen externum contentiosum Provinciae pertinet ad Visitatorem, non ad Provincialem: hic tamen potest exercere ut plurimum juris-

dictionem voluntariam cum subditis, maxime in spiritualibus, e. g. poterit absolvere subditum a reservatis, delegare auctoritatem absolvendi a reservatis, dispensare in votis, etc. Non potest autem Provincialis aliquem transferre ab uno conventu in alium, vel alicui longius iter permittere, si id cedat in praejudicium Visitationis. Notandum pariter est, quod nullatenus liceat Provincialibus aut horum subditis Commissarios, vel Visitatores a legitima potestate missos respuere, vel istis se opponere. Gravissime id interdixit *Gregorius XIII,* qui excommunicationem latae sententiae, et poenam privationis vocis activae et passivae pronuntiavit in illos, qui Commissariis a Ministro Generali deputatis se opponere, aut illis contradicere, aut erga illos ex quacunque causa et sub quocunque praetextu se rebelles ostendere audeant, sive sint Provinciales, sive Guardiani, sive Religiosi cujuscunque gradus aut dignitatis (v. Bull. Capuc. tom. 6, pag. 283). — Provincialibus quoque licet in conventus sibi subditos Commissarios, seu Visitatores mittere, quibus mandatum suae commissionis ostendentibus, et juxta illud agentibus, ab omnibus etiam a Superioribus localibus reverentia et obedientia exhibenda est.

§ 167.

II. De modo Visitatorem recipiendi.

Modus Ministrum Generalem, Visitatorem Generalem, et Ministrum Provincialem in S. Visitatione Fratrum recipiendi, determinatus legitur in Constitutionibus nostris, Romae anno 1739 impressis, in quibus sequentia leguntur:

1. Quandoquidem in Rothomagensi Concilio olim decretum fuit, ut Episcopo ad aliquam suae Dioecesis Ecclesiam visitationis gratia adventanti Clerus ac populus obviam stato ordine procedant, ac certis Hymnorum Psalmorumque precibus cum gaudio, summaque reverentia eumdem quasi Christi Vicemgerentem excipiant: hinc non immerito pia ac vetusta minoritanae Religionis consuetudine receptum est, ut cum primum *Generalis Minister*, qui summi apud nos Pastoris ac Episcopi pro Christi legatione fungentis locum obtinet, ad aliquod Ordinis nostri monasterium Fratres visitaturus accesserit, eumdem

Fratrum omnium communitas (iis tantum exceptis, qui morbo aut adversa valetudine detinentur) processionaliter excipiat.

2. Nos quoque Antiquorum vestigiis inhaerentes piam hanc institutionem, quae jam a principiis apud nos viguit, reverenter amplectimur, ac decernimus, ut Provincialis Minister, cum primum ex litteris R.mi P. Generalis didicerit, eum suae Provinciae jus visitationis proxime impendere velle, Definitoribus per litteras tempestive accersitis, simul cum ipsis opportuno tempore ad proximum contiguae Provinciae monasterium obviam se conferat, eumdemque de statu suae Provinciae certiorem reddat, causas judicandas, si quae sint, aperiat, ac Familiarum eo modo, quo sunt dispositae, catalogum praebeat, denique ad suam Provinciam accedentem comitetur. Eo vero Provinciam ingresso, ipse deinceps ab omni externae jurisdictionis usu abstineat, nisi secus illi a Generali Ministro injunctum fuerit; decet enim, ut majore adveniente, cesset minor. Ea tamen, quae ad spirituale forum spectant, veluti a casibus reservatis absolvere, praesentationes recipere, vel a praesentatione liberare, Confessorem sibi eligere, et si quae alia hujusmodi sunt, quae ad Provincialis Ministri munus intrinsece ex Regula pertineant, quibus Majoris Visitatio minime impeditur, illi integra erunt.

3. Generali autem Ministro ad aliquod Provinciae monasterium visitationis gratia accedente, curet Superior, ut Fratres processionaliter gradientes, Cruce praecedente absque luminaribus, longius aliquantulum extra fores Ecclesiae eidem obviam prodeant: ubi subsistente Processione, Superior loci duos vel tres ex dignioribus Familiae secum assumens paulo longius procedat, donec ad ipsum perveniat: quem reverenter recipientes, usque ad Processionis locum a dextris et a sinistris pedestrem comitabuntur: quo cum pervenerint, Crucem ipsi deosculandam offerant. Statim vero Superior domus paratam stolam coloris Officio diei congruentis ipsi genuflexus deosculandam collo ejus ex utraque parte pendentem imponat; tum a Cantoribus inchoabitur: *Te Deum laudamus* etc. Accedente Processione ad Ecclesiam, campana pulsabitur. Cruciferarius, ubi ad ostium cancellorum processerit, ibi sistet. Cum vero Generalis Minister ad Ecclesiae limen pervenerit, Superior genuflexus Aspersorium cum osculo manus ipsius et Aspersorii eidem porriget, qui per medium incedens Fratres hincinde suo ordine genuflexos asperget, donec ad infimum Altaris Majoris gradum pervenerit, ubi genuflectet. Expleto Hymno: *Te Deum* etc., duo Acolythi dicant sequentes versiculos: *Be-*

nedicamus Patrem etc. *Panem de coelo* etc. *Emitte Spiritum* etc. *Ora pro nobis S. Dei Genitrix* etc. *Signasti Domine* etc. Generalis vero Minister Orationes, quae sequuntur, graviter et morose proferet: *Deus, cujus misericordiae* etc. *Deus, qui nobis sub Sacramento* etc. *Deus, qui corda Fidelium* etc. *Concede nos famulos tuos* etc. *Deus, qui Ecclesiam tuam B. P. N. Fr.* etc. *Actiones nostras* etc. *Per Christum Dominum nostrum.* ℟. *Amen.*

4. Tum vero cum omnibus aliquantisper orabit. Post orationem surgens Minister Generalis Benedictionem Fratribus genuflexis impertietur, atque eo sedente Fratres omnes per ordinem bini et bini a Senioribus incipientes manus ipsius osculabuntur; mox vero Superior cum nonnullis ex Senioribus Patribus Generalem Ministrum, ac Socios ad lotionem pedum atque alia charitatis ministeria, quae illis ab ipso Superiore potissimum exhibenda erunt, deducet.

5. Interea a Praefecto Advenarum cellae tam pro Generali Ministro, quam pro Sociis, pauperes quidem ac nullo prorsus ornatu distinctae juxta nostri status simplicitatem, sed mundae ac nitidae parentur. Superior vero, ubi alia charitatis officia erga Generalem Ministrum expleverit, eumdem ad cellam usque reverenter perducat, prospiciatque, ut eorum, quae ad charitatis officium spectant, tam erga Generalem Ministrum, quam illius Socios nihil prorsus omittatur.

6. Idem quoque ritus in receptione *Visitatoris generalis* servandus erit, nisi quod Provincialis sine Patribus illi obviam procedere debet usque ad extremum propriae Provinciae monasterium; adventantem Fratres illum processionaliter non excipiant, unde et campanae pulsatio, et orationes ante Altare non sunt necessariae: sed Superior loci duobus vel tribus ex dignioribus comitatus ei per milliare occurrat, in ingressu Ecclesiae Aspersorium porrigat, ipseque et socii genuflexi ab illo aspergantur; Conventum ingredientem Fratres omnes familiae excipiant, et genuflexi reverenter ejus manum osculentur.

7. Ast *Provincialis Minister,* cum ad visitationem monasterii accesserit, quandoquidem nullo usu receptum est, ut solemni hoc ritu excipiatur, quo Generalis recipi solet: id in ipsius receptione tantummodo servetur, quod antiquo more apud nos servatum est, — videlicet, ut cum primum proximus ipsius adventus Fratribus innotuerit, Guardianus, aut loci Superior, altero Seniore domus socio adhibito, eidem unius milliarii (italici) vel sesqui milliarii spatio obviam eat. Domum ingredientem in ipso vestibulo universi Fratres

cum Aspersorio genuflexi excipiant. Guardianus genuflectens cum osculis Aspersorium eidem porrigat, cunctique ab eo aspergantur, atque ipsius manus genuflexi osculentur. Post haec universa charitatis ac hospitalitatis officia, quae ipsi velut totius Provinciae Patri ac Rectori exhiberi debent, praestentur.

§ 168.

III. De inquisitione a Visitatore instituenda.

1. Multa sunt, quae Visitatores inspicere et attente examinare tenentur: nimirum, in *Ecclesia* Tabernaculum cum Ciborio, Altaria cum mappis, lapidibus, et reliquiis Sanctorum, simulque vas, in quo S. Oleum infirmorum asservatur; *in Choro* psalteria etc.; *in Sacristia* calices, et paramenta sacra; in *Conventu* non solum officinas toti Communitati inservientes, sed etiam singulas Fratrum cellas; *in horto* clausuram, modumque, quo excolitur et fructus ejusdem adhibentur. Ubique caute investigandum est, an quid vel legibus ecclesiasticis, vel seraphicae paupertati, vel regulari disciplinae contrarium inveniatur. Etiam de statu oeconomico ratio petenda, et inquirendum est, an eleemosynae acceptae et expensae in libris recte notentur, an superfluae conglomerentur, vel an debita contrahantur, et quomodo res se habeat cum Syndico seu Patre spirituali.

2. Visitatori imprimis status moralis religiosarum familiarum cordi esse debet; atque ideo ab ipso inquirendum est: 1. an divinum Officium statutis horis, die noctuque devote, et cum debita sacrorum rituum observantia persolvatur; 2. an quotidie oratio mentalis, et assignatis diebus disciplina perficiatur; 3. an quotidie Missa Conventualis pro Fratribus et Benefactoribus celebretur, et an Religiosi ad illam conveniant; 4. an Missam celebrantes caerimonias ab Ecclesia praescriptas observent, vel contra Rubricas errores committant; 5. an nimius Missarum celebrandarum numerus recipiatur; 6. an dentur Fratres, qui chorum sine justa causa negligunt, exercitia spiritualia non perficiunt, orationi mentali, aut disciplinae non intersunt; 7. an omnes ad commune refectorium veniant, et an Superior juxta decretum *Clementis VIII* cum caeteris eodem pane, eodem vino, iisdemque cibis contentus sit; 8. an jejunia sive ab Ecclesia,

sive a Regula praescripta debito modo observentur; 9. an Superiores officia sua erga infirmos adimpleant, an sanis res necessarias provideant, aegrotantes benigne suscipiant, et generatim omnes cum charitate tractent; 10. an eleemosynae in utilitatem conventus expendantur, aut an Superiores sibi quasdam approprient, vel easdem in aedificiorum reparationibus haud necessariis, vel aliis modis paupertati contrariis consumant; 11. an adsit Frater proprietarius; 12. an Novitii in regulari disciplina educentur, an Concionatores, Lectores, et Studiosi officia sua adimpleant; 13. an scandala publica dentur, vel inordinationes secretae, quae Visitatori manifestandae sint, etc.

3. Visitator defectus gravioris momenti legibus divinis aut ecclesiasticis, Regulae vel Constitutionibus oppositos inquirere debet, ne si minuta quaevis scrutari et corrigere velit, tempus terat, se ridiculum reddat, vel subditorum animos exacerbet. Jure tamen observat *Bernardus Bonon.* (Lect. 28, § 11), quod Visitator etiam leviores defectus investigare et corrigere teneatur, si valde communes sint, si relaxationi observantiae viam aperiant, aut decori Ordinis grave praejudicium afferre valeant.

§ 169.

IV. De denuntiationibus Visitatori faciendis.

1. *Omnis, qui male agit,* ait Christus (Jo. 3, 21), *odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus.* Etiam Religiosi, a recta via aberrantes, praevaricationes suas occultare, et praecipue coram Superioribus majoribus ita se gerere student, ut homines timoratae conscientiae et accuratae observantiae esse videantur. Difficillime ideo Visitatores malas Fratrum passiones, commissasque ab iisdem praevaricationes detegere valent, nisi ipsis ab aliis ejusdem familiae Fratribus manifestentur. Hac de causa in visitatione Religiosi de sua obligatione moneri solent, graviores inordinationes, si quas noverint, Visitatori manifestandi; et saepe contingit, ut Fratres praedictas inordinationes Visitatori manifestare, reosque denuntiare teneantur. In hisce autem denuntiationibus maxime cavendum est, ne vel *veritas,* vel *charitas* violetur.

2. Maximam profecto iniquitatem committeret, qui innocentem

denigraret, falsam accusationem proferret, vel vero defectui tales ementitas circumstantias adderet, ex quibus atrox culpa prodiret. Quanta sit hujuscemodi calumniae malitia, ex ipsa S. Scriptura patet. Nam in Proverbiis dicitur (cap. 6): *Sex sunt, quae odit Dominus.... cor machinans cogitationes pessimas.... proferentem mendacia, testem fallacem;* (cap. 19) *testis mendax peribit;* (cap. 25) *Jaculum, et gladius, et sagitta acuta homo, qui loquitur contra proximum suum falsum testimonium.* In antiquis Canonibus falsum testimonium homicidio aequiparatum, et in testes mendaces excommunicatio lata fuit. Frequenter etiam poena talionis pro illis statuta legitur, qui alium de falso crimine accusaverint. Teste *Serena Conscientia* a Romanis Pontificibus statuta fuit excommunicatio, ipso facto incurrenda, in Fratrem, qui coram Praelato aut Visitatore alium Fratrem aut aliam personam de falso crimine accusaverit, aut ad id faciendum alium induxerit, aut qui testimonium verum fallaci modo revocaverit, aut ad id revocandum alium induxerit. Etsi autem istae excommunicationes a *Martino V* sublatae sint, ostendunt tamen, qualia crimina sint hujusmodi calumniae et falsae depositiones, quae nonnisi ex pessimis radicibus, nimirum ex ambitione, invidia, odio, spiritu vindictae, etc., progigni possunt. — Neque calumniae malitia excusari potest, si quis pro sua defensione illa utatur. Nam *Innocentius XI* damnavit sequentes propositiones: n. 43, « Quidni nonnisi veniale sit, detrahentis auctoritatem magnam sibi « noxiam falso crimine elidere »: et n. 44, « Probabile est, non pec- « care mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justi- « tiam et honorem defendat ». — Cautissime ergo Visitator procedere debet, ne a calumniatoribus decipiatur. Accusationem, seu denuntiationem proferenti statim ab initio dicat: *Principium verborum tuorum veritas* (Psal. 118); eumdemque commonefaciat de poena talionis incurrenda, si accusatio falsa inveniatur. Imo quamvis denuntiationem paterno tantum modo excipiat, suadendum tamen est, ut exigat depositionem litteris exaratam, et a denuntiante subscriptam, vel etiam juramento firmatam, nisi de denuntiantis prudentia, pietate, et veracitate ita constet, ut hisce cautelis opus non sit.

3. Posita delictorum veritate, ordo tamen charitatis in Evangelio praescriptus (Matth. 18, 18) observandus est. Christus enim ait: *Si peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te, et ipsum solum; si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Non licet ergo peccatum Fratris sibi notum, sed caeteroquin occultum

statim Superiori aut Visitatori denuntiare; sed praemittenda est correctio fraterna, debito modo peracta, aut etiam repetita. Si haec non profuerit, *adhibere* oportet *unum, aut duos* viros prudentes, qui ad emendandum reum maxime idonei habentur, *ut in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum.* Si horum quoque conatus inutiles sint, denuntiatio facienda est *Ecclesiae* i. e. Praelato, qui majori auctoritate sua refractarium compescere possit. — Hunc ordinem charitatis ab ipso Christo stabilitum sine legitima causa invertere non licet. Interrogatus ergo a Visitatore, an quid denuntiandum sciat, respondere potest et debet, se nihil habere, quod denuntiet, quamvis forte peccatum alicujus occultum cognoscat, quem autem per praeviam correctionem fraternam emendare non studuit. Imo si etiam Superior aut Visitator praecipiat, ut sibi tale peccatum occultum manifestetur, tamen hac in re ipsi obediendum non est: nam, ait *Patuzzi* (de Decal. Dis. V, Cap. 8), tale praeceptum, utpote Evangelio contrarium, injustum dici debet; sed *obedire oportet Deo magis, quam hominibus.* — Negari autem non potest, graviter peccare Fratres, correctionem fraternam temere de die in diem differentes, praecipue si talis dilatio instante jam visitatione contingat.

4. Causae tamen dantur, ex quibus delictum, praetermissa correctione fraterna, statim Superiori, seu Visitatori manifestari non solum potest, sed et debet. Id sane faciendum est 1. si delictum cedat in magnum communitatis detrimentum, e. g. si quis doctrinas haereticas spargat, clam alios seducat, etc.; 2. si peccatum jam sit publicum et notorium, quia tunc reus jus ad bonam famam amisit; 3. si non ex praeconcepta opinione charitati, quae omnia sperat, penitus opposita, sed ex justis et solidis rationibus recte judicatur, correctionem fraternam inutilem fore; 4. si quis non tantum una aut altera vice ex inopinato casu aut vehementi quadam tentatione, sed jam saepius in peccatum luxuriae prolapsus sit, et in mala occasione versetur: cum enim hoc in genere peccantes emendari non soleant, nisi prava occasio tollatur, hanc vero communiter solus Praelatus removere possit: ideo juxta sententiam *S. Thomae* peccata voto castitatis contraria, in genere loquendo, statim sunt Superiori denuntianda. — Denique si Visitator de peccato quodam occulto jam talia indicia habet, ut de illo inquisitionem jure instituere possit, ipsi interroganti peccatum manifestandum est, quamvis correctio fraterna non fuerit praemissa.

§ 170.

V. De admonitione et correctione Fratrum.

TEXTUS. *Et moneant Fratres suos, et humiliter, et charitative corrigant eos.*

1. Visitationis scopus est conservatio vel restauratio observantiae regularis. Si ergo Ministri in sua visitatione quosdam inveniant, qui a recta semita deviaverunt, hos *monere,* i. e. paterno modo instruere, exhortari, conjurare, et *corrigere,* i. e. dure increpare, et punire tenentur. S. Franciscus, ait *Barth. Pisanus,* « ponit tres actus: *pri-* « *mum visitationis,* videlicet si aliquid deficit eis, et sic subveniendo « eis; item si aliquid contra Regulam et Ordinationes est commissum, « et hoc tam publice, quam private scire conentur, et hoc ut sciant, « quid agendum erga subditum. Et si cognoscerent, Subditum non « agere decenter et debite, B. Franciscus ponit *secundum actum,* « scilicet *monitionis;* quia Praelati non debent subditos statim ut « cognoscunt defectuosos poenitentia detegere vel percutere, sed juxta « Evangelium inter se et ipsos humiliter et benigne monere, ut « omittant, quae egerant, et ad virtuosa exercenda assurgant; et ubi « monitio non valeret, ponit B. Franciscus *tertium actum,* scilicet « *correctionis,* quae fiat non verbis exasperatoriis, sed humilibus et « charitativis; quia ut Fratrem lucrentur, debent eum corrigere; « dimittant in arguendo contumeliam, et sibi compassionem ostendant « et clementiam, non omittendo tamen justitiam, etsi cum mi- « sericordia. »

2. Primo itaque semper erga aberrantes benignitas et misericordia ostendenda est. Christus ideo cunctis Praelatis proponit exempla Patris filium prodigum suscipientis, et Pastoris boni ovem perditam quaerentis, et inventam humeris suis imponentis. S. Paulus absque dubio praecipue Praelatos alloquitur, dum Gal. 6. dicit: *Si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis.* Eumdem spiritum commendat etiam *S. Augustinus* Praelato (in Reg. ad Serv. Dei) dicens: « Circa omnes seipsum bonorum operum praebeat exemplum, corripiat

« inquietos, consoletur pusillanimes, suscipiat infirmos: patiens sit « ad omnes, disciplinam libens habeat, metuens imponat; et quamvis « utrumque sit necessarium, tamen plus a vobis amari appetat, quam « timeri, semper cogitans, Deo se pro vobis redditurum esse ra- « tionem ». *S. Bernardus* quoque clementiam et benignitatem cuilibet Superiori inculcat dicens: « Habeas ex fraterno ore oleum mansue- « tudinis, et ex divino amore vinum aemulationis; securus accede « ad sananda vulnera illius, qui incidit in latrones, piissimi Sama- « ritani optimus imitator » (Serm. 44. in Cant.). Male ergo agunt Superiores, qui ab omni mansuetudine remoti, statim ac defectum quemdam Subditorum suorum comperiunt, indignatione abripiuntur, verbis tonant, minis fulminant, vel etiam poenas dictant. — Multo magis isti obesse, quam prodesse solent, uti Glossa ad Cap. *Nisi cum pridem* etc., observat dicens: « Qui nimis emungit, solet extor- « quere cruorem: et violenta facit correctio deteriorem: sed mode- « rata satis correctio gignit amorem ». — Meminerint ergo praecipue Superiores nostri, juxta citata Regulae verba ipsorum officium esse, ut in primis Fratrem peccantem *moneant,* i. e. de turpitudine, malitia, et noxiis effectibus culpae suae persuadeant, eidem emendationis motiva et media suggerant, et per exhortationes, supplicationes, et conjurationes ipsum ad meliores fruges reducere conentur.

3. In magno autem etiam errore versaretur, qui putaret, nunquam rigore utendum, et semper a punitionibus abstinendum esse. Nam si paternae admonitiones refractarium non emendant, ad duras increpationes, vel etiam ad rigidas poenas procedendum est. Ideo enim Praelati potestate coercitiva a Deo praediti sunt: *non enim,* ait Apostolus, *sine causa gladium portant* (Rom. 13, 4); sed illo pro bono societatis uti tenentur. Quod si parentes filios suos contumaces, et Principes subditos suos nefarios punire obligantur; quis dubitabit, Praelatis regularibus erga subditos suos indisciplinatos eamdem obligationem inesse? — Ipsa experientia commonstrat, nullam societatem sive religiosam, sive civilem, sine potestatis coercitivae exercitio consistere posse. Celeber saeculi undecimi Abbas asserere non dubitavit, non tam peccata a Religiosis commissa, quam potius peccata a Superioribus non punita Ordines perturbare, disciplinam evertere, et scandala procreare.

4. Poenae, quae infliguntur, peccatis commissis proportionatae esse debent. Distingui ideo solent peccata *levia,* uti sunt defectus quotidiani, qui ex negligentia aut levitate animi committuntur, e. g.

fractio silentii, sumptio cibi aut potus extra tempus sine licentia, etc.; *gravia,* uti sunt omissio Confessionis aut Communionis diebus statutis, fractio jejunii, exemptio a choro sine justa ratione, et similia; *graviora,* uti sunt detractiones, calumniae, revelationes secretorum Ordinis, proprietas in materia gravi, contumax inobedientia, suspectum cum feminis consortium, gravis injuria aut contumelia alteri illata, etc.; *gravissima* sunt furtum rei notabilis, fornicatio, crimen nefandum, etc. Jam in levibus, et gravibus Guardianus vel Vicarius sine ullo scripto procedant, et, exclusa quavis appellatione, peccantes puniant per publicam in refectorio correctionem injungendo eis etiam vel orationem, vel abstinentiam, vel disciplinam. In gravioribus vero, et gravissimis delictis Provincialis, Generalis, vel eorum Commissarii scripte procedant, seu processum judicialem instituant, et causa cognita judicialiter sententiam pronuntient et poenam dictent. Haec nullus istis inferior praestare potest: sed tamen Superiores locales in casibus urgentibus, et ubi periculum esset in mora, tamquam Provincialium Delegati processum instituere, et de consensu Seniorum familiae reum, si ipsius fuga timetur, in carcerem (1) detrudere possunt, ac deinde Provincialem seu Commissarium de omnibus certiorem reddere tenentur. — Et magni sane momenti est, ut, si quis de graviori aut gravissimo crimine accusetur, processus judicialis instituatur, ne vel reus debitam poenam evadat, vel innocens plectatur, aut saltem perpetuae infamiae subjiciatur. Ut autem cognoscatur, quomodo processus judicialis sit instituendus, et quaenam poenae pro varietate criminum sint infligendae, consulenda est *Instructio judicialis,* seu *Modus procedendi in judiciis Fr. Min. Capuc.* a Capitulo generali anno 1847 adprobatus, et novis curis impressus. Magni denique momenti est, ut Praelati reo, si poenam subierit, et veram emendationem ostenderit, misericordiam exhibeant, et non jam semper praecedentium peccatorum memores sint, sed potius per favores vere contritum et emendatum recreare studeant, ut in bono magis magisque confirmetur (2).

---

(1) Datis legibus civilibus hodiernis, generatim impossibilis evadit usus carceris. Unde contra contumaces et incorrigibiles habetur recursus ad S. Sedem, ut expellantur ab Ordine cum solo Processu summario.

(2) Non possunt tamen remitti poenae canonicae, nisi habeatur ordinaria vel delegata potestas ad hoc: plures enim ex canonicis poenis reservantur Min. Generali vel S. Sedi.

§ 171.

VI. De praeceptis obedientiae imponendis.

TEXTUS. *Non praecipientes eis aliquid, quod sit contra animam suam, et Regulam nostram.*

1. Dum S. Pater Ministris injungit, ut Fratres visitent, moneant, et corrigant, verba etiam facit de praeceptis obedientiae iisdem imponendis. Frequenter enim bonum vel totius Communitatis vel singulorum Fratrum exigit, ut Praelati sua potestate legislativa utantur, aliquid vel praecipientes, vel prohibentes. S. Franciscus hanc in ipsis potestatem agnoscit; sed tamen limitem imponit, declarans, quod non possint Fratribus *aliquid praecipere, quod sit contra animam suam, et Regulam nostram. Contra animam* est non solum peccatum mortale, sed etiam veniale, imo etiam quidquid homini est occasio vehemens, sive incentivum proximum ad peccatum: *contra Regulam* dicitur non solum, quod est contra praecepta Regulae, verum etiam quod est contra statuta Ordinis, ad observandam Regulae puritatem promulgata, ut *quatuor Magistri, Hugo, Pisanus,* et alii dicunt. Et quoniam ipsa Regula obedientiam praecipit Papae, et Ecclesiae Romanae praestandam; ideo Praelati etiam nihil legibus ecclesiasticis contrarium praecipere possunt. Quantacumque ergo sit Ministrorum et Visitatorum potestas, tamen limitata est, et non extenditur ad ea, quae legibus divinis et ecclesiasticis, aut praeceptis et exhortationibus Regulae, aut Constitutionibus et Ordinationibus Capitulorum generalium contraria sunt. — Solummodo, ait *Viator a Cocaleo,* si necessitas quaedam urgeat, vel utilitas Ecclesiae aut Ordinis id postulet, possunt Praelati legitime id praecipere, quod in se malum et illicitum non est, quamvis forte exhortationibus Regulae, aut Constitutionibus, aut usibus piis opponatur; quia tale quid nec contra animam, nec contra Regulam dici potest, quae omnia ad majorem Dei gloriam, et animarum salutem dirigit.

2. Superiores in praeceptis obedientiae imponendis non nimis faciles esse debent, ne Subditorum conscientias nimium aggravent, et multorum peccatorum auctores fiant. Ipse S. Franciscus (Opusc.

9) Ministros monet, ut non cum nimia facilitate praecepta obe-
tiae imponant; scribit enim ad ipsos: « Non praecipiatis facile
r obedientiam; quia hoc est statim gladium evaginare, quod non
bet fieri, nisi matura consideratione, et magna occasione ». Hoc
n monent Constitutiones nostrae (cap. 10), et sana ratio id
ulat; quia praecepta nimis frequentia vilescunt, vigorem amittunt,
nimas ruinae spiritualis periculo exponunt. Errant ergo, praeclare
Bernardus Bonon., errant Superiores, qui unum tantum oculum
iunt, quo suam auctoritatem et potestatem respiciant, alium
m non aperiunt, quo fragilitatem humanam considerare, et circum-
tias attendere deberent, ex quibus judicandum est, an praeceptum
futurum sit, an non (Lect. 28, § 13).

3. Certum est, Praelatos posse etiam prohibere actus in se
s, a nulla lege positiva praeceptos, e. g. voluntarias orationes,
ifications, etc., et Subditos etiam hac in re illis obedire, et actus
ibitos omittere debere. Rationes etiam justae adesse possunt,
us Superior ad prohibendos actus quosdam pios adigatur: id
praestare potest, ut Subditi obedientiam probet, aut in abne-
one propriae voluntatis eum exerceat, vel ut eumdem a singula-
e et a vana gloria retineat, vel ut damna praecaveat, quae per
as vigilias, abstinentias, et alias mortificationes sanitati et vitae
ri possent. — Si autem tales justae rationes non adsint, certum
Superiorem pro suo tantum arbitrio actus bonos prohibentem
are, et Deo rationem reddere debere. — Abnegatio propriae vo-
atis certe bona est, et obedientia a Subdito praestita victimas
cellit; sed male procedunt animarum directores, si obedientiam
tantum in omissione actuum bonorum, ad quam ipsa natura
nat, probare et exercere volunt. Sicut in directione equorum non
n fraeno, sed saepe calcaribus opus est; ita, ut animae bene
antur, ab immoderato quidem fervore retinendae, sed frequentius
onum excitandae et impellendae sunt. Neque omnes statim de
sa singularitate, aut de vana gloria arguendi sunt, qui opera
dam supererogatoria exercere, et magno fervore ad perfectionem
ere student; id enim omnes Sancti praestiterunt. Perversum ergo
cipium statuunt, qui dicunt, ad vitandam singularitatem opera
rerogatoria omittenda esse: tale principium, ait *Bernardus Bon.*,
jam effecit, ut in Ordinibus religiosis fervor decresceret, et
magis magisque invalesceret, cum antiqua inter Religiosos
uetudo evanuerit, se invicem ad virtutum actus cum sancta

aemulatione incitandi. Constitutiones nostrae nullatenus censent, omnia, quae singularia sunt, prohibenda esse: nam (cap. 3) ordinant, illos Fratres, qui a vino, carne, ovis, aut aliis cibis abstinere, aut extraordinarium jejunium servare volunt, a Praelatis non impediendos, sed potius in bono proposito confirmandos esse, dummodo cognoscant, id ipsis nocumentum non inferre. Pro sanitate et vita absque dubio cura est habenda; sed non immoderata, ad quam natura sensualis inclinat, et quae efficit, ut major ratio sanitatis, quam sanctitatis habeatur (Cf. *Bern. Bon.* L. 23, § 15).

§ 172.

VII. De Visitationis conclusione.

1. Sicut Visitatio per sermonem circumstantiis adaptatum incipi solet, sic etiam per sermonem pia unctione plenum terminari debet; in quo Visitator non omittet, communes abusus, ordinationes, publicasque vel Regulae vel Constitutionum transgressiones, quas observavit, indicare, reprehendere, totamque familiam ad seriam emendationem exhortari. Finito hoc sermone omnes Fratres, primo Laici, dein Clerici, ac demum Sacerdotes culpam suam dicere tenentur; et valde convenit, ut Visitator hac occasione singulis congruentia monita det, tepidos excitet, indisciplinatos corrigat, bonos vero laudet et ad sanctam in bono perseverantiam commoneat. Publicae istae admonitiones et correctiones efficaciores, quam privatae esse solent. Magna autem hac in re prudentia et circumspectione opus est, ne Visitator vel tacendo et connivendo familiam offendat, quae dyscolorum publicam correptionem exspectat et postulat; vel loquendo, et increpando delictum non omnibus notum manifestet, correptorum animos exasperet, variis suspicionibus ansam praebeat, et sic pacem familiae turbet. Praestat ergo, tunc solum publicis his correptionibus uti, si delictum sit publicum, si praecesserit correctio privata, et reus delictum suum negare non potuerit, et si ex publica correptione plus emolumenti, quam detrimenti exspectandum sit. — His peractis Visitator Fratribus consuetam absolutionem, et benedictionem cum indulgentia plenaria ex concessione *Leonis X* impertitur (V. *Bonagrat.* V. *Visitator,* n. 462).

2. Concilium Tridentinum Episcopis suas dioeceses visitantibus praecipit, ut « studeant quam celerrime, debita tamen cum diligen-« tia, visitationem ipsam absolvere: interimque caveant, ne inutilibus « sumptibus cuiquam graves onerosive sint:... nec pecuniam, nec « munus, quodcunque sit, etiam qualitercunque offeratur, accipiant;... « exceptis tamen victualibus, quae sibi, ac suis frugaliter, modera-« teque temporis tantum necessitate, et non ultra, erunt mini-« stranda » (Sess. 24, c. 3. de Ref.). Ordinationes vero istas etiam a Visitatoribus Regularibus observandas esse, apparet ex eodem Concilio, quod (Sess. 25, cap. 8. de Regular.) dicit: « Visitatores te-« neantur suae Congregationis monasteria frequenter visitare, et il-« lorum reformationi incumbere, et ea observare, quae in sacris Ca-« nonibus, et in hoc sacro Concilio sunt decreta. » — Visitatores ergo 1. non diutius in Conventibus commorentur, quam ad finem visitationis promovendum necessarium fuerit; 2. lautiora nec appe-tant, nec permittant convivia, licet conveniens sit, ut ultra com-munem mensam singulare quid tum Visitatori, tum sociis ejus ap-ponatur; 3. Superflua in cellarum visitatione inventa communiter Visitatores non pro se retineant, sed Superiori locali tradant, ut pro necessitatibus Fratrum impendantur, vel tempore mendicationis benefactoribus distribuantur; 4. finito ultimo sermone, et absolutione ac benedictione Fratribus impertita, mox a Conventibus abscedant, ne longiori ac magis familiari conversatione infirmitatem quamdam prodentes, auctoritati suae detrahant, et fructus visitationis immi-nuant (Cf. *Viator a Cocaleo,* in Cap. 10, Exp. 5).

3. Post completam visitationem et Visitatoris discessum, Supe-rioribus localibus strictissima obligatio incumbit, omnem sollicitudi-nem adhibendi, ut ea, quae a Visitatore ordinata sunt, accurate adimpleantur: alias enim visitatio peracta desideratos fructus ferre nullatenus poterit (1). — Generatim extra visitationis tempus ea, quae

(1) Circa Visitationem canonicam, omnino serventur quae Cap. Gen. LXV, art. 48 et 49, nuper ordinavit: « Ne sacrae et canonicae Visitationes ad sim-« plicem formalitatem reducantur, Provinciales ad mentem Concilii Tridentini « omnia diligenter observent, ac praesertim inquirant, utrum ordinata in Visi-« tatione antecedenti adimpleta fuerint, et si invenerint culpabiliter neglecta « fuisse, transgressores pro gravitate culpae reprehendant ac puniant. Visita-« tione autem expleta, Ministri Provinciales de statu totius Provinciae *materiali,* « *oeconomico, personali et disciplinari* Ministrum Generalem certiorem red-

de admonitione et correctione Fratrum, ac de praeceptis obedientiae imponendis dicta sunt, a Superioribus localibus observari debent: isti enim, utpote Subditis suis semper praesentes, invigilare debent, ut observantia regularis non deficiat, et ut quaelibet inordinatio aut disciplinae relaxatio praecaveatur, aut si jam aditum invenerit, statim iterum eradicetur et propellatur.

ARTICULUS II.

§ 173.

De Obedientia Subditorum.

Obedientiae convenientiam et necessitatem ostendit *S. Thomas* (2. 2, quaest. 104, art. 1) dicens: « Oportuit in rebus naturalibus, « ut superiora moveant inferiora ad suas actiones per excellentiam « naturalis virtutis collatae divinitus. Unde etiam oportet in rebus « humanis, quod Superiores moveant inferiores per suam voluntatem « ex vi voluntatis divinitus ordinatae. Movere autem per rationem « et voluntatem est praecipere: et ideo sicut ex ipso ordine natu- « rali divinitus instituto inferiora necesse habent subdi motioni su- « periorum, ita etiam in rebus humanis ex ordine juris naturalis et « divini tenentur inferiores suis Superioribus obedire ». Et sane, ait *S. Chrysostomus* (Hom. 34. in Ep. ad Hebr.), sicut omnia perturbantur, si musici suo directori, milites suo duci, remiges suo gubernatori obedire recusant; sic — semota obedientia — omnem societatem civilem, domesticam, et religiosam misere perturbari, atque everti necesse est. Ideo S. Franciscus Fratribus suis obedientiam erga Praelatos frequenter et enixe inculcavit. Nam jam in capite primo declarat, Regulam et Vitam Fratrum Minorum esse, D. N.

« dant. — Superiores locales infra tres menses a Visitatione, certiorem reddere « debent P. Provincialem de executione eorum, quae in Visitatione ordinata « fuerunt, et volumus, ut hac in re nulla dispensatio concedatur. Ad hoc ipsum « obligantur infra annum PP. Provinciales quoad P. Ministrum Generalem, oc- « casione Visitationis ab ipsomet vel ab ejus Delegato peractae. »

Jesu Christi Evangelium observare *vivendo in obedientia* etc.; et in fine addit: *Fratres teneantur Fratri Francisco, et ejus Successoribus obedire:* in secundo capite ait: finito anno probationis *recipiantur ad obedientiam*, et vult, ut hanc in solemni professione voveant et promittant: ac in praesenti capite ipsis factam hanc promissionem in mentem revocat, et eis firmum Ministris obediendi praeceptum imponit. Agendum itaque hic est 1. *de obedientiae excellentia et perfectione*, 2. *de praecepti obedientiae extensione*, et 3. *de gravitate transgressionum praecepti obedientiae.*

§ 174.

I. De Obedientiae excellentia et perfectione.

TEXTUS. *Fratres vero, qui sunt subditi, recordentur, quod propter Deum abnegaverunt proprias voluntates.*

1. Obedientia est virtus, quae reddit promptam hominis voluntatem ad exequendam voluntatem alterius, scilicet praecipientis. — Quanta sit hujus virtutis excellentia, patet ex S. Scriptura, quae I. Reg. 15. dicit: *melior est obedientia, quam victimae.* Quae verba declarat *S. Thomas* (2. 2, q. 104, art. 3) dicens: « Tria sunt ge-« nera bonorum humanorum, quae homo potest contemnere propter « Deum, quorum infimum sunt exteriora bona, medium autem sunt « bona corporis, supremum autem sunt bona animae; inter quae « quodammodo praecipuum est voluntas, in quantum scilicet per vo-« luntatem homo omnibus aliis bonis utitur. Et ideo per se lauda-« bilior est obedientiae virtus, quae propter Deum contemnit pro-« priam voluntatem, quam aliae virtutes morales, quae propter Deum « aliqua alia bona contemnunt ». Alibi (2. 2, q. 185, art. 5, ad 5) idem S. Doctor ait: « Nihil majus potest homo dare Deo, quam quod « propriam voluntatem propter ipsum voluntati alterius subjiciat ». Ejusdem sententiae est *S. Gregorius M.*, qui obedientiam mortificationibus praeponit (l. 2, in I. Reg.), dicens: « Longe altioris est « meriti propriam voluntatem alienae semper voluntati subjicere, « quam magnis jejuniis corpus atterere, ac per compunctionem se « in secretiori sacrificio mactare.... Nam *melior est obedientia, quam*

« *victimae;* quia qui perfecte voluntatem praeceptoris sui implere « didicit, in coelesti regno et abstinentibus, et flentibus excellit ». — SS. Patres etiam obedientiam aliorum virtutum matrem, et custodem vocant. Sic *S. Augustinus* eam appellat virtutem, « quae in natura « rationali mater quodammodo est, custosque virtutum » (De Civ. Dei l. 14, c. 12). Et *S. Gregorius M.* ait: « Sola virtus est obe- « dientia, quae virtutes caeteras menti inserit, insertasque custodit » (Mor. l. 35, c. 10). Communis est etiam Ascetarum sententia, quod per obedientiam tentationes daemonum facillime vincantur. Ideo Prov. 21, 28 dicitur: *Vir obediens loquetur victorias;* et *S. Gregorius M.* (Mor. l. 4, c. 10) ait: « Cum hominibus pro Deo subjici- « mur, superbos Spiritus superamus. Caeteris quidem virtutibus dae- « mones impugnamus, per obedientiam vincimus. Victores ergo sunt, « qui obediunt; dum voluntatem suam aliis perfecte subjiciunt, ipsis « lapsis per inobedientiam Angelis dominantur ». Illos vero, qui proprium arbitrium sequentes obedire recusant, facile decipi et vinci, experientia testatur. — Excellentia obedientiae demum ex eo vel maxime elucet, quia haec virtus nos omnis perfectionis et sanctitatis exemplari, nimirum Christo, Filio Dei, conformes reddit, qui suis parentibus *subditus* esse voluit (Luc. 2, 25), et erga aeternum suum Patrem *factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (Phil. 2).

2. Ut obedientia perfecta sit et meritoria, opus est, ut voluntas propria *propter Deum* voluntati Superiorum subjiciatur. Talis esse debet obedientia Religiosorum, talemque in professione vovent. Ideo S. Franciscus ait: *Fratres vero, qui sunt subditi, recordentur, quod propter Deum abnegaverunt proprias voluntates.* Praecipuum ergo motivum perfecte obediendi ex eo repetendum est, quia omnis Superior personam Dei repraesentat, et nomine Dei praecipit; nam ait Apostolus: *Non est potestas nisi a Deo; quae autem sunt, a Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Rom. 13. Hoc idem innuit Christus, ad Apostolos suos dicens: *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit:* in quae verba *S. Bernardus* ait: « Deus Praelatos sibi quandoque aequare in « utraque parte dignatur. Sibimet imputat illorum reverentiam et « contemptum, specialiter contestans eis: *Qui vos audit, me audit,* « *qui vos spernit, me spernit.* An non hoc ipsum et Regula nostra « perhibet, ubi ait: obedientia, quae majoribus praebetur, Deo exhi-

« betur? — Quamobrem, quidquid vice Dei praecipit homo, quod « non sit tamen certum displicere Deo, non secus omnino accipien- « dum est, quam si praecipiat Deus » (De praec. et disp.). Ex hoc motivo obediendum est Superioribus velociter sine cunctatione, simpliciter sine discussione, et hilariter sine tristitia aut interna indignatione. « Fidelis obediens, ait *S. Bernardus*, nescit moras, « fugit crastinum, ignorat tarditatem, — parat oculos visui, aures « auditui, linguam voci, manum operi, itineri pedes, totum se col- « ligit, ut imperantis colligat voluntatem » (Serm. de virt. obed.). Idem S. Doctor simplicem exigit obedientiam, quae Superiorum mandata discutere non praesumat; nam ait (de praec. et disp.): « Im- « perfecti cordis, et infirmae prorsus voluntatis indicium est, statuta « Seniorum studiosius discutere, haerere ad singula, quae injun- « guntur, exigere de quibusque rationem, et male suspicari de quo- « libet praecepto, cujus causa latuerit; nec unquam libenter obedire, « nisi cum audire contigerit, quod forte libuerit, aut quod non aliter « licere aut expedire monstraverit vel aperta ratio, vel indubitata « auctoritas. Delicata satis, imo nimis molesta est hujusmodi obe- « dientia ». Coeco ergo modo, seu, ut dicit Apostolus (Ephes. 6, 5), *in simplicitate cordis* Superioribus obediendum est in omnibus, iis tantum, quae manifeste illicita sunt, exceptis. Denique, ait *S. Bernardus*, « tertius gradus obedientiae est hilariter obedire, *non ex « tristitia*, inquit Apostolus, *non ex necessitate; hilarem enim « datorem diligit Deus* » (II. Cor. 9, 7). Et haec hilaritas etiam exterius manifestanda est; nam, prosequitur S. Doctor, « serenitas « in vultu, dulcedo in sermone multum colorat obedientiam obse- « quentis » (Serm. de virt. obed.). Talis obedientia perfecta, et si in arduis quoque praestetur, heroica dici meretur.

§ 175.

II. De praecepti obedientiae extensione.

TEXTUS. *Unde firmiter praecipio eis, ut obediant suis Ministris in omnibus, quae promiserunt Domino observare, et non sunt contraria animae suae, et Regulae nostrae.*

1. Ex hisce verbis clarissime patet, Fratres Minores per gravissimum praeceptum ad obedientiam obligari. Si autem quaeritur, *quibusnam* obedientia praestanda sit, S. Pater id exprimit dicens: *obediant suis Ministris.* « Et dicit *suis*, ait *S. Bonaventura*, ut « de Provincialibus, et aliis Praelatis immediatis se loqui ostendat, « qui supra de obedientia ad Generalem Ministrum primo capite est « locutus ». — Generatim loquendo illis omnibus obediendum est, qui legitimam praecipiendi facultatem, seu qui jurisdictionem in Fratres tenent. Juxta Constitutiones nostras gradus hierarchici, seu illi, qui jurisdictionem in Fratres exercere valent, et ad quos etiam gradatim appellatio fieri potest, sic ascendendo sibi succedunt, nimirum: *Guardianus*, cui aequivalet in hospitiis *Superior*, et in illius absentia *Vicarius, Minister Provincialis, Minister Generalis, Emin. Protector Ordinis, S. Congregatio, Summus Pontifex.* — Notandum vero est, quod per Bullam *Innocentii XII* (v. Bull. T. VI, p. 446) Protectoris Ordinis jurisdictio restricta fuerit, ita ut speciale tribunal haud amplius constituat (1). Reliquis vero a Fratribus Minoribus tum ex praecepto Regulae, tum ex vi voti obediendum est. In praeceptorum vero conflictu majori semper auctoritati obtemperandum esse, ipsa sana ratio docet.

2. Si quaeritur, *in quibus* Subditi teneantur obedire suis Praelatis, dicendum est, praeceptum obedientiae Fratribus Minoribus injunctum latissimam extensionem habere. Non defuerunt quidem etiam inter minoriticos Scriptores, qui assererent, Fratribus Minoribus non majorem, quam aliis Religiosis, obediendi obligationem impo-

(1) Vide § 191, n. 3.

sitam esse: quia S. Pater tantum praecipit, ut obediant in iis, quae *promiserunt;* non promiserunt autem nisi servare Regulam vivendo in obedientia, sine proprio, et in castitate. In iis ergo, quae neque ad Regulam, neque ad vota spectant, strictam obediendi obligationem non habent, sed ea solum ex honestate, aut charitate perficere tenentur. — Sed haec obedientiae declaratio a celeberrimis seraphicae Regulae Expositoribus omni jure rejicitur. Nam si per citata verba S. Pater obedientiae objectum in sensu praedicto limitasset, Praelati suis subditis nil sub obedientia praecipere possent, nisi ad quod jam vi votorum, aut tenore Regulae tenerentur, et sic potestas eorum legislativa ad solam legum declarationem restringeretur: quod cum aperte falsum sit, omnino concedendum est, S. Patrem per citata verba obedientiae objectum nullatenus in sensu praedicto restrinxisse, sed potius primo quidem obedientiam praescripsisse in illis, *quae promiserunt Domino observare,* et secundo *in omnibus, quae non sunt contraria animae suae, et Regulae nostrae;* ita, ut unice per haec verba objectum obedientiae limitetur, in reliquis autem omnibus obediendum sit. — Ex hac ratione jam *S. Bonaventura* probavit, obedientiam Fratribus Minoribus injunctam perfectiorem esse illa, quam caeteri Monachi vovent; ait enim: « Monachorum obedientia « duobus constringitur: primo, quia obedientiam vovent salva stabi- « litate ad locum; secundo, quia ad nihil obedire tenentur, quod « Regulam suam transcendere demonstratur. Altior est ergo obe- « dientia eorum, qui nullum habent in hoc mundo loci jus proprium, « quo sua obedientia restringatur. Item altior est illorum obedientia, « quorum altior et arctior est Regula, ex qua tenentur Regulae « professores nihil respuere, nisi sit Regulae ipsi contrarium, vel « saluti directe, vel aequaliter. Illi ergo soli abnegationis contrariae « secundo modo dictae gradus perfecte attingunt, qui in omnibus « indifferentibus subduntur beneplacitis alienis, qui nullum habent « patrocinium loci stabilis, aut regionis, ad quam ex obedientia con- « trahantur, qui nihil, si obedientialiter impositum fuerit, possunt « respuere quasi suam transcendens Regulam, nisi vergat in animae « suae detrimentum » (in cap. I. Regulae). Etiam *Hugo, quatuor Magistri, Petrus Joannes, S. Bernardinus, Politius* et alii docuerunt, Fratribus Minoribus in omnibus obediendum esse, iis tantum exceptis, quae illicita sunt. Hoc idem innuunt Romani Pontifices in suis Constitutionibus, quibus seraphicam Regulam illustrarunt. Sic *Martinus V* (cap. ult.) ait: « Volumus, mandamus, ac praecipimus

« universis, et singulis Fratribus, quod suis Praelatis teneantur « firmiter obedire in omnibus supradictis (de observantia Regulae), « et aliis licitis, et honestis, quae non sunt contra animam suam, « et Regulam dicti Ordinis ». Et *Leo X* ait: « Volumus, et man- « damus, prout in dicta Regula S. Francisci continetur, ut omnes, « et singuli Fratres in omnibus, quae non sunt contra Deum, animam « suam, et Regulam Fratrum Minorum, teneantur obedire. »

3. Subditi non obligantur, sed omnino prohibentur obedire, dum talia praecipiuntur, quae in se mala, seu graviter aut leviter illicita sunt; haec enim *contra animam* esse censentur: sed *oportet Deo magis obedire, quam hominibus.* Idem dicendum est si quid Subdito praecipitur, quod ipsi est proxima occasio peccati mortalis, seu vehemens incentivum ad istud; nam ex lege divina occasio proxima est vitanda; et ipsa S. Scriptura dicit: *qui amat periculum, in illo peribit* (Eccli. 3). Notari tamen hic debet, quod Subditus, cui id praecipitur, quod ipsi ob propriam culpabilem infirmitatem, seu corruptionem praebet proximam graviter peccandi occasionem, in conscientia teneatur malitiam suam deponere, iniquam passionem domare, et media salutaria adhibere, ut ex occasione proxima saltem remotam faciat, seque idoneum reddat ad Superioris praeceptum adimplendum; quod si perficere nolit, praeceptum non adimplens ab inobedientiae peccato excusari nequit. Obediendum pariter non est Superioribus talia praecipientibus, quae sunt *contra Regulam,* i. e. quae vel Regulae praeceptis, vel Constitutionibus Ordinis opponuntur. Attendere autem hic oportet, an agatur de materia, circa quam Praelatus dispensare potest; nam si praecepta talia forent, in quibus Praelatus rationabiliter et legitime dispensaret, et dispensando praeciperet, e. g. si ex consilio medici infirmum a jejunio dispensaret, eumque die Veneris carnes manducare juberet, etc., talia jam contra Regulam esse cessarent, atque ideo ex obedientia perficienda essent, ut communiter sentiunt Doctores.

4. Ut Subditus Superiori suo praecipienti sine culpa obedientiam recusare possit, semper requiritur, ut certo constet, ea, quae praecipiuntur, aut contra animam, aut contra Regulam esse. Quodsi hoc solummodo dubium foret, Superiori obedire oportet; quia praesumptio stat tum pro rectitudine praecepti ex parte Superioris, tum pro obligatione obediendi ex parte subditi. Ideo, teste *Politio,* gravissimi auctores in hoc consentiunt, quod in dubio subditi suis Superioribus obedire teneantur. Si vero Subditus dubitet, an ad officium sibi

injunctum rite adimplendum sufficientes vires habeat, vel an in mandati executionem proximam peccandi occasionem incurrat; potest quidem candide statum et conditionem suam Praelato manifestare, sed tamen ultimo se ipsius judicio et praecepto subjicere debet. Nam *Leo X* concessit Praelatis, ut cum consilio Patrum Discretorum dubia declarare et determinare possint, quid Subdito faciendum sit, ut in conscientia sit securus.

5. Nonnulli, ut determinent, in quibus obediendum sit, distinguunt non solum ea, quae *juxta,* aut *contra,* sed etiam ea, quae vel *supra,* vel *infra,* vel *ultra* Regulam sunt. Sed haec distinctio, ait *Viator a Coc.,* superflua est, cum semper solummodo inquirendum sit, an id, quod praecipitur, contra animam, vel contra Regulam sit, et cum secus semper obedire oporteat. Ergo etiam si res indifferentes, futiles, aut jocosae (1) praeciperentur, obediendum esset; quia juste praecipi possunt aut pro exercitio humilitatis et mortificationis, aut in ipsius obedientiae probationem, uti multa exempla in antiquorum Monachorum historiis reperimus. — Si ordinariae mortificationes, vel justo graviores poenae injunguntur, tenentur subditi obedire, nisi manifeste constet, per praecepti executionem gravius officium laedi: possunt autem in his casibus ad Superiores majores recurrere, ut per illos Superioris inferioris praeceptum irritetur. — Denique Superiores possunt etiam ea praecipere, in quibus a Regula libertas conceditur; quia ad Superiores spectat judicare, an praestet libertate a Regula concessa uti, vel non: ideo e. g. Subditus Superiori obedire tenetur praecipienti, ut hiemis tempore praeter habitum etiam tunicam portet. Caute tamen Superiores hac in re procedere debent; nam sine justa et gravi causa libertates a Regula concessas restringentes, multis inordinationibus et perturbationibus ansam praebere possent. Nec unquam, ait *Viator a Cocal.,* Superioribus facultas competit, libertatem quamdam a Regula concessam

(1) Id tamen raro faciendum est a Superioribus; et imprudentissimi forent, si sub formali obedientiae praecepto talia leviter praescriberent. Attendendum etiam ad debilitatem eorum, quibus talia praecipiuntur, ne eorum virtus periculum alicujus spiritualis ruinae patiatur. Et generatim si quando haec simpliciter jubentur, potius agitur de virtute quam de voto obedientiae, vel saltem inobedientia veniale non excedit; imo si Superior vane ac jocose et non serio praecipiat, nullum erit peccatum. Tamen vir verae obedientiae amator, non utitur cavillationibus, sed humiliter ac simpliciter obedit in omnibus, quae absque peccato fieri possunt.

penitus abrogandi, sicut ipsam Regulam mutandi potestatem non habent. Imo juxta *Politium* in tribus Regulae libertatibus non tenentur subditi suis Praelatis obedire: nimirum 1. si praeciperent, ut quis tempore manifestae necessitatis jejunaret, quia tale praeceptum irrationabile esset, et injustum; 2. si prohiberent, ne Subditus recurreret pro spirituali Regulae observantia ad suum Ministrum; 3. si prohiberent absque justa et rationabili causa, ne Subditus eat ad Infideles ad Evangelium praedicandum (1): has Regulae libertates Praelati restringere non valent.

§ 176.

III. De gravitate transgressionum praecepti obedientiae.

1. Fratres Minores professi, suo Superiori praecipienti non obedientes, tum eminens Regulae praeceptum, tum etiam solemne suum votum violant. Ut autem de transgressionum virtuti obedientiae oppositarum gravitate rectum judicium feratur, distinguenda imprimis est voluntas Superioris, Subdito manifestata, a praecepto obedientiae stricte dicto. Si Superior voluntatem suam, seu desiderium suum Subdito manifestet, ut hoc, vel illud faciat, aut omittat, quin tamen eum in virtute obedientiae ad id obligare intendat, perfectio, ad quam quilibet Religiosus tendere debet, absque dubio exigit, ut prompto animo Superioris voluntatem exequi studeat: si autem id perficere negligat, talis transgressio per se non excedit culpam venialem. Aliter autem dicendum est de obedientiae praeceptis stricte dictis, per quae a legitimo Superiore specialis quaedam actio Subdito in virtute obedientiae praescribitur, vel prohibetur. Horum praeceptorum transgressio subditum inobedientiae stricte dictae reum constituit. Ut autem talis transgressio peccatum mortale efficiat, requiritur 1. ut Superior intentionem habeat Subditum graviter obligandi;

(1) Attamen cum hodie res pendeat a Ministro Generali et a S. Sede, hic casus non est practicus. Imo si talis casus dari posset, vix practicus foret; vixque a praesumptione liberari posset frater, qui munus apostolicum tali modo susciperet.

2. ut materia, quae praecipitur, aut prohibetur, gravis sit: et 3. ut ipsum praeceptum in se justum haberi possit et debeat (1).

2. *Primo* ergo requiritur, ut Superior intentionem habeat, Subditum graviter obligandi, et eamdem huic sufficienter manifestet. Cum enim praecepta obedientiae stricte dicta sint actus auctoritatis, seu jurisdictionis, quam Superior in Subditum exercet, omnino opus est, ut ille velit sua auctoritate, seu jurisdictione uti, et ut proinde intentionem habeat hunc graviter obligandi. Haec autem Superioris intentio ex ipsis terminis, quibus utitur, dignosci potest, e. g. si dicat: *praecipio in virtute s. obedientiae;* vel *jubeo ut tuus Praelatus,* seu *nomine Dei; volo, ut id facias sub interminatione divini judicii;* etc. Eadem Superioris intentio hinciude a poenis gravibus, quas minatur, dignosci potest, cum ob gravem solummodo transgressionem gravis poena injungi possit. Ex poenis tamen transgressionis gravitas desumi non posset, si constaret, Superiorem legem mere poenalem statuere, ita ut quodammodo liberum maneat Subdito legem implere, vel poenam subire. Caeterum, ait *Politius* (in c. 10, n. 55 etc.), « nostra Religio habet, ut nunquam Praelatorum prae- « cepta obligent ad mortale, nisi quando dicitur: *praecipio,* vel *per* « *sanctam obedientiam injungo,* etc., ut annotavit *Hugo* hic. Caetera « autem simplicia Praelatorum mandata, scilicet: *fac hoc, vel il-* « *lud,* etc., solum praecepta sunt largo modo sumpta, ad veniale « tantum obligantia, nisi aliunde certe et indubitanter constet de « intentione praecipientis, quod scilicet intendat obligare sub mortali: « si enim scitur, quod praecipientis intentio fuit obligandi ad mor- « tale, mortalis erit transgressio, licet verba talia non sint, quae « praeceptum grave videantur inducere. »

3. Ad gravem obligationem imponendam *secundo* requiritur, ut praeceptum cadat in materiam gravem: si ergo Superior rem levem et parvi momenti praecipit, non tenetur Subditus obedire sub mortali, sed tantum sub veniali. Ratio est, quia praecepta humana non magis obligant, quam divina: quare cum in praeceptis divinis excuset parvitas materiae a peccato mortali, multo magis id dicendum est de praeceptis humanis. Praeterea in genere loquendo non censetur adesse justa causa, rem levem tam stricte et sub gravi obligatione

(1) Sufficit ut praeceptum sit justum: tunc enim uti justum haberi debet. Imo in dubio praesumendum justum, quia praesumptio stat pro Superiore, ut habet Auctor supra, § 175, n. 4.

praecipiendi; deficiente vero hac justa causa, praeceptum Superioris non habet vim obligandi sub mortali. Notandum vero est, rem levem et in se parvi momenti aliquando transire posse in materiam gravem; quod tum ratione periculi, tum ratione scandali, tum ratione effectuum, aut circumstantiarum contingere potest; et tunc Superior sub gravi praecipere potest, et Subditus sub gravi obedire tenetur.

4. Ad gravem obligationem imponendam *tertio* requiritur, ut lex sit justa; nam juxta *S. Augustinum,* quod non juste praecipitur, lex dici nequit. Tunc autem Superioris praeceptum justum est, si imponitur ex honesta et rationabili causa, nimirum in bonum vel commune totius familiae, vel privatum ipsius subditi; si limites potestatis non excedit, et si non superat vires subditi. Econtra praeceptum injustum, ac nullius valoris merito censetur, si absque rationabili causa, ex levitate animi, vel ex iniqua passione, vel ex falso supposito imponitur; aut si limites legislativae potestatis excedit, e. g. si Provincialis sine auctoritate Generalis mitteret Subditum in virtute obedientiae in aliam provinciam; vel si id, quod praecipitur, omnino superat vires subditi, aut ab hoc sine maxima difficultate, aut imminenti gravis damni periculo impleri nequit; quia tunc esset potius atrox violentia, quam justum praeceptum: ideo hisce in casibus Superior praecipiendo graviter peccaret, Subditus autem ad obediendum non obligaretur. Notandum vero est, quod certo et manifeste constare debeat, legem esse injustam, ut Subditus ab obediendi obligatione eximatur; nam si solummodo dubium sit, an praeceptum ex rationabili causa imponatur, vel an potestatem Superioris, aut vires subditi excedat, praesumptio stat pro Superiore, et Subditus tenetur obbedire.

5. In confesso est apud omnes, transgressiones praeceptorum graviores reddi, si fiant ex formali contemptu vel legis, vel legislatoris. — Formalis legis contemptus adest, si Subditus contemnit praeceptum Superioris absolute et simpliciter; dum nimirum aliquod non vult facere, aut omittere eo ipso, quia praeceptum, aut prohibitum est: talis contemptus formalis a culpa mortali non vacat, licet praeceptum rem levem concernat. Si autem Subditus non absolute contemnit praeceptum Superioris, sed secundum quid, uti Theologi dicunt, nimirum quatenus versatur circa rem inanem, absonam, superfluam, etc.; talis contemptus non est formalis, et peccatum veniale non excedit. Eodem modo quando Subditus contemnit Superiorem ut talem, hoc est, quatenus habet auctoritatem praecipiendi, tunc peccat

mortaliter: ast si ipsum contemnit ut hominem indiscretum, imprudentem, superbum, etc., solum peccat venialiter, uti communiter sentiunt Doctores; qui tamen monent, etiam a tali contemptu sollicite cavendum esse, tum quia reverentiae et charitati Praelatis debitae opponitur, tum quia pessimos effectus producere solet.

6. Transgressiones praecepti obedientiae ex variis causis produci solent, quae earumdem malitiam coram Deo nec excusare, nec minuere valent. Nonnulli enim obedire recusant, quia ipsum Superiorem vilipendunt, quem ingenio, doctrina, prudentia destitutum putant, sive aetate, et meritis se inferiorem sciunt, sive in quo inordinatas passiones, et sat culpabiles defectus observant. — Sed qui ideo se ab obediendi obligatione exemptos putant, gravissime errant. Nam Superiori obediendum est non ob ejus doctrinam, ingenium, prudentiam, etc., sed ob dignitatem illius, cujus vices gerit (§ 173, n. 2). Ideo Superiori indocto et simplici, sicut docto et sagaci subesse oportet, prout imago Christi crucifixi lignea non minorem quam argentea venerationem meretur. — S. Franciscus professus est, se velle Novitio unius horae obedire, si Praelatis majoribus hunc ut Superiorem denominare placuerit. « Christus ipse, ait *S. Bernardus* « (Serm. 19. in Cant.), Verbum et Sapientia Patris, sequi non de- « spexit fabrum, et feminam, *et erat subditus illis:* intolerabilis « itaque impudentiae est, ut, ubi se exinanivit Majestas, vermiculus « infletur et intumescat ». — Aetas non semper bonarum qualitatum, et meritorum mensura est: quapropter, si Praelati majores juniorem senioribus praeficiunt, de illo dicendum est, quod S. Paulus de suo Timotheo dixit: *Nemo adolescentiam tuam contemnat* (I. 4, 12). — Si Superiores a defectibus et peccatis liberi non sunt, nullatenus tamen ipsis justa praecipientibus obedientia recusari potest. De illis potius valet, quod Christus de Pharisaeis dixit: *Quaecunque dixerint vobis, servate, et facite: secundum opera vero eorum nolite facere* (Matth. 23, 3). S. Petrus ait: *Servi, subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis* (I. Petr. 2, 18). *S. Bonaventura* (de grad. virt. cap. 2) ait: « Bona « est obedientia Deo immediate praestita; melior ex amore Dei prae- « stita homini discreto; optima ex amore Dei praestita Superiori « indiscreto, mendoso, etc. » — Frequenter etiam prompta obedientia obstacula invenit ex parte praeceptorum, quae hincinde nimis dura, absona, aut rationi contraria videntur. Sed Subditi talia judicantes plerumque a daemone decipiuntur, qui ipsis eadem suggerit, quae

ad Evam dixit: *Cur praecepit vobis Deus* etc. (Gen. 3). Sane Subditorum non est praecepta examinare, eorumdemque rationes inquirere, sed illa adimplere. Praelati saepe justissimas praecipiendi rationes habent, quas manifestare nunquam tenentur, et saepe licite non possunt. Subditi ergo praecepta, quae manifeste injusta non sunt, semper adimplere debent.

7. Nonnulli praecepta Superiorum sibi dura, molesta, aut quomodocumque genio suo contraria directe violare nolunt, ne tanquam iniqui Regulae ac voti sui transgressores traducantur; atque ideo omnem lapidem movent, ut ab ipsis Superioribus praecepta revocentur. Equidem si veras, justas, et graves rationes praeceptorum executioni obstantes habeant, has humili mente et ore Superioribus manifestent, ac dein se horum judicio submittant, nullo modo reprehendi possunt. Sed si rationes inanes, frivolas, fallaces, aut prorsus confictas proponant, vel importunis precibus, temerariis minis, aut perverso agendi modo Superiores ad mutanda sua decreta compellant, non tantum a spiritu obedientiae longissime recedunt, sed de ipso inobedientiae crimine merito arguendi sunt. Pessime autem agunt, qui ad personas, extra Ordinem existentes, ecclesiasticas aut saeculares recurrunt, ut horum interventu Praelati Ordinis consilia sua mutent, et ab inviso obedientiae praecepto desistant, vel aliud proprio genio accommodatum concedant. Sciant, qui talia machinantur, talem recursum a Rom. Pontificibus sub gravissimis poenis prohibitum esse. Nam *Clemens X* (Const. *Ex injuncto,* anno 1671) ait: « Om« nibus et singulis dicti Ordinis (Capuccinorum) Fratribus prae« sentibus et futuris, ne de caetero ad obtinendas obedientias, sive « permissiones visitandi eorum parentes seu propinquos, aut loca « sacra quaecunque, vel ut ad dignitates, officia, aut munera quae« libet ejusdem Ordinis, aut ad studia promoveantur, sive ut ab uno « ad alium locum transire, vel in aliquo particulari Conventu per« manere eis liceat, vel ut cum eis dispensetur ad hoc, ut ante « peractum septennale studium in Concionatores assumi, munusve « Concionatoris exercere, aut ut ante completum in eodem Ordine « septennium ad sacrum Presbyteratus Ordinem promoveri valeant, « sive ad alia similia consequenda tam pro se, quam pro aliis Or« dinis praefati Fratribus, ad quarumcunque personarum, extra eum« dem Ordinem existentium, etiam quavis ecclesiastica vel mundana « dignitate, praeeminentia et potestate fungentium, aut alia specifica « et individua mentione et expressione dignarum, favores, suffragia,

« vel intercessiones recurrere, illisve uti audeant quovis modo, vel « praesumant, sub excommunicationis latae sententiae, ac privationis « vocis activae et passivae, ac graduum et officiorum quorumcunque « per eas obtentorum, perpetuaeque inhabilitatis ad illa, et quaevis « alia in posterum obtinenda poenis, per contraventores ipso facto « absque alia declaratione incurrendis, Auctoritate apostolica, tenore « praesentium perpetuo prohibemus et interdicimus » (V. Bullar. Capuc. tom. I, pag. 123). Hoc decretum *Clementis X* confirmatum fuit a *Benedicto XIV* in celebri Bulla: *Sollicitudo pastoralis officii* (1), anno 1749 edita, in qua doctissimus Pontifex etiam rationem affert, ob quam cunctis Fratribus praedictus recursus ad personas extra Ordinem existentes sub tam gravibus poenis prohibitus sit: quia nimirum per illos regimen Ordinis, et observantia regularis valde impediuntur, et variae inordinationes, e. g. invidiae, dissensiones, murmurationes, scandala, etc., inter Fratres et Saeculares produci solent. Certe etiam non benedictionem, sed maledictionem divinam illi exspectare debent, qui exterorum auxilio suffulti jugum obedientiae excutere, et Superiores ad suam implendam voluntatem pertrahere student: ad ipsos enim spectat dictum Isaiae: *Vae, qui descendunt in Aegyptum in auxilium* (31, 1).

ARTICULUS III.

§ 177.

De recursu ad Ministros.

Praevidens S. Pater, varia impedimenta dari posse, quae purae Regulae observantiae obstent, his quoque providentissime occurrere studuit. Ideo Fratribus in loco quodam commorantibus, in quo spiritualiter Regulam observare nequeunt, non solum permisit, sed etiam praecepit, ut recurrant ad suos Ministros, a quibus non solum benigne recipiendi, sed etiam in suis spiritualibus necessitatibus adju-

(1) Vide Bullar. Capucc. tom. VII, pag. 379. Verus titulus hujusce Constitutionis Bened. XIV, editae die 24 Maii 1749, est: *Injuncti Nobis per abundantiam divinae gratiae pastoralis officii sollicitudo....*

vandi sunt. — Sed praeter haec *impedimenta localia* dari quoque possunt *impedimenta personalia,* quae nonnullorum praeceptorum observantiam ita arduam reddunt, ut jure recursus ad Ministros pro *dispensatione* fieri possit. De utroque recursu hic agere oportet; nimirum 1. *de recursu ad Ministros a Regula praescripto*, et 2. *de recursu ad Ministros pro dispensationibus.*

§ 178.

I. De recursu ad Ministros a Regula praescripto.

TEXTUS. *Et ubicunque sunt Fratres, qui scirent et cognoscerent, se non posse Regulam spiritualiter observare, ad suos Ministros debeant et possint recurrere. Ministri vero charitative et benigne eos recipiant; et tantam familiaritatem habeant circa ipsos, ut dicere possint eis, et facere sicut Domini servis suis: nam ita debet esse, quod Ministri sint servi omnium Fratrum.*

1. Quae hic S. Pater de recursu Fratrum ad Ministros dicit, *Clemens V* (C. *Exivi*) inter praecepta aequivalentia retulit: et praefatum recursum vere praeceptum esse, ex eo clare apparet, quia S. Pater non solum dicit, quod *possint,* sed etiam quod *debeant recurrere.* Id autem Fratribus praescribitur, *qui scirent et cognoscerent, se non posse Regulam spiritualiter observare.* « Notandum « vero est, ait *Politius* (in c. 10, n. 84), duobus modis intelligi, « Regulam spiritualiter observari: uno, eam scilicet debite, pure, « religiose, sine transgressionis peccato, aut manifesto peccandi pe- « riculo, ut par est, servare; alio modo est, illam observare secundum « suam perfectam puritatem, suumque rigorem, sine ulla dispensa- « tione aliqualiter etiam licite relaxante. » — Ut autem Fratres ad indigitatum recursum obligentur, juxta Politium tres simul conditiones requiruntur. *Primo* requiritur, ut Frater notabiliter impediatur a debita et religiosa Regulae observantia, ita ut sine peccato, aut sine occasione valde propinqua ad peccatum ibi permanere non possit: qui ergo leviter tantum a Regulae observantia impe-

ditur, ita ut cautius procedendo transgressiones Regulae haud difficulter fugere valeat, aut qui solum putat, se in alio loco cum majori puritate et perfectione Regulam observaturum esse, potest quidem ad Ministros recurrere, sed ad hoc non obligatur: ita sentiunt *quatuor Magistri, Hugo, Barth. Pisanus,* et communiter Expositores. *Secundo* requiritur, ut Frater non ex vano timore, aut nimia anxietate, sed ex solidis argumentis judicet, se non posse Regulam in sensu praedicto spiritualiter observare. Ideo *S. Bonaventura* ait: « Ubicunque sunt Fratres, qui *scirent* per experimentum, *et cognoscerent* per rectum judicium, se non posse Regulam spiritualiter « observare.... ad suos Ministros possint et debeant recurrere ». *Tertio* requiritur, ut regularis observantiae impedimentum ex causa exteriori, seu ex circumstantiis loci, et non ex sola Fratris malitia et depravatione proveniat, uti *Barth. Pisanus, Corduba,* et *Politius* recte contendunt. Nam si ex sola Fratris culpa evenit, ut gravium transgressionum periculis subjiciatur, tunc non tenetur iste ad Ministrum recurrere, sed seipsum emendare, cautius procedere, occasiones et pericula fugere, sibi vim inferre, et salutaria media adhibere; secus enim nec ipsa loci mutatio eum meliorem reddet.

2. Expositores communiter docent, per *Ministros* in hoc praecepto intelligi non solum Provinciales et Generales, sed etiam Custodes et Guardianos, atque ad hos primos recurrendum esse, si spes affulgeat, ut per hos ea removeantur, quae transgressionibus Regulae ansam praebent. Hinc inde enim contingit, quod Superior localis vel ignoret, quae inordinate peraguntur, vel ex infirmitate se scandalis non opponat, nisi externo quodam impulsu ad id incitetur: in utroque casu omnino conveniens est, ut primo ad Guardianum recurratur, eique status rerum manifestetur. Ast si a Superiore locali remedium exspectari nequit (1), et multo magis si ipsemet scandali causam praebet, tunc recurrendum est ad Ministrum Provincialem, cui Frater statum rerum, et necessitatem suam spiritualem candide aperire debet. Hic autem recursus ad Ministrum etiam per litteras fieri potest. Si quis autem ad hunc se personaliter conferrre velit, memor sit eorum, quae in Constitutionibus ordinantur: non enim ei licet conventum relinquere, et iter aggredi, nisi habeat licentiam

(1) Id tamen non facile praesumendum. Caveant ergo Fratres, ne sub vanis praetextibus recursuum ordinem subvertant, aut indebitas praelati immediati denuntiationes instituant, non servata lege charitatis vel justitiae.

seu obedientiam sibi a Ministro scripto transmissam. Quodsi ob causam urgentem hanc exspectare nequeat, rem exponat suo Guardiano, qui cum consilio Discretorum ipsi abeundi (1) facultatem concedere potest.

3. Ministri debent Fratres [ad se recurrentes *charitative,* i. e. cum paterno cordis affectu, et *benigne,* i. e. cum externa clementia et affabilitate recipere, patienter eorum querelas audire, mature has examinare, et si justas invenerint, pro viribus illis opem ferre. Si Ministri secus egerint, si truci vultu recurrentes recipiant, si lamentis eorum vix auditum praestent, si praejudiciis capti statim indignatione abripiantur, ac eos despotico modo repellant, officio suo penitus desunt, Regulam violant, propriamque conscientiam multis peccatis onerant. — Imo quamvis Subditi ex eo tantum, ut perfectius Regulam observare queant, ad recursum ad Ministros non teneantur; hi tamen etiam in hoc casu eos audire et adjuvare obligantur, ut majorem ipsorum perfectionem promoveant; quod si negligunt, a culpa non vacant. Nam si ille peccat, qui proximum suum a lucri temporalis acquisitione inique impedit, multo magis Praelatus religiosus peccabit impediendo suum subditum a puriori et perfectiori observantia Regulae, quae magna lucra spiritualia promeretur. Hic tamen notant Expositores, quod Superior, si propter rationabiles causas nollet satisfacere subdito, quia cognovit ex tali satisfactione vel communitati, vel ipsi subdito majora damna obtingere, nullo modo peccat, non exaudiens recurrentis petitionem; nam, ajunt, etiam quando Subditus petit licentiam jejunandi in pane et aqua, vel nudis pedibus incedendi, Superior cognoscens, notabile damnum ei obtingere posse, non peccat, sed bene et laudabiliter agit, talem licentiam denegando. — Caeterum si tenore Regulae subditus ad recursum obligatur, omnes, qui illum ab hoc impediunt, graviter peccant, et a Ministris puniendi sunt.

4. Cognoscens S. Pater, nonnisi ex fastu et arrogantia fieri posse, ut Ministri Fratres ad se recurrentes haud benigne reciperent, illis hic loci maximam humilitatem, modestiamque commendat, dicens: *Tantam familiaritatem habeant circa ipsos, ut dicere possint eis, et facere sicut Domini servis suis; nam ita debet esse, quod*

(1) Hodie data maxima facilitate communicationum per epistolas etc., vix dari possunt casus hujusmodi. Unde difficillime licitus erit usus istius sententiae.

Ministri sint servi omnium Fratrum. « In hoc verbo », ait *S. Bonaventura,* « Ministri informantur ad humilitatem, ut se quasi servos « imaginentur Fratrum aliorum esse: et omnia verba imperium re- « sonantia sileant, et facta dominatum praetendentia penitus dese- « rant exemplo illius, qui dixit: *qui major est inter vos, fiat sicut « minor, et qui praecessor est, sicut ministrator* (Luc. 22). Cum « igitur dicitur: *ut dicere possint eis, et facere sicut Domini servis « suis,* informatio est Ministrorum, ne facto vel verbo praetendant « fastum, qui possit repellere subditos a fiducia ad Ministros in ne- « cessitatibus recurrendi. » Tantum autem abest, ut praescripta Ministris humilitas eorumdem auctoritatem laedat, aut subditis jus tribuat illos vilipendendi, illis resistendi, aut se super illos exaltandi, ut hi ipso Praelatorum suorum exemplo ad majorem humilitatem, et perfectiorem obedientiam excitari debeant: ideo *S. Bonaventura* ita pergit: « Non est autem intelligendum verbum, quod « Subditis detur occasio superbiendi per nimiam humilitatem Mini- « strorum, ne, sicut dicit *Gregorius,* dum nimis servatur humilitas, « regendi frangatur auctoritas. Unde qui dixit: *qui major est, fiat « sicut minor,* non dixit: *qui minor est, fiat sicut major.* Nam « si ita debet esse, quod Ministri servi sint omnium Fratrum — « servi quidem in his praecipue, quae ad salutem pertinent anima- « rum », certe ideo Fratres subditi ab humilitate tum interne, tum externe, et praecipue erga suos Praelatos exercenda non eximuntur; quia sine humilitate animas suas salvare non poterunt.

§ 179.

II. De recursu ad Ministros pro dispensationibus.

1. Aliud est legem declarare, et aliud in lege dispensare. Primum fit, dum quis authentice judicat et decernit, legem in his vel illis circumstantiis non obligare, seu casum quemdam peculiarem sub lege non comprehendi; secundum fit, dum, licet in casu quodam particulari lex obliget, tamen haec obligatio ex justa causa per legitimam potestatem relaxatur. — Jam vero Ministri potestatem habent non solum praecepta Regulae declarandi, sed etiam in illis dispensandi. Hanc quidem facultatem nonnulli in dubium vocarunt;

quia putabant, Ministros, qui nihil contra Regulam praecipere possunt, multo minus in praeceptis Regulae dispensare posse. Errant autem, qui ita sentiunt. Nam, ait *Viator a Cocal.*, Regula neque juris naturalis, neque juris primario seu immediate divini est; sed ad summum juris ecclesiastici dici potest, quia a Summis Pontificibus et a Conciliis adprobata fuit: quae autem juris humani aut ecclesiastici sunt, dispensationes admittunt, quas Praelati concedere possunt. Neque Superiores ex justa causa dispensantes aliquid contra animam, aut contra Regulam decernunt; sed pro casu particulari obligationem praecepti observatu valde difficilis relaxantes, animam a transgressionis periculo liberant, atque efficiunt, ut nihil contra Regulam fiat (In cap. 10, Exp. 10, n. 3).

2. Certum autem est, ait *Politius* (n. 79), Ministros non posse dispensare in tribus essentialibus votis. Praeterea juxta *S. Bonaventuram* (Exp. Reg. c. 12) non possunt dispensare in octo praeceptis, quae eminentia dicuntur, et sunt sequentia: 1. quod post professionem non eis licebit de ista Religione exire; 2. quod nullo modo denarios aut pecuniam recipiant per se, aut per interpositam personam; 3. quod nihil sibi approprient; 4. quod obediant suis Ministris; 5. quod non ingrediantur monasteria monacharum; 6. quod non habeant suspecta consortia, aut consilia mulierum; 7. quod non fiant Compatres virorum aut mulierum; 8. quod petant Cardinalem Protectorem. Eodem modo S. Doctor Ministris negat potestatem dispensandi in praeceptis virtualibus primariis, quae injungunt Fratribus, ut habeant unum in Ministrum Generalem, et ut hunc deponant et alium eligant, si ille ad munus suum rite peragendum insufficiens fuerit. — Generatim Ministri in iis dispensare non possunt, quae quasi fundamenta Religionis constituunt, et ad bonum totius Ordinis pertinent. In his dispensandi facultatem etiam Concilium Tridentinum Praelatis Regularibus denegat, addita ratione: « cum compertum sit, ab eis non posse ea, quae ad substantiam « regularis vitae pertinent, relaxari. Si enim illa, quae basis sunt « et fundamenta totius regularis disciplinae, exacte non fuerint con« servata, totum corruat aedificium, necesse est » (Sess. 25, cap. 1).

3. *Viator a Cocal.* (Exp. 10, cap. 10, n. 4) sequentes regulas praescribit, a Praelatis in dispensationibus caute observandas: 1. Nunquam dispensandum est sine justa et rationabili causa: qualis est vel utilitas spiritualis, vel necessitas corporalis Subditi; 2. Dispensatio non debet esse unquam universalis pro omnibus locis et tem-

poribus: sed ad casus individuos et particulares restricta sit oportet, ne ipsa lex destruatur; 3. Attendenda est qualitas personae, cui dispensatio concedenda est: facilius enim dispensationem concedere oportet Religioso timorato, austero, vel anxio, quam commode viventi, et ad laxitatem proclivi; 4. Dum de dispensatione agitur, considerare oportet tum bonum commune totius Ordinis, tum bonum privatum Fratris: et quia bonum commune privato praeferendum est, dispensatio peculiari cuidam Fratri proficua neganda est, si majus inde damnum toti communitati excresceret; 5. Dispensandi facultate praediti memores sint regulae charitatis: *quidquid vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis;* — seipsos ergo consulant, quid in iisdem circumstantiis coram Deo postulare possint, et sic cum prudentia et charitate procedant; 6. Praelatus nunquam dispensationem conscientiae petentis remittat, sed allatas ab hoc rationes audiat, et his ponderatis absolute dispensationem vel neget, vel concedat (monendus tamen est postulans, ut causam suam sincere exponat; quia si dolo et fallacia uteretur, dispensatio obreptitia, vel subreptitia, et ideo nulla esset); 7. Praelatus non nimium suo judicio confidat, sed — praecipue in causis dubiis et implicatis — lumen divinum imploret, et consilium doctorum et timoratorum virorum exquirere non erubescat.

4. Quamvis Praelati Ordinis in multis Regulae praeceptis dispensare non valeant, negari tamen nequit, in omnibus praeceptis Regulae dispensandi potestatem competere Romano Pontifici, cui ipsam Regulam S. Franciscus penitus subjecit (1); monens tamen Fratres in suo Testamento, ne sine urgenti ratione a Sancta Sede dispensationes petant, cum generatim dispensatio vulnus legis dici soleat.

---

(1) Subjectio haec specialis Franciscalium devotionem singularem erga Romanum Pontificem confirmat. Quamvis enim *etiam deficiente tali subjectione explicita, omnino teneremur Papae obedire quoad omnia quae Regulam quomodocumque respiciant,* tamen S. Pater « vir catholicus et totus Apostolicus » voluit fortius et solemnius se suosque Apostolicae Sedi subjici.

ARTICULUS IV.

§ 180.

Monita S. Patris.

Postquam S. Franciscus in hoc capite officia Praelatorum in subditos, et subditorum in Praelatos exposuit, et praeceptis firmavit, gravissima monita adjungit, tum a Praelatis, tum a Subditis observanda. S. Patri enim maxime cordi fuit, ut regularis observantia continuo in Ordine vigeret, et ut omnes Fratres indefesso studio ad religiosam perfectionem tendant. Ideo eos monet, 1. *ut vitia caute fugiant,* 2. *ut litterarum studio spiritum orationis praeferant,* et 3. *ut virtutes assidue exerceant.*

§ 181.

I. De vitiis caute fugiendis.

TEXTUS. *Moneo vero, et exhortor in Domino nostro Jesu Christo, ut caveant Fratres ab omni superbia, vana gloria, invidia, avaritia, cura et sollicitudine hujus saeculi, a detractione, et murmuratione.*

1. S. Pater hic Fratres suos monet, exhortatur, imo conjurat *in Domino nostro Jesu Christo,* ut cum maxima solertia a septem vitiis declinet, quae tum bono Praelatorum regimini, tum necessariae subditorum subjectioni, tum charitati et paci inter Fratres maxime opponuntur. Sunt autem vitia sequentia: I. *Superbia,* quae *est initium omnis peccati* (Eccli. 10, 15), quae primo cor corrumpit, et dein se in verba, in opera, et in omnem conversationem diffundit, et ideo *odibilis coram Deo et hominibus* (Eccli. 10, 7) dicitur: « Fratres ergo, ait *S. Bonaventura,* cavere debent a superbia cor- « dis, conversationis, sermonis, et operis »; II. *Vana gloria,* quae

ex superbia oritur, et ambitionem producit, quae id rapere, sibique attribuere praesumit, quod solius Dei est (Isa. 42, 8), quae ipsa bona opera maculat, corrumpit, aeternaque mercede privat (Matth. 6, 1), et quae plurimis perturbationibus ansam praebere solet; ideo *S. Bonaventura* cuilibet Fratri dictum *S. Hieronymi* acclamat: « Non « quaeras gloriam, et non dolebis, cum inglorius fueris »; III. *Invidia,* superbiae pedissequa, quae, dum de bono proximi tristatur, et de malo ipsius gaudet, tam charitati Dei, quam dilectioni proximi e diametro opponitur, ipsumque cor, quod inhabitat, misere cruciat et contorquet; maxima igitur vigilantia iniqua haec passio fugienda est; nam ait *S. Anselmus* (apud *S. Bonaventuram,* Pharetr. l. 2, c. 8): « Qui bonis alterius arridet, sanctis consentit; qui « vero invidet, diabolis similis est; siquidem magis puto esse salva- « tionem sperandam ejus, qui parum boni facit, et factis aliorum « favet, quam illius, qui multa, et invidet aliis »; IV. *Avaritia,* quae, ut ait *S. Bonaventura,* « in cupiditate rerum terrenarum non « habitarum, et in tenacitate rerum obtentarum quarumcunque in « usum venientium consistit, quae generatim ab Apostolo *idolorum* « *servitus* nominatur » (Ephes. 5, 5), et quae speciatim in Fratre Minore, altissimae paupertatis voto ligato, omni abominatione dignissima est; V. *Cura et sollicitudo hujus saeculi,* per quam fit, ut Fratres contra omnem status sui decentiam in suum, vel aliorum commodum negotiis saecularibus implicentur, et quodammodo in mundum, cui valedixerant, revertantur: bene autem, ut observat *S. Bonaventura,* S. Pater hic « sollicitudinem hujus saeculi, seu « sollicitudinem saecularem perimit, ut spiritualem sollicitudinem « non excludat, quae in procuranda animarum salute praecipue exer- « cetur »; VI. *Detractio,* quae, dum vel occultum defectum revelat, aut falsum crimen imponit, juxta *S. Bernardum* et animam loquentis, et conscientiam audientis, et famam proximi trucidat, et quae ideo in saecularibus, ac multo magis in Religiosis damnanda est. Quantum S. Franciscus hoc vitium detestatus sit, ex ejusdem Opusculis apparet; nam (Collat. 18) ait: « Detractionis vitium, Fra- « tres, inimicum est fonti pietatis et gratiae, et piissimo Deo abo- « minabile, pro eo, quod detractor animarum sanguine pascitur, quas « gladio linguae necat. Tanto major est detractorum impietas, quam « latronum, quanto lex Christi, quae in observantia pietatis impletur, « magis animarum, quam corporum nos adstringit optare salutem ». Alibi (Apopht. 17) scribit ad Vicarium Ordinis: « Surge, surge, di-

« scute diligenter; et si accusatum Fratrem innocentem repereris, « accusantem dura correctione cunctis redde notabilem. Instant Re- « ligioni discrimina, nisi detractoribus obvietur; cito multorum sua- « vissimus odor foetebit, nisi foetidorum ora claudantur. Summa volo « cures providentia, ne pestifer iste morbus latius se diffundat. Fra- « ter, qui alium Fratrem famae gloria spoliaverit, habitu est spo- « liandus, nec oculos ad Deum elevare poterit, nisi prius, quod « abstulerat, reddiderit »; VII. *Murmuratio,* quae, ex impatientia et judiciorum temeritate excrescens, linguam contra proximum, et praecipue contra Praelatos acuit, multaque mala producit: ideo S. Franciscus (Coll. 18) dicit: « Religiosus, qui murmurat contra « Fratres, vel Praelatos suos, quid aliud facit, quam implere pro- « priam matrem suam, i. e. Religionem, felle vituperii et prodi- « tione? » — Et sane murmurans pacem turbat, auctoritatem Prae- latorum minuit, inobedientiae semina spargit, regularem disciplinam labefactat, easdemque poenas timere debet, quas Israelitae, murmu- rantes contra Moysen et Aaron, in deserto experti sunt. — Mirum nonnullis videtur, quod S. Pater hoc in loco vitium execrandum, nimirum luxuriam reticuerit: sed id factum est, vel quia fugam vi- tiorum obedientiae et charitati maxime oppositorum hic commendare voluit; vel quia contra vitium luxuriae Fratres in capite sequenti praemunire studuit; vel quia verba Apostoli in mente habuit de hoc vitio dicentis: *nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos* (Ephes. 5, 3).

2. Quamvis vitia hic nominata ab ipso Evangelio prohibeantur et damnentur, atque ideo a quolibet Christiano fugienda sint, tamen S. Pater in specie Fratres monet et exhortatur, ut ab illis caveant; quia purae Regulae observantiae, et debito perfectionis studio ita obsistunt, ut Religiosus illis contaminatus nonnisi hypocrita dici queat, qui sub habitu sancto cor contegit mundanum et cor- ruptum. Ideo juxta monita S. Patris Fratres summam curam habere debent, ut vitia praedicta non solum in materia gravi, sed etiam in materia levi caute devitent, imo perversis naturae inclinationibus ad illa, seu inordinatis passionibus continuo resistant, hasque e corde penitus eliminare studeant. Nam *qui spernit modica, paulatim decidet* (Eccli. 19, 1); et passiones malae, quae non fortiter oppu- gnantur et studiose eradicantur, uti zizania crescunt, cor corrum- punt, et ruinae spiritualis lugubres causae fiunt.

§ 182.

II. De studio litterarum, et spiritu devotionis.

TEXTUS. *Et non curent nescientes litteras, litteras discere; sed attendant, quod super omnia desiderare debent spiritum Domini, et sanctam ejus operationem: orare semper ad Deum puro corde.*

1. S. Pater hisce verbis non jam omnibus, sed solum Laicis studium litterarum, seu scientiarum interdicit. Nam *S. Bonaventura* hunc locum exponens, ait: « Curiositatem etiam Laicorum cohibet « dicens: *et non curent nescientes litteras,* id est Laici, *litteras « discere* »; Laici enim in Ordinem recipiuntur, non ut litterarum studiis incumbant, sed ut labores corporales exerceant, negotia temporalia pro communitate necessaria perficiant, et sic Fratribus, sublimioribus negotiis occupatis, inserviant. Sapientissime ergo S. Pater Laicis litterarum studia prohibuit, ne forte vel ex inani curiositate, vel ex desiderio se eruditos ostendendi, vel ex cupiditate ad altiorem statum se extollendi, lectioni librorum ad se non pertinentium insudantes, a vocatione sua resiliant, atque labores negligant, ad quos perficiendos assumpti fuerunt. — S. Patrem vero in hac prohibitione non omnes comprehendisse, et illis, qui ad statum clericalem recipiuntur, studia litterarum non interdixisse, ex eo liquido constat, quia in Regula praecepta tulit etiam pro Praedicatoribus, qui sine studio litterarum officium suum rite adimplere non possunt (§ 160), et quia in suo Testamento honorandos asserit omnes Theologos et eos, qui ministrant nobis sanctissima verba divina. Etiam *Nicolaus III* ex eo, quia S. Pater in suo Ordine voluit Praedicatores adesse, intulit, Fratres, qui ad hoc munus destinantur, litterarum studiis incumbere debere; quia munus apostolicum sine scientia non potest recte exerceri, et scientia sine studiis non potest obtineri. — *Martinus V* in sua Regulae expositione (cap. 10) ait: « Exhortantes « strictissime in visceribus Jesu Christi Fratres omnes, ut ubicunque « viderint idoneos ad studia promovendos, totis viribus auxilium « iisdem, consilium, et favorem impendant, cum scientia donum Dei

« sit, armatura ad defensandam sanctam fidem catholicam, corona « Ordinis, lumen veritatis, et vita in tenebris ambulantium ».

2. S. Pater, postquam de studio litterarum verba fecit, Fratres monet, ut *attendant, quod super omnia desiderare debent spiritum Domini, et sanctam ejus operationem:* in quae verba ita disserit *S. Bonaventura:* « *Spiritus Domini* est devotio, seu pius et humilis « affectus in Deum, qui ex compunctione generatur; orationem vero « dicit *sanctam spiritus operationem,* quia Rom. S. dicitur: *Spi-* « *ritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Dein S. Pater « prosequitur: *orare semper ad Deum puro corde,* juxta illud « Luc. 18: *Oportet semper orare, et non deficere,* et I. Tim. 5: « *Sine intermissione orate.* Hoc autem triplicem habet sensum, « quorum duo tanguntur in Gloss. ad Luc. 18; quia semper orare « est, canonicas horas quotidie debito modo dicere: item semper orat, « qui semper bene agit; tertio modo semper orare est, spiritum « devotionis semper inviolabiliter observare, quae habita inter qua- « scunque occupationes solet gemitibus et suspiriis inenarrabilibus « Christi clementiam implorare. Imperceptibiliter et ad hoc hic Re- « gula manuducit. Fratres igitur semper orantes acediam a se « excludunt, et per jejunium gaudii omne carnale solatium procul « pellunt. » Hunc devotionis spiritum S. Pater maxime commendat, et vult, ut omnes eumdem *super omnia,* i. e. ardentissime desiderent ita, ut nihil ipsi praeferendum esse censeant. Quamvis autem id praecipue Laicis dictum sit, qui cum studiis non occupentur, eo magis mentem suam cum Deo unire, atque orationi tum mentali, tum vocali insistere debent; nihilominus idem monitum etiam ad Clericos et Sacerdotes spectat, qui cum studio litterarum ferventissimum conjungere debent spiritum devotionis et orationis, sine quo scientia inutilis redditur, et munera spiritualia cum ubere fructu exerceri non possunt. Ideo *S. Bernardus* illos dignos ministros apostolicos dicit, « qui orandi studium et usum habent, ac de omni re plus orationi fidant, quam suae industriae et labori » (Lib. 4. de Consid.). — Orare autem oportet *cum corde puro,* i. e. libero non solum a peccatis, sed etiam ab affectibus terrenis, a curis hujus saeculi, et ab inordinatis passionibus, quae mentem ad orandum ineptam reddunt, et spiritum devotionis exstinguunt.

§ 183.

III. De virtutibus assidue exercendis.

TEXTUS. *Attendant.... habere humilitatem, et patientiam in persecutione et infirmitate: et diligere eos, qui nos persequuntur, reprehendunt, et arguunt; quia dicit Dominus: diligite inimicos vestros, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos: Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam: quoniam ipsorum est regnum coelorum: qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.*

1. Inter virtutes, a Fratribus assidue exercendas, S. Pater primo loco commendat *humilitatem*, quae juxta omnes SS. Patres et Doctores est radix et fundamentum omnium virtutum. Frater Minor humilitate destitutus monstrum est, tum nomini, tum habitui, tum statui suo contradicens. Et quomodo Religiosus vota sua paupertatis, obedientiae, et castitatis observabit, cum pauper esse et videri erubescat, arrogantem mentem suam aliis subjicere recuset, et in poenam superbiae, ut Doctores dicunt, a gratia derelictus facillime in luxuriae crimina ruat? — Nil ergo cuilibet Fratri, qui religiose vivere et animam suam salvare studet, magis cordi esse debet, quam ut juxta Christi, et seraphici Patris exempla et monita, veram humilitatem cordi suo inserere continuo studeat.

2. Secundo loco S. Pater commendat *patientiam in persecutione et infirmitate*. Hanc virtutem omnibus Christianis necessariam esse, docet S. Paulus dicens: *Patientia vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes reportetis promissionem* (Hebr. 10, 36). — Neque enim est homo in terra, qui non hinc inde incommoda, adversitates, vel infirmitates sustinere debeat. Ast Fratres Minores praeter communes omnium viventium aerumnas etiam ratione status sui pauperis variis commodis carere, variasque molestias sentire coguntur, atque, uti in hoc S. Patris monitum *S. Bonaventura* observat, in infirmitatibus quoque secundum statum paupertatis paucis remediis et obsequiis contenti esse debent. Patientia ergo ipsis maxime ne-

cessaria est, ut vocationi suae fideliter insistentes reportent promissionem. Ut autem patientiam constanter exerceant, utilissimum est, ait *Viator a Coc.* (in cap. 10, Exp. 16), ut saepe sibi in mentem revocent statum, in quo ante ingressum Religionis, dum in saeculo viverent, versati sunt. Vel enim ex statu paupere et humili, vel ex statu nobili et opulento in Ordinem transierunt. Si primum, in ipso statu suo priore sat valida motiva inveniunt seraphicae paupertatis incommoda patienter ferendi, et omni reprehensione digni sunt, si valde delicatos se ostendunt, de communi victu et vestitu vix contenti sunt, et de quolibet incommodo aut defectu turpiter murmurant. Acriter hos perstringit *Politius,* eisque verba applicat, quae S. Hieronymus (Ep. ad Eustoch.) scribit: « Sunt nonnulli viles et « abjecti in saeculo, qui quotidianis laboribus se ultra vires affli- « gentes pro victu captando vilissime, et vix satis fabis et rapis « cum pane hordeaceo saturantur; — cum Christi ad mensam ac- « cedunt et Christi militiam suscipiunt, suae egestatis obliti lautiora « quaerunt, quam milites, qui sunt assueti magnificis. Haec autem « omnia in Christi et apostolica vita locum non habent ». Qui ergo ex parentibus pauperibus natus, et in vili tugurio educatus fuit, memor sit humilis status, ex quo prodiit, laborumque et sudorum, quos vel subiit, vel subiturus fuisset, si in saeculo remansisset; et probe consideret, qualis inordinatio esset, si post emissum paupertatis votum bona et commoda in Religione quaereret, quibus in saeculo frui non potuisset, vel si ut Religiosus labores fugeret, cum ut Saecularis nonnisi in sudore vultus sui pane vesci potuisset: — tales inordinatos sensus praeseferens nimis clare ostenderet, se non ex amore crucis, sed ex amore panis Christum secutum esse. — Qui autem ex statu nobili et opulento in Ordinem seraphicum se contulit, saepe recogitet, quod divina gratia motus cum Apostolis omnia reliquerit, ut Christum humilem et pauperem sequeretur; quod respiceret retro, si vitam bonis, commodisque refertam, cui renuntiavit, iterum amplecti vellet; et quod sacrificii in professione oblati merita vel extenuaret, vel destrueret, si paupertatis incommoda patienter ferre recusaret. Sic utriusque generis Fratres ex consideratione status sui praeteriti ad patientiam exercendam incitari possunt.

3. Tertio S. Pater commendat *amorem inimicorum.* Neque enim fieri potest, ut Religiosi non hinc inde odio habeantur, vilipendantur, calumnientur, aliisque injuriis et persecutionibus lacessantur, cum ipse Christus plurimos et infensissimos inimicos habuerit, et S. Pau-

lus dicat: *Omnes, qui pie vivere volunt in Christo Jesu, persecutionem patientur* (II. Tim. 3, 12). Nimis facile etiam contingit, ut quis non solum ab extraneis, sed etiam a domesticis et Confratribus suis vexetur, variasque injurias patiatur. — Omnes autem inimici, quicunque illi sint, sincere a Fratribus diligendi sunt: quia inordinatio omni abominatione digna contingeret, si illi, qui alios tum exemplis, tum verbis ad perfectionem christianam dirigere debent, ipsi ob injurias acceptas indignationem et rancorem in corde foverent, odium internum externis signis manifestarent, inter discordias et rixas vitam agerent, et malum pro malo rependere non dubitarent. Ne Fratres tanto flagitio contaminentur, S. Pater ipsos jubet, *diligere eos, qui nos persequuntur, reprehendunt, et arguunt.* — Quia autem naturae infirmae et corruptae observantia hujus praecepti valde ardua videtur, citat imprimis ipsum praeceptum Christi dicentis: *Diligite inimicos vestros, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos* (Matth. 5); et dein etiam magnum praemium proponit promissum his, qui patienter injurias sustinent, quas non per malam agendi rationem seu per proprias culpas promeruerunt, sed solum ob justitiam et pietatem, vel ob zelum in dicenda veritate, aut ob alia bona opera sibi contraxerunt; quia Christus dicit: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam; quia ipsorum est regnum coelorum* (Matth. 5).

4. Ultimo S. Pater Fratres exhortatur *ad perseverantiam in bono,* a qua ipsa beatitudinis aeternae consecutio dependet, dicente Domino: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (Matth. 10). Non sufficit ergo, S. Religionem intrasse, Novitiatum cum fervore perfecisse, et per aliquot annos in regulari disciplina et studio perfectionis ambulasse; sed perseverantia in bono usque in finem necessaria est, ut aeterna salus obtineatur. Valde solliciti ergo Fratres sint, oportet, ut non tepescant; sed memores finis sui per continuum virtutum studium in perfectione religiosa quotidie crescere studeant. Et quia perseverantia finalis gratia divina est, quam Deus nemini debet, ideo cum metu et tremore salus operanda, et continuo vigilandum et orandum est; quia humili, confidenti et constanti orationi omnia promissa sunt.

CAPUT XI.

§ 184.

De castitate caute servanda.

Castitatem illibatam summae praestantiae, maximique meriti virtutem esse, tum Sacrorum Bibliorum, tum SS. Patrum testimonia evincunt. *O quam pulchra est,* exclamat Sapiens (4, 1), *casta generatio cum claritate! immortalis est enim memoria illius; quoniam et apud Deum nota est, et apud homines.* SS. Patres asserere non dubitant, homines per virginalem puritatem Angelis similes reddi: « Quid, ait *S. Bernardus,* quid castitate decorius, quae mundum « de immundo conceptum semine, de hoste domesticum, Angelum « denique de homine facit? — Differunt quidem inter se homo pu- « dicus, et Angelus; sed felicitate, non virtute: verum etsi illius ca- « stitas felicior, hujus tamen fortior esse cognoscitur ». Similibus encomiis *S. Cyprianus, S. Ambrosius, S. Chrysostomus* (de virginit.), et alii virginalem pudicitiam extollunt. Ideo etiam Christus eamdem felicitatem, qua Angeli in coelo beati redduntur, castitatem servantibus speciali modo promittit dicens: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* In Apocalypsi (14, 1. etc.), specialis gloria et beatitudo, quam aureolam vocant, illis promittitur, *qui cum mulieribus non sunt coinquinati, sed virgines sunt: hi sequuntur Agnum, quocunque ierit* etc. — Sicuti autem castitas virtus praestantissima est, ita vitia eidem opposita deterrima, maximeque pestifera sunt. Quanto enim haec a Deo odio habeantur, sacrae Litterae contestantur; dum nobis universale diluvium, Sodomae et Gomorrhae incendium, repentinam Onani et Heri mortem, aliaque horrenda supplicia ob luxuriae peccata hominibus inflicta ante oculos ponunt. Pessimos quoque effectus peccata contra castitatem commissa in homine producunt. « Nam, ait *S. Bonaventura* (Centiloq. P. I, Sect. 24), filiae « luxuriae secundum *S. Gregorium M.* sunt octo, scilicet: coecitas men-

« tis, inconsideratio, inconstantia, praecipitatio, amor sui, odium Dei, « affectus praesentis saeculi, horror sive desperatio saeculi futuri ». Exinde evenit, vitio luxuriae deditos raro veram, et rarius constantem poenitentiam agere: « nam, ait *S. Chrysostomus,* hoc vitium homines « corrumpit et perdit; quia est malum, quod difficillime per poeni- « tentiam abluitur » (Hom. 5. in I. Thessal.). Ex eadem ratione Docto- res sat communiter subscribunt sententiae tremendae *D. Remigii* (in Ep. ad Rom. I) dicentis, « quod propter vitium luxuriae, demptis « parvulis, pauci salvantur ». Neque ab hac sententia alienus est *S. Augustinus,* qui (Serm. de temp. 249) ait: « Gloriosum et insi- « gnem inter caeteras virtutes castitas et munditia locum tenet; quia « ipsa sola est, quae mundas mentes hominum praestat videre Deum. « Unde ipsa Veritas ait: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum « videbunt;* ac si e contrario diceret: Illi vero miseri sunt, quorum « corda sunt carnali concupiscentia polluta; quia aeternas mergentur « in poenas ». — Si autem haec de omnibus Christianis, luxuriae deditis, dicta sunt; quanto magis de Religioso, eodem vitio inqui- nato, dicenda erunt? — Violatio castitatis respectu personae voto solemni ligatae juxta probabiliorem (1) sententiam triplici virtuti op- nitur, nempe castitati, fidelitati ratione voti, et Religioni ratione personae sacrae; et triplicem specie distinctam malitiam, scilicet incontinentiae, perfidiae, et sacrilegi continet. Quantae ergo necessi- tatis est, ut Religiosi summa vigilantia omnia, quae castitati adver- santur, fugere studeant? — Equidem in Ordine seraphico varia media inveniuntur maxime idonea ad concupiscentiam refraenandam, et castitatem conservandam. Nam parcus victus, rudis habitus, durus lectus, quotidianae orationes tum mentales, tum vocales, longa jejunia, nocturnae vigiliae, et frequentes disciplinae utique ad hoc ordinantur, ut corpus in servitutem redigatur, et spiritui penitus subjiciatur. Non

(1) Hoc minus probabile videtur. DD. communiter admittunt solam violationem castitatis et religionis. Imo S. Lig. tenet quod Sacerdos solemniter professus, peccans contra castitatem, non duplex, sed unicum committit sacrilegium, praeter peccatum contra castitatem: et hanc sententiam vocat *veriorem.* « Ratio, « quia, quamvis ex duplici praecepto talis Sacerdos maneat obstrictus voto ca- « stitatis, attamen contra idem praeceptum, et ex eodem motivo peccaret; dum « Sacerdos, non jam ex Ecclesiae constitutione, ut isti censent, sed tantum ra- « tione voti sacris Ordinibus adnexi ad castitatem obligatur, juxta probabiliorem « sententiam » (*S. Lig.* l. III, n. 455).

sufficit autem, per dicta exercitia hostem internum i. e. carnis concupiscentiam compescere; sed ulterius requiritur, ut Religiosus etiam contra inimicos castitatis externos praemuniatur. Ideo S. Pater in hoc capite Fratribus suspecta consortia mulierum, ingressum in monasteria Monacharum, et compaternitates virorum et mulierum graviter interdicit, ut ab exterioribus castitatis periculis removeantur. Ex eadem causa etiam Romani Pontifices varias leges huc spectantes tulerunt, et praecipue praeceperunt, ut in Religiosorum conventibus clausura diligenter custodiatur. Agendum proinde hic est 1. *de vitandis suspectis consortiis vel consiliis mulierum;* 2. *de prohibitione ingressus in monasteria Monacharum;* 3. *de fugiendis compaternitatibus virorum et mulierum;* et 4. *de observanda clausura in conventibus Religiosorum.* Notandum quoque est, quod S. Pater praedictis tribus eminentibus praeceptis suis rationem addat: *ne hac occasione inter Fratres, vel de Fratribus scandalum oriatur.*

§ 185.

I. De vitandis suspectis consortiis vel consiliis mulierum.

TEXTUS. *Praecipio firmiter Fratribus, ne habeant suspecta consortia, vel consilia mulierum.*

1. Per *suspecta consortia* S. Pater intelligit conversationes et colloquia cum personis alterius sexus, quae vel ipsos Fratres ad peccatum allicere, vel in aliis sinistras suspiciones excitare possent. Per *consilia mulierum* S. Pater intelligit negotiorum tractationes, quae contingunt, si Fratres sine necessitate et sine rationabili causa vel negotia mulierum, ad se non spectantia, pertractanda suscipiunt, vel ad sua propria negotia perficienda consilio et opera mulierum utuntur. — Hoc jam S. Patris praeceptum a Regulae Expositoribus, duce potissimum *S. Bonaventura,* sequentibus magis dilucidatur. Suspectum nimirum potest esse consortium: 1. *ratione personae:* « nam, ait S. Doctor, ad suspicionem facit aetas et conditio », utpote si femina sit juvenis, formosa, vana, amans et amari desiderans, ac multo magis si sit malae famae, aut in vestitu immodesta, aut in loquendo et jocando incauta, etc.: talem sine gravi causa visitare

jam suspectum est et scandalosum; 2. *ratione actus* seu *modi*, « si gestus sit dissolutus, utpote ex nimia mulieris appropinquitate, « vel faciei ad eam conversione, fixis oculis, manibus junctis: omne « tale consortium est suspectum »; 3. *ratione loci et temporis* consortia merito dicuntur suspecta, « si solitaria sint excluso aliorum « auditu, licet non visu, ex intentione, sine causa pia, maxime si « sint solitarie prolongata », vel si pro colloquio quaeritur locus obscurus, aut a conspectu hominum remotus, vel si eligitur tempus nocturnum, seu diurnum quidem, ast tale, quo reliqui Fratres congregati sunt in choro aut in refectorio; 4. *ratione frequentiae* « suspecta sunt colloquia, si sint cum eadem persona sine ratione « evidenti frequentata », praecipue si studeantur occultari, si Superiori haud candide indicentur, et si absque hujus licentia, et quod pessimum foret, contra ipsius monitum vel praeceptum iterentur; 5. *ratione ipsius Fratris,* si juvenilis aetatis sit, magnam animi levitatem prodat, religiosam in loquendo et agendo modestiam observare non soleat, aut si gravibus impuris tentationibus obnoxius, et ad turpissimum vitium valde proclivis sit; « nam, iterum dicit « *S. Bonaventura,* illam suspicionem existimo hic prohiberi, quae « Fratri excitat enormis tentationis stimulum, vel quae crimini « praestat fomentum, vel quae potest apud alios vel alium scanda- « lum generare. Et hic aestimo omne suspectum prohiberi colloquium, « quod ordinatur ad carnis immunditiam quamcunque, vel quod potest « hujus rei scandalum vel suspicionem probabiliter excitare; sicut « Dominus prohibendo moechiam prohibet non solum minorem lapsum, « qui est fornicatio, sed omnem majorem turpitudinem, qua corpus « seminaliter inquinatur. »

2. Praeceptum jam declaratum S. Pater tulit tum ad removenda pericula, in quae ipsi Fratres ex incauta cum mulieribus conversatione incurrunt, tum ad praecavenda scandala, quae aut personae, cum qua conversatio habetur, vel aliis Fratribus aut Saecularibus, eamdem observantibus, dari possunt. Ex utroque fine prohibitio S. Patris justissima et sapientissima est. Quam periculosa enim sit cum feminis conversatio, ipsa S. Scriptura testatur (Eccli. 9, 5. etc.), dicens: *Virginem ne conspicias, ne forte scandalizeris in decore illius..... Propter speciem mulieris multi perierunt, et ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit.... Speciem mulieris alienae multi admirati, reprobi facti sunt: colloquium enim illius quasi ignis exardescit.* — Male ergo se excusant, vanas et superfluas cum

mulieribus conversationes habentes, dum dicunt, se in his nullas impuras tentationes pati, nec adesse, quod de anima sua timeant. Acriter hos perstringit *S. Augustinus*, qui (Serm. 250. de temp.) inquit: « Contra libidinis impetum apprehende fugam, si vis invenire « victoriam; nec tibi verecundum sit fugere, si castitatis palmam « desideras obtinere. — Sed forte negligens quisque, et minus de « animae suae salute sollicitus, respondet et dicit: Ecce ego fami- « liaritatem habeo mulierum, et tamen castitatis ornamenta custodio. « Infelix est, et nimium periculosa ista praesumptio. Multi enim, « dum se putabant vincere, victi sunt. — Unde, Fratres charissimi! « ab omnibus Christianis, praecipue tamen a Clericis et Monachis, « indigna et inhonesta familiaritas fugienda est; quia sine ulla du- « bitatione qui familiaritatem non vult vitare suspectam, cito labitur « in ruinam ». Hoc idem sensit S. Franciscus, et in publico ad Fratres sermone clare ostendit, se consortia et consilia mulierum ob pericula, ipsis Fratribus ex illis imminentia, prohibuisse; ait enim (Coll. 6): « Mulierum familiaritatem, colloquia et aspectus, « quae multis occasio sunt ruinae, eo sollicitius evitare debemus, « Fratres charissimi, quo saepius per hujusmodi videmus debilem « frangi, et fortem spiritum infirmari. Harum contagionem evadere « conversantem cum eis, nisi probatissimum virum, tam facile judico, « quam juxta Scripturam in igne ambulare, et non comburere plantas. « Non enim securum puto earum formarum introrsus haurire ima- « gines, quae possunt aut edomitae carnis resuscitare igniculum, « aut pudicae mentis maculare nitorem. Frivolum profecto est quod- « cunque mulieris colloquium, excepta sola confessione, vel instruc- « tione brevissima, juxta quod saluti expedit vel congruit honestati. « Quae sunt, quaeso, cum muliere Religioso tractanda negotia, nisi « cum sanctam poenitentiam, vel melioris vitae consilium religiosa « petitione deposcit? — Ex nimia securitate minus cavetur hostis, « et diabolus, si de suo capillum potest habere in homine, cito excre- « scere facit in trabem. Nec solum mortificari debent vitia carnis, « aut ejus incentiva fraenari; verum etiam exteriores sensus, per « quos mors intrat ad animam, summa vigilantia decet custodire. » Nimis ergo de suis viribus praesumit, qui putat, quod in familiari cum mulieribus conversatione periculum nullum incurrat; et propter ipsam suam praesumptionem a gratia deseri potest. — Praeterea attendendum est, quod ex incauta Fratrum cum feminis conversatione facile scandala nascantur, ad quae praecavenda vel maxime

prohibitio S. Patris dirigitur. Errant autem, qui putant, conversationem cum muliere, licet in se non commendandam, tamen a Regula prohibitam non censeri, si fiat occulto modo ita, ut nemini scandalum praebere possit. Nam praeterquam quod ex tali occulta conversatione ipsi Fratri majus periculum immineat, scandalum saltem personae, cum qua fit conversatio, praebetur, quae facile aut non satis ordinato affectu abripi, aut malum Fratris affectum suspicari, et sic ad ruinam spiritualem perduci potest. Neque semper, quae occulta creduntur, ignota manent; sed saepissime, quae in tenebris fiunt, in lumine dicuntur, et maxima scandala progenerant. Certum saltem est et experientia comprobatum, quod, uti egregie *S. Ignatius* dicere consuevit, Religiosus in incauta feminarum conversatione, si non per flammam aduratur, saltem per fumum denigretur.

3. Causae graves dari possunt, per quas — praecipue Sacerdotes — ad conversandum cum mulieribus compellantur. « Sunt, « ait *S. Cyprianus*, necessitates aliae, quae nos quoque privatim « feminas videre compellant, ut visitemus, ut solatia praebeamus, « ut hortamenta vitalia salubriter intimemus » (de singular. Cleric.). — Etiam *S. Franciscus* (l. c.) confessionis aut instructionis spiritualis gratia mulieris colloquium permittit. Sed Sacerdotes, qui officiorum spiritualium causa cum feminis conversari obligantur, *S. Cyprianus* (l. c.) monet, ut cum sancta severitate, et cum omni honestate et modestia procedant, non nimis teneros affectus prodentes, sed sanctam erga se reverentiam inspirantes. *S. Franciscus* (l. c.) innuit, colloquium non inutiliter protrahendum esse, sed instructionem brevissimam esse debere. Aliam cautelam *S. Hieronymus* praescribit (Ep. ad Nepot.) dicens: « Si propter officium clericatus aut vidua vi- « sitetur, aut virgo, nunquam domum solus introeas. Tales habeto « socios, quorum contuberniis non infameris. Solus cum sola, secreto, « et absque arbitro vel teste non sedeas ». Hanc cautelam, quam etiam Constitutiones nostrae injungunt, jam *S. Augustinus* observavit, de quo *Possidius* (in vita) scribit: « Si forte ab aliquibus « feminis, ut videretur vel salutaretur, rogabatur, nunquam sine « Clericis testibus ad eas intrabat, vel solus cum solis nunquam est « locutus, nisi secretorum aliquid interesset ».

4. Notandum pariter est, ait *Viator a Coc.*, consortia suspecta fieri posse non solum in actuali praesentia, sed etiam in absentia, et hoc multipliciter: nimirum vel per frequentes salutationes et amicitiae contestationes nuntiorum ope transmissas; vel per litteras.

quamvis non prorsus inhonestas, tamen nimis tenero et blandienti modo conceptas; vel denique per dona feminis oblata, aut ab his accepta, quae juxta *S. Bernardum* impuri cordis signa sunt. Ideo *S. Hieronymus* Nepotiamo scripsit: « Cave omnes suspiciones: de« vita crebra munuscula, et sudariola, et oblatos ac degustatos « cibos, blandasque et dulces litteras. Sanctus amor non habet « delicias et lepores, et risu dignas urbanitates, et caeteras ineptias « amatorum ».

5. Quamvis S. Pater suspecta cum mulieribus tantum consortia prohibeat, attamen si legis finem et spiritum spectemus, qui ad removenda castitatis pericula, et scandala praecavenda dirigitur, omnino dicendum est, etiam incauta et suspecta cum pueris et juvenibus consortia Fratribus prohibita esse; quia ex illis quoque gravissima tum pericula, tum scandala exoriri possunt. Ideo *Clemens X* (Decr. S. Congr. die 16 Mart. 1675) prohibuit, « recipere « aut admittere ad habitandum intra claustra juvenes, nisi vigesimum « aetatis suae annum expleverint (iis tantum exceptis, qui completa « aetate quindecim annorum pro Clericis seu Choristis, in habitu « Novitiorum annum probationis agunt), sub privationis dignitatum « et officiorum, ac perpetuae inhabilitatis ad illa, vocisque activae « et passivae poena ipso facto incurrenda ». Quoad hoc decretum in Capitulo Generali anno 1847 decisum fuit, Superiorem juvenes annum 20 completum non habentes intra claustra recipientem praedictas poenas non incurrere, quamdiu locum habet virtus hospitalitatis; sed eas incurrere, cessante vel locum non habente tali virtute. Quamvis porro hoc decretum probabilius extra Italiam non obliget, omnium tamen locorum Superioribus ostendit, in recipiendis et admittendis intra claustra juvenibus magna cautela opus esse.

§ 186.

II. De prohibitione ingressus et accessus in Monasteria Monacharum.

TEXTUS. *Et ne ingrediantur monasteria Monacharum, praeter illos, quibus a Sede Apostolica concessa est licentia specialis.*

Cum de ingressu et accessu ad Monasteria Monacharum agitur, probe distinguenda sunt ea, quae a *Regula,* ea, quae *a Summis*

Pontificibus, et ea, quae *a Constitutionibus nostris* ordinata sunt, ut appareat, quid nobis hac in re licitum, et quid prohibitum sit.

1. *S. Regula* prohibet ingressum in Monasteria Monacharum omnibus Fratribus, illis solis exceptis, qui ad hoc a Sede Apostolica specialem licentiam obtinuerunt. Per *Monachas* seu Moniales intelliguntur quaecunque feminae religiosae, quae in Ordine ab Ecclesia approbato tria solemnia vota emittunt, et in eadem domo collegialiter sub clausura vivunt. Ideo *Politius* (in c. 11, n. 10) dicit: « Ad loca autem interiora domorum, ubi mulieres collegialiter absque « ulla tamen canonica professione convivunt, non videtur ex hoc « Regulae praecepto, nec ex Pontificum declarationibus seu prohi- « bitionibus interdictus ingressus; quia hujusmodi mulieres verae « Monachae non sunt, cum sub nulla regulari canonica professione « vivant ». — Dantur equidem nonnulli Expositores, qui ad veras Monachas constituendas clausuram non exigunt, sed solummodo canonicam professionem sub regula a S. Sede approbata; et ad tales ingressum a seraphica Regula interdictum censent, sive clausuram observent, sive non: hanc sententiam defendit *Bernardus Bon.* (Lect. 29, § 7). — Sed sententia huic opposita probabilior est. Nam *Nicolaus III* (C. *Exiit,* Art. 11) dicit: « Nos utique generaliter « id (i. e. ingressum) esse prohibitum de quarumlibet coenobiis « Monialium respondemus. Et nomine Monasterii volumus claustrum, « domos, officinas intelligi; pro eo, quod ad alia loca, ubi homines « saeculares conveniunt, possint Fratres illi causa praedicationis, vel « eleemosynae petendae accedere, quibus id a Superioribus suis pro « sua fuerit maturitate vel idoneitate concessum ». Summus Pontifex ergo ingressum in illa loca a Regula interdictum declarat, in quae etiam homines saeculares ob clausuram venire nequeunt; his autem opponit illa loca, ubi homines saeculares conveniunt: ex quo concludit *Kerkhove* (cap. 11, n. 7), quod vi Regulae non censeatur Fratribus interdictus ingressus in domos Sanctimonialium, ad quas ob clausurae defectum homines saeculares intrare possunt. Praeterea postquam primo a *Bonifacio VIII,* et dein a Concilio Tridentino (Sess. 25. de Regul. et Monial. cap. 5) Monialibus quibuscunque clausura praecepta fuit, illae, quae clausuram non habent, in sensu stricto Monachae seu Moniales non dicuntur: odia vero restringenda esse, commune est Canonistarum principium. Accedit, quod fere communis etiam in Provinciis Italiae persuasio et consuetudo Fratribus Minoribus licitum declaret ingressum ad feminas religiosas, quae

clausuram non habent. — Si autem de veris Monialibus agitur, ingressus in earum domus seu monasteria penitus Fratribus Minoribus prohibitus est: « nomine monasterii » autem, ut ait *Nicolaus III,* « volumus claustrum, domos, officinas intelligi »; et juxta omnes prohibitus est etiam ingressus in hortos, et generatim, ut dicit *Bonagratia,* in omnia loca, in quibus absque pariete vel crate intermedia Moniales convenire solent.

2. Quamvis ingressus in monasteria Monialium Fratribus Minoribus omnino interdictus sit, possunt tamen dari causae, ex quibus praedictus ingressus ipsis quoque licitus fiat. Ipsa Regula a praecepto ingressum vetante excipit illos, *quibus a Sede Apostolica concessa est licentia specialis:* talis autem licentia concedi solet tum Confessariis Monialium, tum Praelatis, quorum jurisdictioni istae subjiciuntur: unde inquirendum est, quandonam illis, quandonam his, et quandonam aliis quoque Fratribus ingressus licitus sit. Et quidem 1. *Confessarii* sive ordinarii, sive extraordinarii, quamvis a Sede Apostolica, seu ab Episcopo, tamquam Sedis Apostolicae Delegato, ad confessiones Monialium excipiendas specialiter (quod semper requiritur) deputati sint, nullatenus tamen pro suo arbitrio intra septa monasterii ingredi possunt; sed tantum si debent alicujus Monialis confessionem excipere, quam commode ad fenestrellam audire nequeunt, cum vel surda (1), vel infirma graviter decumbens sit; aut debent infirmis administrare Sacramenta Eucharistiae, vel Extremae Unctionis, quo in casu socium secum sumere possunt, qui Sacramenti ministerio inserviat, quia indecens est et a more ecclesiastico alienum, feminam huic ministerio inservire; aut demum si Monialibus morientibus assistere, atque ultima charitatis officia praestare tenentur. 2. *Praelatis,* quorum jurisdictioni monasterium Monialium subjectum est, a *Gregorio XIII* concessus est in istud ingressus cum debito comitatu ad visitandas officinas conventus, cellas Monialium, supellectilem, dormitorii decentiam, aedificium vel construendum vel reparandum, etc. 3. *Alii Fratres* monasteria Monialium ingredi possunt, si debeant comitari Visitatores, aut si debeant Monialibus succurrere in gravi necessitate vel temporali, vel

(1) Surdae confessio, ordinariis adhibitis cautelis, generatim audiri potest absque incommodo in loco ubi aliae moniales confessionem instituunt. Unde non facile admittenda excusatio ex hoc capite.

spirituali; sic e. g. monasterium ingredi possunt ad exstinguendum incendium, ad repellendos fures aut violentiam inferentes, dummodo non jam aliunde sufficiens auxilium habeatur, aut ad Sacramenta administranda Moniali ex repentino casu in mortis periculo existenti, si nec ordinarius, nec extraordinarius Confessarius, nec alius idoneus Sacerdos haberi possit, et tempus non permittat, ut licentia petatur et obtineatur.

3. Ingressus in Monasteria Monialium distinguendus est ab accessu ad illa, qui fit cum Moniali loquendi causa in loco extra clausuram existenti, ad quem Saeculares libere se conferre possunt. Quamvis vero accessus iste juxta communiorem et solidiorem sententiam a Regula non prohibeatur, tamen cum summo rigore interdictus est *a Summis Pontificibus,* qui contra Regulares sine debita licentia ad Moniales accedentes et cum illis colloquentes gravissimas censuras pronuntiarunt. Optime hac de re disserit *Benedictus XIV* (de Synod. Dioec. lib. 9, cap. 15, n. 7), ubi haec leguntur: « Quo- « niam crebrae allocutiones Regularium cum Monialibus visae sunt « quodammodo adversari fini perfectae clausurae, cujus praecipuus « scopus fuit, segregare Moniales ab hominum consortio, ut liberius « orationi vacent, et Deo unice animum intendant; idcirco pluribus « pontificiis sanctionibus vetitus fuit Regularibus accessus ad Mo- « niales etiam sui Ordinis, suisque Praelatis subjectas, sine expressa « licentia non solum Praelati Regularis, sed etiam Episcopi. San- « citum id fuerat a *Sixto V* anno 1590, cujus decretum *Paulus V,* « *Urbanus VIII,* aliique posteriores Pontifices confirmarunt et re- « novarunt. Verum quia Regulares varia tentarunt effugia, ut ejus- « modi decretum eluderent, novis propterea sanctionibus fuit robo- « randum, et clarius explicandum. Dictitabant plerique, gravis culpae « reos non fieri Regulares alloquentes Moniales ex rationabili causa, « atque ad honestum finem. Alii subtilius ratiocinantes opinabantur, « horae quadrantem cum dimidio respectu 24 horarum, quibus dies « naturalis absolvitur, exiguam esse materiam, quae ecclesiastici « praecepti transgressionem plerumque excusat a gravi noxa, ac « proinde per tanti temporis intervallum se posse sine periculo le- « thalis peccati cum Monialibus loqui, nulla petita ab Episcopo « licentia. Arbitrabantur alii, saltem praedicto decreto non com- « prehendi Regulares praedicationis munus obeuntes in Monialium « Monasteriis; quibus idcirco docebant licere, post expletam concio- « nem, sermonem cum illis habere, praesertim de rebus spiritualibus

« in ipsa praevia concione tractatis. Sed istas omnes cavillationes « amputavit S. Congregatio Concilii die 11 Maji 1669, et adprobante « *Clemente IX* declaravit, Regulares quoscunque, absque legitima « facultate accedentes ad colloquendum etiam per quodcunque mo- « dicum temporis spatium *cum Monialibus,* aut *aliis intra clau-* « *suram degentibus,* peccare mortaliter, eosque sub excommunica- « tionis, privationis vocis activae et passivae, aliisque contra Regu- « lares accedentes sine licentia ad Monasteria Monialium statutis « poenis posse ab Ordinario tanquam Sedis Apostolicae Delegato « coerceri. Et die 26 Novembris 1672 respondit, nullam quamtumvis « honestam et rationabilem causam eximere a gravi culpa Regulares « accedentes ad Moniales sine licentia Episcopi. Ac die 21 Maji 1678 « iisdem poenis affici dixit Regulares, qui post habitam ad Moniales « concionem de quibuscunque rebus cum iisdem loquuntur, nisi spe- « cialem quoad hoc facultatem ab Episcopo antea impetraverint. » — Tam rigorosas leges Ecclesia hac in re tulit, ut maxima pericula praecaverentur, quae ex frequentioribus colloquiis inter personas diversi sexus, sed ejusdem status, conditionis et sortis institutis oriri possunt; per illa enim non solum mentes dissipantur, sed etiam facile non satis puri affectus excitantur. — Haec decreta pontificia, accessum ad Monasteria Monialium prohibentia, uti testatur *Bernardinus Gandav.,* a variis Regularibus in Germania, in Gallia, et in Belgio recepta non fuerunt; sed Capuccini etiam pro dictis regionibus ultramontanis in Capitulo generali, anno 1613 celebrato, ea receperunt; quae ideo etiam in provinciis ultramontanis vim obligandi habent (Bernardin. G., pag. 757) (1).

4. A prohibitione accedendi ad Monasteria Monialium, et cum his loquendi excipiuntur Praelati, quorum jurisdictioni Moniales subjectae sunt, et harum Confessarii ordinarii, uti testatur idem *Ber-*

(1) Exstat quaedam resolutio S. Cong. Episc. et Regul. 1 Maii 1592, pro Jesuitis et Capuccinis Germaniae et Helvetiae (die 25 Junii 1592 ad Flandriae Capuccinos et Jesuitas missam, juxta Crousers), in qua declarat: « Decreto, quod « Regularibus interdicit visitationes et colloquia Monialium, minime comprehendi « praedictos PP. Societatis Jesu et Capuccinos, in istis nimirum partibus Ger- « maniae et Helvetiorum, quo minus, cum ad eas venerint, Moniales visitare, ac « juxta catholicae fidei dogmata instruere possint, tum publice, tum privatim, « nulla poena ex iis, quae Decreto continentur, ipsis imminente, dummodo id « non faciant, nisi impetrata et scripto expressa Superiorum suorum facultate » (Vid. Bonagrat. n. 83, et Crousers lect. 2, p. 1062).

nardinus Gand. (pag. 756). Reliquis autem Regularibus prohibita est collocutio non solum cum ipsis Monialibus, sed etiam cum puellis, quae educationis causa in Monasteriis reclusae sunt, et quidem sub iisdem censuris, uti patet ex decreto Congreg. sub Clemente IX (n. 3) citato. — Putant autem nonnulli, prohibitam non esse collocutionem cum Abbatissa; tum quia haec sub nomine Monialium non venit, tum quia casus graves emergere possunt, in quibus urgentium negotiorum causa sermocinatio cum ipsa necessaria est: sed talis sententia nullatenus admitti potest; nam, ait *Viator a Coc.*, Abbatissa ad instar caeterarum est Monialis professa, neque in decretis pontificiis inter Abbatissam et reliquas Moniales distinctio initur. Quodsi ob gravia negotia communicatio cum Abbatissa necessaria fiat, licentia ad id est petenda, vel si tempus id non permittat, per litteras, vel per Confessarium Monialium, vel per aliam personam mutua collatio fieri potest.

5. Cum Decreta Pontificia colloquium cum Monialibus, quod *sine licentia Episcopi* habetur, prohibeant, manifeste exinde patet, Episcopos Regularibus licentiam concedere posse ad Moniales accedendi et cum iisdem loquendi. In nonnullis tamen locis, e. g. in Dominio Veneto restricta fuit hac in re Episcoporum facultas ita, ut Fratribus Minoribus solummodo licentiam concedere queant loquendi cum Monialibus iisdem consanguineis in primo vel secundo gradu, licentia autem cum aliis loquendi ab ipsa Sede Apostolica petenda sit: sed hac in re semper attendendae sunt consuetudines locorum, vel speciales concessiones a S. Sede obtentae. Nonnulli Expositores asseruerunt, Ministros Provinciales posse suis Subditis, quin ad Episcopos recurrant, licentiam concedere cum Monialibus loquendi. Sed, uti observat *Viator a Coc.*, concessiones quae pro hac Ministrorum facultate citantur, priores sunt Decretis Pontificiis, et per haec revocatae censentur, nisi legitimae locorum consuetudines, aut specialia S. Sedis indulta contrarium evincant. Admittunt tamen Expositores, Ministros Provinciales posse Fratribus licentiam dare, ut ad Moniales accedant praedicationis causa, quin tamen cum iisdem colloquia misceant; et Superiores locales posse Fratres mendicationis gratia ad portas Monialium mittere, ut ab his eleemosynam petant et accipiant, cum nullatenus credendum sit, Summos Pontifices voluisse prohibere vel Monialibus, ut eleemosynas erogent, vel Fratribus, ut easdem recipiant. Fratres autem mendicantes breviter suam petitionem proponere debent, eisque omnino prohibitum manet,

cum Moniali, aut famula Monasterii superfluos instituere discursus. Generatim licentia, quae pro colloquio cum Moniali obtenta fuit, non potest ultra limites suos praefixos extendi: ergo qui licentiam obtinuit ter cum Moniali loquendi, non potest quarta vice ad eam accedere; et qui cum una licite loquitur, non potest ideo etiam cum alia sermocinari (1).

6. *A Constitutionibus nostris* prohibitum fuit, munus Confessarii apud Moniales, similesque feminarum religiosarum congregationes exercere. Sicut autem per Decreta pontificia prohibitioni confessiones Saecularium excipiendi derogatum fuit, ita etiam munus Confessarii apud Sanctimoniales exercendum non equidem quaeritari, sed tamen, si a Praesulibus ecclesiasticis imponitur, haud recusari debet. — Praeterea cum S. Regula solummodo ingressum in Monasteria Monialium stricte dictarum prohibeat, S. Constitutiones hanc prohibitionem etiam ad alias feminarum religiosarum congregationes extendunt (2). Ajunt enim cap. 11: « Quoniam ad veros Religiosos et « Christi servos spectat fugere non solum evidentia mala et peccata, « verum etiam quodcunque aliquam speciem mali praetendere potest: « volumus idcirco, ne Fratres vadant ad quodcunque Monasterium, « seu domos alias, in quibus religiosae mulieres congregatae vivunt, « ad loquendum cum illis absque licentia P. Provincialis (3), qui se-

(1) Absolute requiritur Ordinarii licentia, nec sufficit Provincialis concessio, ut habet Bened. XIV, Encycl. *Gravissimo* 31 Oct. 1749: « Canonicis sanctio- « nibus Monialium custodia juri ordinario Episcopi, si monasteria ejus potestati « subjecta fuerint, delegato, si exempta, committitur; quemadmodum statutum « fuit a Pontifice Praedecessore Nostro Bonifacio VIII, in cap. *Periculoso, de* « *statu monachor.* in sexto, atque a sacro Tridentino Concilio renovatum in « cap. 5, Sess. 25, *de Regularibus et monialibus.* Hinc porro omnino sequitur, « monasteria adire monialesque invisere, sine custodis jussu licere nemini; ac « propterea debere omnes hujusce rei veniam ab Episcopo impetrare, omnes « demum subesse directivae interdicti auctoritati.... ». Multa alia dicenda forent circa has materias, sed brevitatis causa lectores mittimus ad *Lucidi,* de Visitatione SS. Liminum, et *S. Lig.* l. VII, n. 232-238.

(2) Haec prohibitio quoad moniales non stricte tales, quamvis non obliget sub peccato, fideliter servetur, et Praelati non tolerent frequentationes hujusmodi, quia intentioni Ecclesiae haud conformes, et multiplicis incommodi causa effici solent.

(3) Sufficit licentia Superioris localis, ut legitur in libro Ordin. et Decis. Cap. Gen. edito a R.mo P. Venantio a Taurino, Cap. LXIII, an. 1847, n. 4: « Cum variae Congregationes piarum feminarum aliquibus in ditionibus existant,

« dulo invigilet, advertatque, ne facile facultatem talem concedat, nisi « Fratribus maturis, vitaeque probatae, et in casu necessitatis, aut « magnae pietatis ». Itaque temerarius S. Constitutionum transgressor dicendus est, qui sine Superiorum licentia talium feminarum domos ingreditur, et sine gravi causa cum eisdem conversatur: imo si exinde suspiciones et scandala oriuntur, etiam eminens Regulae praeceptum prius (§ 184) declaratum violat.

§ 187.

III. De Compaternitatibus fugiendis.

TEXTUS. *Nec fiant Compatres virorum vel mulierum, ne hac occasione inter Fratres, vel de Fratribus scandalum oriatur.*

In Sacramentis Baptismi et Confirmationis affinitas spiritualis contrahitur tum ab eo, qui haec Sacramenta confert, tum ab illis, qui Patrinorum munere funguntur. Nonnulli cum *Politio* putarunt, per Compaternitatem, quam S. Pater prohibet, in genere intelligi affinitatem seu cognationem spiritualem vel Sacramenta praedicta administrando, vel patrinum agendo contrahendam; et exinde deduxerunt, Fratribus Minoribus non solum per leges ecclesiasticas (cap. *non licet,* 103. de Consecr. dist. 4, item cap. *placuit,* 2; Cf. Ritual. Roman.), sed etiam per S. Regulam prohiberi, infantes baptizare, excepto necessitatis casu. — Sed tamen solidiores Expositores cum *Viatore a Coc.* jure asserunt, S. Patrem Fratribus non administrationem Baptismi, sed solum munus Patrini prohibuisse; nam 1. juxta communem loquendi modum non Baptizantes, sed solum Patrini vocari solent Compatres, et Commatres: verba autem legum juxta communem loquendi usum exponi debent; 2. Si S. Pater ad

« quae aegrotorum et puellarum curam gerunt, quaeque juxta peculiaria statuta « et regulas vivunt sub nulla clausura, possuntne Capuccini earumdem domum « intrare, ut aegrotorum saecularium confessiones audiant? — R. Affirmative, « de licentia speciali Superioris localis, et non contradicente Ministro Pro« vinciali. »

pericula removenda et scandala praecavenda, administrationem Baptismi prohibuisset, multo magis interdicere debuisset administrationem Poenitentiae Sacramenti, quod tamen nullatenus fecit; 3. Magnum discrimen est inter baptizantem, seu confirmantem, et inter patrinos; nam administratio horum Sacramentorum actu transeunte perficitur, et postea nec ratione officii, nec ratione consuetudinis, conversatio Ministri cum baptizato aut cum ejus parentibus requiritur; Patrini vero officium in se sumunt, curam de susceptis habendi, et defectus parentum supplendi; ac praeterea ratione consuetudinis, specialis quaedam familiaritas ac frequentior conversatio patrinorum cum genitoribus susceptorum exigi videtur: ideo ergo S. Pater compaternitates sapientissime in suo Ordine prohibuit, *ne hac occasione inter Fratres, vel de Fratribus scandalum oriatur.* — Nonnulli putarunt, quod sine violatione Regulae Fratres fieri possint patrini infantium orphanorum, quorum parentes vel mortui sunt, vel non cognoscuntur, aut etiam infantium Principum, aut consanguineorum; quia tunc non esset periculum scandali timendum, et cessante fine legis, cessat lex. — Haec vero sententia nullatenus admitti potest; nam, ut ait *Bernardus a Bon.*, lex universalis, in probabili periculi praesumptione fundata, omnes et semper obligat, licet forte per accidens in casu particulari periculum non adsit.

§ 188.

IV. De Clausura in conventibus Religiosorum observanda.

1. Sicut Fratribus non licet ingredi in Monasteria Monialium, sic etiam feminis omnino interdictus est ingressus in Monasteria Fratrum, quae in hoc sensu *clausuram* habere dicuntur. Haec clausura juxta gravissimas leges ecclesiasticas caute observanda est. Nam *S. Pius V* (Const. *Regularium personarum,* anno 1566 edita) excommunicationem latae sententiae inflixit feminis quibuscunque Religiosorum Monasteria ingredientibus, easdemque ad arbitrium Ordinarii aliis quoque poenis afficiendas esse decrevit: ipsos vero Religiosos, qui feminas intra clausuram introducunt aut admittere praesumunt, idem Summus Pontifex praeter excommunicationem majorem, quam ipso facto incurrunt, suspendit ab officiis divinis, et inha-

biles declaravit ipso facto ad omnia officia. Easdem leges et poenas confirmavit *Gregorius XIII* (Const. *Ubi gratiae*).

2. Cum circa clausurae ambitum et extensionem dubia moverentur, sub *Innocentio XI* anno 1685 S. Congregatio declaravit, sacristias, viridaria, pomaria, hortos et sylvas Conventibus nostris contiguas sub clausura comprehendi; atque ideo mulieres ingredientes, ac Fratres eas introducentes, vel ingressum non impedientes, poenas contra clausurae violatores statutas incurrere (V. Bullar. Capuc. tom. I, pag. 131). — Equidem circa Sacristias eadem S. Congregatio anno 1616 distinctionem inierat inter eas, quae Ecclesiae unitae, vel ab hac separatae sunt, ac decideraf, « quod illae solum, quae « ab Ecclesia forent separatae, rationem clausurae induerent, non « autem Ecclesiis unitae ». Dubitatum vero est, an non haec distinctio revocata et abrogata fuerit per citatum Decretum posterius anni 1685, in quo nulla inter Sacristias distinctio initur, neque hujus dubii solutio, licet saepius petita, a S. Congregatione obtenta fuit. Sed *R.mus Sigismundus a Ferraria*, totius Ordinis Procurator ac dein Minister Generalis, declaravit, sub clausura omnes Fratrum Sacristias comprehendi (1), et in sua Circulari dicit: « Introducentes in eas mulieres, ipso facto privantur officiis, inha- « biles ad illa et alia declarantur, et a Divinis absque alia de- « claratione suspenduntur, praeter censuram Sedi Apostolicae reser- « vatam, quam ipso facto incurrunt ». — Possunt autem feminae ingredi capellas, coemeterium, et oratoria, quae sunt loca Ecclesiae contigua, seu potius in ipsa Ecclesia existentia: secus autem dicendum foret, si ad praedicta loca per aliquam ipsius conventus partem transeundum esset. Etiam Chorus, apud nos post Altare majus situs, extra clausuram est, et partem Ecclesiae constituit: ideo, per se loquendo, mulieres absque censura Chorum ingredi possunt, cum sit

(1) Hodie pro nostratibus sublata sunt dubia per sequentem declarationem S. Cong. Episc. et Regul. die 1 Martii 1836. Proposito dubio « circa sacristias « ecclesiarum istius Ordinis, quae unum ostium in ecclesia, et aliud habent « in claustro, id est: An dictae sacristiae ut pars claustri reputari debeant, « necne? Ipsamet S. Congregatio morem adprobavit constanter toto in Ordine « isto observatum, videlicet: quod quotiescumque ad sacristiam aditus patet per « duo ostia, quorum unum inducit in claustrum, aliud autem in ecclesiam, tunc « sacristia in claustro comprehensa reputatur. Si vero sacristia a claustro sit « penitus sejuncta, ita ut adiri non possit nisi per ecclesiam vel chorum, tunc « non comprehenditur in claustro. » (Bullar. Capuc. tom. X, pag. 47).

locus apertus, omni suspicione carens, eo vel maxime, quia ad talem Chorum accessus sit continuate per eamdem Ecclesiam. Bene autem huic doctrinae *P. Bonagratia*, Alsata, animadversionem adjungit dicens: « Cum tamen in Provincia nostra consuetudo feminas ab « illius ingressu penitus arceat, sine scandalo nemo talem in huju- « smodi Chorum intromiserit » (V. Clausur. n. 80, pag. 162).

3. Circa alia dubia, quae mota fuerunt, S. Congregatio decidit et declaravit sequentia: 1. In ordine ad Monasteria, quae noviter aedificantur, et in quibus conventus necdum est formatus, solumque ibi aliqui Fratres potius aedificii causa, quam ex alio motivo commorantur, declaratur, sicut jam alias anno 1584 declaratum fuit, quod non sit clausura talis ita, ut si mulieres ingrediantur, memoratae Bullae poenas incurrant. 2. Id ipsum quoque fuit resolutum circa domos, quae sunt in Civitatibus, seu locis majoribus, ad quae Fratres infirmi ducuntur, et quae, cum nec Ecclesiam, nec conventum habeant, loca clausurae non possunt nominari; 3. additur: ad alios casus, circa quos fuit dubitatum, generaliter fuit decisum, quod Patres clausuram debeant maturius terminare, et signum, ad quod se extendat, ponere, ne ulla femina illud excedat, aut ingrediatur; alias dictis poenis subjacet (V. Bullar. t. I, pag. 132. in Nota).

4. Causae excusantes dari possunt, ob quas poenae contra violatores clausurae statutae non incurruntur. Nam 1. qui puellam septennio minorem intra septa monasterii introducit, poenas contra violatores clausurae statutas non incurrit: ita sentiunt *Rodriquez*, Sanchez, Lezana, et alii. Contrarium vero definitum legitur in Constitutione Eugenii IV pro Congregatione S. Justinae de Padua, in qua dicitur, excommunicationem incurrere illum, qui mulieres (*cujuscunque aetatis existant*) in monasterium dictae Congregationis introducit, aut ibi commorari permittit. Monialibus etiam sub censuris interdicitur, ne parvas puellas in monasteria sua admittant, ut saepius S. Congregatio Ep. et Regul. declaravit. A fortiori ergo videtur, id tolerandum non esse in conventibus virorum. Ita loquitur *Luc. Ferraris*, Tit. Conventus, Art. III, n. 18 etc.: fatetur tamen, praxin esse pluribus in locis contrariam, et plures Auctores docere, quod excommunicatio non incurratur, si puella septennio minor in conventum admittatur. Notandum tamen est, jam saepius id, statutis quoque in transgressores poenis, in Ordine nostro prohibitum fuisse, et in Capitulo generali anno 1847 statutum legi: « Qui scienter « puellas etiam infra septennium introduxerit, pane et aqua cum

« disciplina in Refectorio puniendus est pro prima vice; duplicanda « est poena pro secunda vice; et si fuerit Superior localis, puniendus « erit arbitrio A. R. P. Provincialis ». 2. Censuras ecclesiasticas etiam non incurreret, qui introduceret aut admitteret mulierem in monasterium in casu verae necessitatis, dum nullum aliud medium suppeteret ad eam liberandam ab iis, qui ejus honestati aut vitae insidiantur, etc. Oportet autem in tali casu, ut Superior localis aut Vicarius hac de re statim certior reddatur, ut nullus Frater solus cum sola maneat, ut mulier non ultra progredi permittatur, quam ad eam a periculo liberandam opus sit, et ut cessante periculo statim dimittatur. 3. Exceptionem quamdam liciti ingressus fecit *Pius V* in Bulla: *Decet Rom. Pontificem* anno 1567, his verbis expressis: « Significavimus nihilominus, quod propter praedictas nostras litteras « non intelleximus, nec intelligimus mulieribus praecludi aditum ad « Monasteria, et loca Regularia, et eorum claustra, quando in eis « Missae et alia divina Officia celebrantur, ac dum Processiones « fiunt, et quando Christifidelium cadavera ibi sepeliuntur, ac etiam « pro eis suffragia fiunt; sed libere perpetuo concedimus eisdem « mulieribus omnibus facultatem, ut ad illa loca, in quibus dicta « pia opera exercentur, cum aliis personis catholicis accedere licite « et libere possint et valeant; ac similiter, quod quando Divinum « Verbum in claustris Monasteriorum et Regularium locorum pro- « ponitur, vel per aliam quamcunque causam tantus concursus populi « fuerit, quod commode ingredi non possint per portam Ecclesiae, « perpetuo concedimus, ut dictae mulieres una cum aliis saecularibus « personis possint ingredi per portam claustri Monasteriorum et lo- « corum Regularium, dummodo recto tramite accedant ad portam, « qua exitur a Monasterio.... ». Cum autem mulieres non possint esse in dictis locis, nisi quando divina Officia celebrantur, peccant, si notabiliter tempus praeveniant, aut eo peracto notabiliter remaneant: secus si neque anticipatio, neque mora sit notabilis; quia res morales non consistunt in indivisibili, sed admittunt latitudinem moralem ad arbitrium prudentum. Pariter peccant progrediendo ad alia loca; quia ipsis tantum conceditur ingredi loca, ubi celebrantur divina Officia. — Quantum vero ad excommunicationem, existimo, quod in hoc ultimo casu, et in praecedenti, saltem diuturnioris morae, non incurrant; quia videtur lata tantum in ingredientes indebite, non autem in ingressas debite, diutius commorantes, aut ulterius progredientes: ita cum *Bonacina* cl. *Billuart* (de stat. relig. Diss. II,

Art. II). Sed Benedictus XIV, Const. *Regularis disciplina,* revocat quaecunque indulta et privilegia admittendi feminas intra clausuram Conventuum, quacunque de causa etiam devotionis, associandi processiones, et SS. Eucharistiae Sacramentum: prohibetque quibuscunque, etiam Cardinalibus, ne facultates et licentias ingrediendi clausuram conventuum Religiosorum feminis ullo modo concedant, et concessas omnino invalidas declarat. Juxta eamdem Bullam etiam Conjuges Principum regnantium et Fundatrices ingredi prohibentur, nisi habeant privilegium a Sede Apostolica in forma Brevis, illudque exhibeant locorum Ordinariis, vel praesulibus Monasterii. V. *Ligorium,* Th. Mor. t. 2, L. 7, Dub. 4, Art. III, num. 231. Ultimo notandum est, quod mulier, si censuras ecclesiasticas ignorat, excommunicationem non incurrat. Ab hac autem, si a femina incurratur, absolvere possunt extra Italiam Confessarii Mendicantes vi suorum privilegiorum, ut dicit idem *Billuart* (l. c.) (1).

CAPUT XII.

§ 189.

De Missionariis, et de Cardinale Protectore.

S. Franciscus, vir catholicus et totus apostolicus, summopere desideravit, ut ipsius alumni non solum Fidelibus, sed etiam Infidelibus prosint, omnium salutem promovere, et veram fidem ubique propagare studeant; quod ut praestare possint, nihil magis necessarium est, quam ut ipsi fidei catholicae semper tenaciter inhaereant. Ideo S. Pater in hoc ultimo capite loquitur de fide inter Infideles propaganda, et de fide in Ordine ipso conservanda; dum regulas a Missionariis observandas proponit, totumque Ordinem obligat ad petendum Cardinalem Protectorem. Agendum itaque est 1. *de Missionariis,* et 2. *de Cardinale Protectore.*

---

(1) Hodie non amplius existit tale privilegium, ut patet ex pag. 381, (1).

§ 190.

I. De Missionariis.

TEXTUS. *Quicunque Fratrum divina inspiratione voluerint ire inter Saracenos, et alios infideles, petant inde licentiam a suis Ministris Provincialibus. Ministri vero nullis eundi licentiam tribuant, nisi eis, quos viderint esse idoneos ad mittendum.*

Qui patriam suam relinquunt, plurimisque incommodis, periculis, aerumnis et persecutionibus se exponunt, ut inter infideles vel haereticos fidem christianam catholicam praedicantes, gloriam Dei et salutem animarum promoveant, absque dubio Apostolorum vitam perfectissime imitantur, et opus Deo acceptissimum ac pro vita aeterna maxime meritorium suscipiunt. Ipse S. Franciscus hac in re Fratribus suo exemplo praeivit, cum in Orientem profectus ipsi Sultano Christum praedicare non timuit, eodemque tempore alios Fratres in Occidentem ad Saracenos, seu muhameticae superstitionis cultores misit. — Ut autem praestantissimum hoc charitatis opus semper in Ordine seraphico debito modo suscipiatur, S. Pater pro illis, qui ad fidem catholicam propagandam *voluerint ire inter Saracenos, et alios Infideles,* tria requirit: 1. ut sint divinitus vocati, seu *divina inspiratione* commoti ad Missionarii munus suscipiendum; 2. ut sint *idonei,* ac necessariis pro tanto munere qualitatibus instructi; et 3. ut *petant* et obtineant *licentiam a suis Ministris Provincialibus,* qui eam solummodo idoneis concedere possunt.

1. Sapientissime sane S. Pater pro Missionariis ante omnia exigit *divinam inspirationem,* seu vocationem, sine qua gratiae divinae, ad tam arduum et periculosum munus exercendum necessariae, exspectari non possunt. Divina vero inspiratio seu vocatio praecipue ex motivo dignoscitur, ex quo quis ad Missionarii munus suscipiendum se incitatum sentit, et quod nullum aliud esse debet quam ardens desiderium gloriam Dei et salutem animarum promovendi. — Qui ergo ex levitate et mobilitate animi, nunquam de

suo statu contentus; vel ex curiositate novas regiones, novasque gentes videndi; vel ex ambitione sibi nomen aliquod, aut conspicuam dignitatem acquirendi; vel ex desiderio jugum obedientiae excutiendi, et disciplinam regularem fugiendi; vel ex aliis non satis honestis motivis, ad Missionarii munus suscipiendum incitaretur, jam prima et maxime necessaria conditione ab ipsa Regula requisita careret; et ideo, ut recte observat *Politius*, ab immaturo suo consilio desistere deberet, ne tum suam, tum aliorum salutem maximo periculo exponat. — Qui autem putat, se nonnisi ex optimo fine munus Missionarii desiderare, caute tamen procedat, et vocationem suam attente examinet juxta monitum Apostoli: *Probate Spiritus, si ex Deo sint* (I. Jo. 4). Per fervidas ergo preces a Deo lumen imploret, per quod divinam inspirationem ab impulsibus naturae, et a suggestionibus daemonis, qui haud raro se in Angelum lucis transfigurat, recte secernere valeat. Dein nullatenus suo unice judicio confidat, sed intimos sensus suos Confessario candide manifestet, ejusque judicium audiat: quodsi Confessarius minus doctus aut expertus sit, valde consultum erit, ut deliberatio tanti momenti viro docto, pio et experto manifestetur, ejusque judicio subjiciatur (1).

2. S. Pater vult, ut nonnisi *idonei*, seu necessariis qualitatibus instructi, ad Saracenos aut alios infideles mittantur. Ut vero Fratres ad tam arduum munus idonei reputentur, *S. Bonaventura* praecipue quatuor qualitates requirit; ait enim: 1. Sint *robusti corpore;* nam

(1) Notanda sunt haec principia doctrinalia circa vocationem ad Missiones, a S. Cong. de Prop. Fide probata in Statuto Missionum nostrarum, nn. 11 et 15: « *Vocatio Seraphica. Cura Directorum.* Cum in Ordine Seraphico eminenter « contineatur vocatio ad Missiones apud infideles, Provincialium erit, Magistrorum, « Lectorum, ac Directorum spiritualium maxima cura et solertia efficere, ut « juvenes observantiae Regulae et Constitutionum Ordinis inhaereant, quae tuto « ducunt ad amorem Dei et proximi, ex quo oritur zelus animarum, et spiritus « abnegationis et sacrificii pro gloria Dei promovenda: quae virtutes in omni « Missionario eminere debent. — *Speciale signum vocationis.* Vera vocatio dici « debet etiam illa, qua Fratres obedientiae studiosissimi, neque desiderium sen- « tiunt quoad Missiones, neque ad illas repugnantiam, sed ex intimo parati sunt « ad omnia exsequenda quae Minister Generalis mandaverit. Isti etiam, si caeteris « requisitis non careant, ad Missiones prudenter mitti poterunt. » Nec doctrinam hujusmodi infirmat ratio approbationis ad quinquennale experimentum, nam « evidens est, id quod in ipso Statuto pertinet ad jus commune, nec praesenti « nec ulteriori approbatione indigere » (Ex litt. Secretariae ejusdem S. Cong. 17 Aug. 1887).

qui debiles et infirmi sunt, vel de sua salute corporali nimis anxios et sollicitos se ostendunt, et omnia sanitatis laedendae pericula reformidant, apti non sunt ad famem, sitim, frigus, aestum, itinera per aquas, glacies et nives, aliasque Missionariorum molestias perferendas. 2. Sint *constantes in fide,* i. e. tali circa veritates fidei scientia instructi, ut non solum ignorantes recte edocere, sed etiam aliter sentientes et dogmata catholica impugnantes refellere possint; ac praeterea in animo tam firmam de fidei veritatibus persuasionem, et in corde talem erga catholicam Religionem affectionem habeant, ut pro hac etiam sanguinem fundere parati sint. 3. Sint *probati virtute,* i. e. non solum nullum vitium morale, quod dominetur, in ipsis appareat, sed potius sint humiles, mansueti, sobrii, orationis exercitio dediti, charitate erga proximum ferventes; maxime autem opus est, ut sint probati virtute castitatis; nam qui in hoc puncto fragiles sunt, nullatenus se plurimis, quae in Missionibus occurrere solent, periculis exponere possunt. 4. Sint *semper irreprehensibiliter conversati;* qui enim inter monasteriorum moenia laudabilem vitam non agunt, regularem disciplinam non observant, Superioribus non obediunt, aut alio modo reprehensibiles se ostendunt, idonei censendi non sunt pro Missionarii munere, in quo libertate, qua potiuntur, nimis facile in detrimentum animae suae, in scandalum aliorum, et in Religionis dedecus abutuntur. — *Pisanus* plura adhuc, quam seraphicus Doctor, pro Missionario exigere videtur; ait enim: « Idoneitas attendenda est in litteratura, in personae sanctitate, re- « ligiositate et vita, ac fidei zelo et fervore, mundi et sui perfecta « abnegatione ». Notandum tamen est, non pro omnibus Missionibus easdem qualitates requiri, sicuti etiam Constitutiones nostrae sapienter observant, distinctionem inter Mahumetanos et Americanos ineuntes. Ast licet non apud omnes populos idem scientiarum apparatus, et eadem animi fortitudo in perferendis aerumnis et contemnenda ipsa morte requiratur, caeterae tamen qualitates, praecipue morales, ubique locorum necessariae sunt.

3. Qui se ad Missionarii munus suscipiendum vere a Deo vocatos putant, debent juxta clara Regulae verba ad hoc perficiendum *a suis Ministris Provincialibus licentiam petere.* Hi vero obligantur caute inquirere, an Postulans necessariis ad tam arduum munus qualitatibus praeditus sit, an non; quoniam a Regula prohibentur, aliis petitam licentiam concedere, quam illis, quos ad Missionarii munus idoneos cognoverint. Convenit quoque, ut in hoc

judicio potius nimis rigorosi, quam nimis laxi sint; quia, ut ait *Bernardus Bon.*, minus malum est, ex judicio erroneo licentiam idoneo cuidam negare, quam eamdem non idoneo concedere. — Notandum vero est, quod juxta recentiorem Ecclesiae disciplinam totum de Missionibus et Missionariis negotium ad S. Congregationem de Propaganda Fide spectet, ad quam ideo etiam Regulares vel immediate, vel per R.mum Procuratorem Generalem postulationes suas dirigere debent. Nihilominus autem oportet, Ministrum Provincialem de facienda postulatione certiorem reddere; tum quia semper ad hunc spectat, de postulantis idoneitate judicare, tum ne de improviso alicujus Fratris e Provincia discessu perturbatio contingat. — Graviter vero peccaret Minister Provincialis, si eum, quem coram Deo idoneum cognovit, a Missionibus retinere vel retrahere conaretur; imo Minister Provincialis, aut Superior localis retinens vel retrahens eum, cujus nomen jam S. Congregationi praesentatum, et in ejusdem Registrum receptum fuit, praeter peccatum scandali etiam poenas a S. Congregatione die 2 Septembris anno 1730 comminatas incurrit, nimirum privationem vocis activae et passivae, et inhabilitatem ad omnia officia: has easdem poenas incurrit etiam ipse Frater, qui, postquam S. Congregatio ejus nomen inter Missionarios retulit, factae postulationis poenitens, ad Missiones ire recusat, nisi graves mutati sui consilii causas Sacrae Congregationi proponere possit. — Si autem Minister Provincialis postulantem haud idoneum judicaverit, tenorem judicii sui, ejusque rationes, si jam facta fuerit postulatio, S. Congregationi seu R.mo Procuratori Generali indicare tenetur (1).

---

(1) Ad rem faciunt sequentes ordinationes novissimi Capit. Gen. LXV, nn. 74, 76, 77, 78: « Ad unitatem in Ordinis directione solidandam et perfi-« ciendam, necnon ad majorem exterarum Missionum nostrarum utilitatem pro-« curandam, Capitulum Generale statuit, ut a S. Sede petatur et obtineatur abo-« litio muneris et officii Procuratoris Generalis Missionum, et ut juxta priscam « Ordinis praxim et salutarem consuetudinem, per paucos tantum annos inter-« ruptam, omnes Missiones exterae restituantur sub vera et immediata Ministri « Generalis suique Definitorii jurisdictione, intra limites juris regularis Mis-« sionum (*quod S.mus D. N. Leo XIII die 7 Decembris 1884 ratum habuit*). « — Qui Missiones peroptant, nonnisi implorato primum per humiles preces di-« vino lumine, et adhibito propriae conscientiae moderatoris consilio, litteras « obedientiales a Ministro Generali petant; Minister vero Generalis solummodo « illis obedientias mittat, quos post exactissimas informationes a PP. Provincia-

4. Ministri non possunt cogere per obedientiam nolentes ad munus Missionarii apud infideles suscipiendum: ipse *S. Joann. Capistranus* ita sensit, et dicit, « non esse tutum obligare renitentes « cum tanto periculo corporis et animae ». — Aliter autem sentiendum est de Missionibus, quae in regionibus haereticorum aut schismaticorum habentur, et quarum Praefectus est ipse Minister Provincialis, qui ex sua Provincia illis idonea subjecta providere tenetur. Ad has missiones subeundas, ait *Viator a Coc.*, Ministri Provinciales subditos suos vi obedientiae obligare possunt; tum quia ideo non fiunt Missionarii perpetui, tum quia Provinciae alumni se per Professionem jam quodammodo obligant ad ejusdem Provinciae onera ferenda, tum quia saepe officium charitatis exigit, ut illis locis succurratur, quae speciali auxilio indigent, quo deficiente periculum apostasiae a fide vel aliorum scandalorum incolis eorumdem immineret (1). Demum in his Missionibus Minister Provincialis tamquam Praefectus jurisdictionem in Missionarios, dependenter tamen a

« libus et etiam ab aliis, si opus sit, in scriptis obtentas, dignos ac idoneos in- « venerit. Si vero agatur de Missionibus Provinciae postulantium concreditis, « tunc litterae obedientiales per Ministrum Provincialem postulari debent. — « Tum ipsi Provinciales, tum alii Fratres, a quibus petuntur, posthabito omni « alio respectu, conscientiosissimas praebeant informationes, memores judicii Dei, « cui de bono non promoto et de malo non impedito ob falsas vel ambiguas « informationes rationem reddituri erunt. — Nemini liceat illos, qui sanctae « vocationis signa dederint et a Ministro Generali litteras obedientiales obti- « nuerint, a suo sancto proposito sub ullo praetextu dimovere. »

(1) Quoniam ex decreto novissimi Capit. Gen. LXV, n. 75: « Curandum est « pro viribus, ut juxta antiquissimam Ordinis nostri consuetudinem, Missiones « inter varias Ordinis Provincias dividantur, aut saltem, ut Missionarii ejusdem « linguae non separatim in diversis Missionibus, sed simul in eadem collocentur »; Provinciae Fratres illius, quae specialem habet Missionem, tenentur Missionis onera sustinere, quia in actu professionis adest quasi contractus, quo quis sese obligat ad suscipiendum munus Missionarii, si et quando necessitas Provinciae id postulaverit, servatis servandis. Prudenter tamen agunt Provinciales, non mittentes (seu non praesentantes Ministro Generali) invitos, imo excludentes eos, qui nec explicite nec implicite postulant ut mittantur, praesertim si agatur de Missione difficiliori ratione distantiae, notabilis insalubritatis aëris, etc. Ad Missiones vero, quae virtutem seu animum heroicum postulant, nullo pacto mittantur inviti, secus facile habebuntur gravissima incommoda. Caeterum in praxi, datis cautionibus novissimi Capit. Gen. et Statuti Missionum, quasi a priori removentur praefata incommoda et pericula, et tutiores evadunt apostolicorum operariorum electiones.

S. Congregatione de Propaganda Fide, retinet. Sed in Missionibus apud Infideles, Minister Provincialis nullam jurisdictionem habet in Missionarios e sua Provincia egressos (1).

§ 191.

II. De Cardinale Protectore.

TEXTUS. *Ad haec per obedientiam injungo Ministris, ut petant a Domino Papa unum de Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, qui sit Gubernator, Protector, et Corrector istius Fraternitatis; ut semper subditi et subjecti pedibus ejusdem S. Romanae Ecclesiae, stabiles in fide catholica, paupertatem, et humilitatem, et S. Evangelium Domini nostri Jesu Christi, quod firmiter promisimus, observemus.*

1. S. Franciscus ad fidei puritatem et regularem disciplinam in suo Ordine conservandam, optimum judicavit, ut totus Ordo ab aliquo Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali gubernaretur, protegeretur, et si opus fuerit, corrigeretur. Talem Cardinalem jam ipsemet a S. Sede petiit et obtinuit. Lectu dignissima est ipsius Epistola ad Honorium III scripta, quam refert *Waddingus* (tom 1, pag. 173), et quae ita sonat: « Pater sancte, et Domine! vestrae continuae « curae et incessabili sollicitudini circa moderandam Ecclesiam ego « misellus et indignus servus ex corde compatior, et cum timore « et verecundia accedo, quotiescunque pro Minoribus vestris servulis « loqui aut intercedere oportet. Curas enim vestras humilibus rebus « nostris novi superiores, videoque prae foribus heroes, ac hujus « saeculi locupletes, aliarumque Religionum viros grandes et doctos « neque adeo facilem eis posse aditum patere propter gravium, quae « vestram Beatitudinem circumdant, Christianae Reipublicae nego- « tiorum multitudinem. Nos ergo omnibus viliores et contemptibi-

(1) Jurisdictio Ordinis salva et tuta existit, ut constat ex iis, quae notavimus in toto praesenti articulo, praesertim ad n. 3, pag. 554.

« liores, quomodo audebimus pro rerum nostrarum opportunitate aut « necessitate ad vestra penetralia ingressum attentare? quin et ti- « memus, verecundiamurque tanquam indigni accedere ad ostium « vestrum, et pulsare ad Tabernacula Principis Christianorum. Quare « Sanctitatem vestram supplex oro, ut Dominum hunc Ostiensem « nobis dignetur pro Papa et vice sua concedere, ut ad eum tem- « pore necessitatis possimus accedere, salva tamen integra semper « vestrae praeeminentia dignitatis, a quo tanquam a capite hujus « mystici corporis vigor descendit, et potestas omnis emanat. » Annuit, ait *Waddingus,* Pontifex, et suam Cardinali concessit potestatem circa Minores, seriam adjungens commendationem de fovendo et protegendo Minorum Sodalitio.

2. S. Pater *per obedientiam* injunxit, i. e. gravissime praecepit non uni, sed *Ministris* generatim, *ut* non ipsi eligant, sed *a Domino Papa petant unum de sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, qui sit Gubernator, Protector, et Corrector istius Fraternitatis.* — Praeceptum hoc eminens primario quidem Ministrum Generalem afficit, et Generalem Ordinis Procuratorem; sed his deficientibus reliqui Ministri illud adimplere, et a Summo Pontifice aliquem ex Cardinalibus ut Ordinis Protectorem petere tenentur. Hujus vero praecepti finem S. Pater assignat, dicens: *Ut semper subditi et subjecti pedibus ejusdem sanctae Ecclesiae, stabiles in fide catholica, paupertatem et humilitatem, et S. Evangelium Domini nostri Jesu Christi, quod firmiter promisimus, observemus.* In quae verba *Politius* ait: « Tria sunt, quae dicit: primum est « plena totius Ordinis subjectio ad Romanam Ecclesiam, quod est « contra scissuras schismatum (*semper subditi* etc.); secundum est « stabilitas Ordinis in fide catholica (*stabiles* etc.), quod est contra « errores haeresum; tertium est pura et plena nostrae regularis et « evangelicae professionis observantia (*paupertatem, et humilita- « tem* etc.): paupertatem et humilitatem, quas maxime dilexit, sin- « gulariter specificat tanquam fundamentum et basin totius regularis « observantiae; reliqua vero omnia ad perfectionem vitae spectantia « sub nomine Evangelii comprehendit ».

3. Cardinalis, a Summo Pontifice Ordini praeponendus, debet 1. *ut Gubernator* vigilare et procurare, ut Ordo seraphicus sanctae Romanae Ecclesiae et Summo Pontifici subjectus, purae catholicae fidei inhaerens, et in observantia Regulae fidelis permaneat; 2. *ut Protector* Ordinem contra falsas calumnias et iniquas persecutiones

tueri; et 3. *ut Corrector* ipsos supremos Ordinis Moderatores, si a recto tramite devient, monere et coercere, vel eosdem in coercendis suis subditis adjuvare. Ad haec tria restrinxit S. P. *Innocentius XII* (Const. *Christifidelium*, anno 1693, in Bullar. T. 6, p. 446) jura et officia Cardinalis Protectoris: et ideo sustulit ac interdixit Appellationes privatorum Fratrum ad ipsum, eidemque penitus facultatem abnegavit ordinationes Capitulorum generalium aut provincialium mutandi, vel in illis dispensandi, Praelatos aut nominandi, aut deponendi, obedientias pro instituendis itineribus concedendi, aut quosdam ad studia vel ad praedicationem promovendi, etc. etc.; quia haec omnia ad Ministros seu ad Praelatos Ordinis spectant: quapropter etiam declaravit, in his Cardinali Protectori nullam obedientiam praestandam esse.

§ 192.

Confirmatio Regulae.

Regulam Seraphicam sequentibus verbis confirmat Summus Pontifex *Honorius III:* « Nulli ergo hominum liceat, hanc paginam « nostrae confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire ». Omnibus ergo hominibus cujuscunque status, conditionis, vel etiam dignitatis, per comminationem judicii divini interdicitur, seraphicam Regulam vilipendere aut reprobare: « quod tamen faciunt, ait *S. Bo-* « *naventura* (in fine Exp.), detractores, Regulam ipsam, et Regulae « declarationem, et Fratrum conversationem trino ordine dentium lace- « rantes; unde caveant ab eo, quod sequitur: Si quis autem hoc atten- « tare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et BB. Petri « et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum ». Magnam poenam Summus Pontifex his verbis comminatur: quia magnum crimen est, Regulam, quam vir sanctissimus ab ipso Christo se accepisse testatur, et quae a Sacra Sede Apostolica approbata fuit, contemnere, eam ineptam aut insulsam dicere, aut sinistris eam expositionibus corrumpere, aut eos, qui juxta tenorem illius vivere gestiunt, detractionibus, cachinnis et contumeliis persequi. Caveant ergo omnes a tali crimine, ne indignationem divinam incurrant; et caveant praecipue Fratres Minores ipsi a quovis vel minimo Regulae con-

temptu, sed hanc maximi aestimare, recte intelligere, et fideliter observare studeant, ut tanquam genuini S. Francisci Filii ad promissa aeterna praemia pervenire mereantur. *Amen.*

§ 193.

Testamentum B. P. N. Francisci

a R. P. Augustino a Fusiniano breviter expositum.

1. Sacrae Regulae junctum reperitur Seraphici Patriarchae *Testamentum,* hoc nomine insignitum, quoniam ipse in ultimis vitae suae horis inter magnos dolores, et inter deliquia, per quae morti appropinquabat, cum admirabili spiritus praesentia illud Fr. Angelo Reatino, socio suo, dictavit. — Quamvis autem hoc testamentum nullam nobis obligationem imponat, uti *Gregorius IX* quatuor annis post S. Patris mortem, nimirum anno 1230, et *Nicolaus III* anno 1279 declararunt: nullatenus tamen superfluum erit, illud breviter perlustrari, ut cognoscamus, qualem spiritum humilitatis, poenitentiae, religionis, paupertatis, et obedientiae simul cum paterna sua Benedictione in haereditatem nobis reliquerit, et ut sic ad sanctam Regulam, quam coram Deo vovimus, exactius observandam incitemur.

2. S. Pater simplicibus verbis incipit dicens: *Dominus dedit mihi Fratri Francisco ita incipere facere poenitentiam:* quibus candide confitens, se per solam gratiam divinam a vanitatibus terrae avulsum, et e periculis mundi ereptum fuisse, nos edocet, quod, quidquid boni fecerimus, Deo grati adscribere debeamus, cum ex nobismetipsis nil habeamus, nisi miserias, imperfectiones et peccata. Postea cum profundissima humilitate profitetur, se peccatorem fuisse; ait enim: *Quia cum essem in peccatis, nimis mihi videbatur amarum videre leprosos.* Constat autem ex testimonio illius, qui S. Patris confessionem generalem excepit, eumdem nunquam candidum virginitatis lilium maculasse, neque inordinatis passionibus unquam deserviisse: fuit tantum amans vanitatum, recreationum, jocorum, et per affabilitatem et magnificentiam inter coaevos suos excellere studuit. Hac de causa dicit, se in peccatis immersum fuisse; et quin de tenera commiseratione, quae ipsum erga pauperes maxime bene-

ficum reddidit, vel de aliis egregiis virtutibus, quae aliorum admirationem in se excitabant, ne minimam quidem mentionem faceret, solummodo inordinatum taedium, quo a leprosorum conspectu abhorrebat, manifestavit, ut nos doceret, quod sicut virtutes celare, ita imperfectiones proprias confiteri oporteat, ad superbiae nostrae fastum retundendum. — Dein subjungit: *Et ipse Dominus conduxit me inter illos, et feci misericordiam cum illis. Et recedente me ab ipsis, id, quod mihi videbatur amarum, conversum fuit mihi in dulcedinem animae et corporis:* hisce verbis nos exhortatur, ut in qualibet occasione nos ipsos vincamus, et virtutem mortificationis omnibus ad perfectionem tendentibus maxime necessariam exerceamus; ideo exemplum suum nobis ante oculos ponit, pro certo asseverans quod statim ac naturae repugnantiam vincere, in hospitalia se conferre, et leprosis inservire inceperat, talem dulcedinem et consolationem expertus sit, atque ita se quoad animam et corpus corroboratum senserit, ut cum omni facilitate mundi oblectamentis renuntiare, exercitiorum spiritualium amorem concipere, et relictis divitiis, commodis, parentibus et amicis, Dei famulatui unice intendere potuerit.

3. Gratia, quam S. Pater per sui abnegationem obtinuit, in ipso vacua non fuit; quod ipse innuit dicens: *Et postea parum steti, et exivi de saeculo:* quibus dictis statim progreditur ad varios devotionis sensus nobis insinuandos. Primo commendat nobis magnam reverentiam, quam erga Ecclesias, quae sunt domus Dei, fovere debemus, et proponit devotam orationem, qua illas intrantes uti possimus; ait enim: *Et Dominus dedit mihi talem fidem in Ecclesiis, ut ita simpliciter adorarem, et dicerem: Adoramus te, sanctissime Domine Jesu Christe, hic et ad omnes Ecclesias tuas, quae sunt in toto mundo, et benedicimus tibi, quia per crucem sanctam tuam redemisti mundum.* Postea, alias speciosas virtutes animis nostris inserere cupiens, iterum suo exemplo nos ad maximam erga Sacerdotes reverentiam excitat, dicens: *Et postea dedit mihi Dominus, et dat tantam fidem in Sacerdotibus, qui vivunt secundum formam sanctae Ecclesiae, propter Ordinem ipsorum, quod, si facerent mihi persecutionem, volo recurrere ad ipsos. Et si haberem tantam sapientiam, quantam Salomon habuit, et invenirem pauperculos Sacerdotes hujus saeculi in Parochiis, in quibus morantur, nolo praedicare contra voluntatem ipsorum. Et ipsos et omnes alios volo timere, amare, et honorare sicut meos Dominos: et nolo*

in ipsis considerare peccatum, quia Filium Dei discerno in eis, et Domini mei sunt. Et propter hoc facio, quia nihil video corporaliter in hoc saeculo de ipso altissimo Filio Dei, nisi sanctissimum corpus ejus, et sanguinem ejus, quod ipsi consecrant et recipiunt, et ipsi soli aliis administrant. S. Franciscus ergo ex triplici potissimum causa maximam erga Sacerdotes reverentiam habuit: nimirum, quia S. Ordine characterem indelebilem imprimente sunt insigniti, quia Filii Dei personam repraesentant, et quia S. Eucharistiam conficiunt, recipiunt, et administrant. Si autem ideo S. Pater ob nullam sibi illatam injuriam aut persecutionem ab ipsis avelli voluit; si nunquam aliquid dixit aut fecit, quod ipsis displicere posset; si eosdem ita semper amavit et honoravit, ut dicere soleret, se, si simul Sacerdoti, et Angelo obviam fieret, primo Sacerdotis manum exosculari, et dein Angelum revereri velle: dicendum profecto est, quod nos nunquam tanquam legitimi ipsius Filii agnosci possimus, si erga Sacerdotes non in omni tempore et in qualibet occasione maximam reverentiam et humilem venerationem ostendamus. — A reverentia Ecclesiis et Sacerdotibus exhibenda progreditur S. Pater ad teneram devotionem erga sanctissimum Eucharistiae Sacramentum nobis commendandam. Facta igitur mentione de corpore et sanguine Jesu Christi a Sacerdotibus consecratis, receptis, et administratis, statim subjungit: *Et haec sanctissima mysteria volo super omnia honorare et venerari, et in locis pretiosis collocare:* satis clare nobis manifestans, ardens suum desiderium esse, ut tantum Sacramentum cum magna frequentia et devotione visitemus, adoremus, revereamur, et in loco tam mundo et nitido conservemus, ut ipsa mundities et nitor paupertatem nostram condecorent, et omnibus devotionem inspirent; quod non contingeret, si altaria nostra, praecipue illa, in quibus sanctissimum Sacramentum asservatur, bene ornata, nitida, et munda non essent. — Sed nondum quiescit fervens S. Patris charitas. Ut enim nos venerationis illius, quam erga sanctum Dei nomen, erga S. Scripturae eloquia, et ad omnia verba quocunque modo sanctificata in corde gerebat, haeredes institueret, pergit dicens: *Sanctissima nomina ejus et verba scripta, ubicunque invenero in locis illicitis, volo colligere, et rogo, quod colligantur, et in honesto loco collocentur;* ac si dicat: cum omni charitate et auctoritate Patris exhortor Filios meos, ut chartas, quibus sancta Nomina, aut sacra verba inscripta aut impressa sunt, nunquam in loca indecentia reponi, aut in viis conculcari permittant.

Demum sicut ille, qui ea, quae Dei sunt, amat, praecipuo amore in animas ab ipso redemptas fertur; ita S. Pater etiam magnam reverentiam erga omnes commendat, qui ad salutem animarum promovendam destinantur; quapropter inquit: *Et omnes Theologos, et qui ministrant nobis sanctissima verba divina, debemus honorare et venerari, sicut qui ministrant nobis spiritum et vitam.* Ut ergo piis seraphici Patris desideriis et ferventi ejus zelo obsequamur, cavendum est, ne similes personas vilipendamus, aut iniquae criticae subjiciamus; sed potius easdem semper honorare, revereri, ipsis libenter obsequia praestare, earum labores orationibus nostris adjuvare, et quantum fieri potest, in sacro ministerio ipsas imitari debemus.

4. Commendata nobis reverentia et devotione rebus sacris exhibenda, S. Pater nos etiam ad magnam Regulae suae aestimationem provocat; quia non ex humano ingenio compilata, sed ab ipso Deo revelata, et a Romano Pontifice confirmata fuit. Ideo ait: *Et postquam Dominus dedit mihi de Fratribus, nemo ostendebat mihi, quid deberem facere: sed ipse Altissimus revelavit mihi, quod ego deberem secundum formam sancti Evangelii vivere. Et ego paucis verbis et simplicibus feci scribi, et Dominus Papa confirmavit mihi.* Quoniam autem S. Regula praecipue paupertatem, devotionem et humilitatem commendat, S. Pater nos ad has virtutes exercendas per sua suorumque primorum discipulorum exempla allicit, dicens: *Et illi, qui veniebant ad recipiendam vitam istam, omnia, quae habere poterant, dabant pauperibus. Et eramus contenti tunica una, intus et foris repetiata, qui volebant, cum cingulo et femoralibus; et nolebamus plus habere. Officium dicebamus nos Clerici secundum alios Clericos; Laici dicebant Pater noster. Et satis libenter manebamus in Ecclesiis pauperculis et derelictis, et eramus idiotae, et subditi omnibus.* Haec ergo exempla nos impellere debent, ut sanctam paupertatem ubique, praecipue vero in simplici vestitu, ab omni vanitate et superfluitate remoto, observemus; ut libenter manentes in Ecclesia, quae est domus Dei et porta coeli, praesertim pensum divinum debito tempore, ordine et modo persolvamus; et ut non alta de nobis sentientes, nec vanam gloriam anhelantes, humiliter potius nos omnibus postponamus et subjiciamus.

5. S. Francisco maxime cordi fuit, ut Fratres otium, animae inimicum, fugiant, et honestis laboribus occupentur: ideo etiam in

suo Testamento eosdem tum exemplo, tum praecepto suo ad laborandum impellit, dicens: *Et ego manibus meis laborabam, et volo laborare, et omnes alii Fratres mei, firmiter volo, quod laborent de laboritio, quod pertinet ad honestatem; et qui nesciunt, addiscant, non propter cupiditatem recipiendi pretium laboris, sed propter bonum exemplum, et ad repellendam otiositatem.* Mens ergo S. Patris nullatenus fuit, ut Fratres otio indulgentes solum de oblatis aut emendicatis eleemosynis vivant, aliena charitate abutentes; sed ipse potius voluit, ut per labores aut corporales aut spirituales, quantum fieri potest, necessarium victum sibi promereantur; ideo conditionate addit: *Et quando non daretur nobis pretium laboris, recurramus ad mensam Domini petendo eleemosynam ostiatim;* mensam autem Domini sanctam mendicitatem appellare consuevit. Ut autem ipsa mendicatio per devotionem et charitatem nobilitaretur et sanctificaretur, Fratribus injunxit, ut ad benefactores accedentes sancta et salutari salutatione utantur; ait enim: *Salutationem hanc revelavit mihi Dominus, ut diceremus: Dominus det tibi pacem,* i. e. maximum bonum illud, quod *exuperat omnem sensum* (Phil. 4, 7).

6. Cum id, quod summi est momenti, nunquam satis repeti possit, S. Pater iterum adamatam a se paupertatem commendat, praecipue in Ecclesiis et Conventibus Fratrum observandam; idcirco inquit: *Caveant sibi Fratres, ut Ecclesias, et habitacula, et omnia alia, quae pro ipsis construuntur, penitus non recipiant, nisi essent, sicut decet, secundum sanctam paupertatem, quam promisimus in Regula observare, semper ibi hospitantes tanquam peregrini et advenae:* juxta quod monitum ipsa loca, quae inhabitamus, quamvis pauperrima, non ut nostra, sed ut aliena considerare, et corda nostra a quovis inordinato ad illa affectu caute praeservare debemus. Aedificia autem nimis magnifica, et paupertati contraria, etiam ultro et gratis oblata, accipienda non sunt.

7. S. Franciscus Ecclesiam Romanam maximi aestimavit, seque et totum Ordinem suum illi penitus subjecit; sed tamen in suo Testamento Fratribus sequentem cautelam praescribit: *Praecipio,* ait, *firmiter per obedientiam Fratribus universis, ut ubicunque sunt, non audeant petere aliquam Litteram in Curia Romana per se, nec per interpositam personam, neque pro Ecclesia, neque pro alio loco, neque sub specie praedicationis, neque pro persecutione suorum corporum.* Per istas Litteras, quas interdicit, certe non intelligit Decreta Pontificum, quae ad conservandam regularem disciplinam

et ad rectam Ordinis gubernationem diriguntur, neque etiam privilegia, quibus decor Ordinis et salus animarum promovetur; sed solum illas dispensationes et privilegia, quae Regulam relaxant, aut quae virtutibus paupertatis, humilitatis et patientiae opponuntur, in quibus spiritus et character veri Fratris Minoris consistere debet. Etiam pro casu, quo in loco quodam non recipimur, aut persecutionibus agitamur, noluit S. Pater, ut per lites et appellationes jus nostrum defendamus, sed solam nobis permittit fugam corde contrito et humiliato capessendam; dicit enim: *Sed ubicunque non fuerint recepti, fugiant in aliam terram ad faciendum ibi poenitentiam cum benedictione Dei.*

S. Post praestantia haec documenta, quae Saecularium aedificationi inserviunt, S. Pater exemplo et praecepto suo ad promptam obedientiam, et ad assiduam Officii divini recitationem exhortatur, dicens: *Et firmiter volo obedire Ministro Generali hujus Fraternitatis, et illi Guardiano, quem sibi placuerit mihi dare: et ita volo esse captus in manibus suis, ut non possim ire vel facere ultra obedientiam et voluntatem suam, quia Dominus meus est. Et quamvis sim simplex et infirmus, tamen volo semper habere Clericum, qui mihi faciat Officium, sicut in Regula continetur. Et omnes alii Fratres teneantur obedire Guardianis suis, et facere Officium secundum Regulam;* quibus verbis nobis promptam erga Superiores obedientiam et specialem pro Officio divino zelum commendat, ac si diceret: Si ego, Ordinis Fundator, et a duobus Summis Pontificibus Minister Generalis constitutus, paratus sum cuilibet Superiori, etiam indocto, juveni, rigido, aut qualibuscunque imperfectionibus repleto ita obedire, ut etiam in minimis actionibus penitus ab ipso dependere velim; vos, o Filii mei! eamdem obedientiam Superioribus vestris denegare non poteritis. Et si ego, inter plurima negotia, et inter valde molestas et quasi continuas infirmitates, tamen, adjuvante quodam Clerico Religioso, divinum Officium semper recitavi: vobis nimis grave haud videri debet, ut hoc tempore sanitatis assidue recitetis, et etiam tempore infirmitatis, quantum vires permittunt, non omittatis.

9. S. Franciscus optime novit, homines etiam in sanctissima Congregatione, exemplo Judae in Collegio apostolico, a recto tramite deviare, et, recedente gratia, vel schismaticos Ecclesiae obedientiam recusando, vel haereticos fidei dogma negando fieri posse. Ideo in suo Testamento cum summa prudentia ordinavit, quid in tam tristi

casu, si in Ordine seraphico contingeret, faciendum sit, ut infelix praevaricator vel corrigatur, vel saltem ab aliorum seductione retineatur. Sequentem nimirum normam praescribit: *Et qui inventi essent, qui nollent facere Officium secundum Regulam, et vellent aliquo modo variare, aut non essent Catholici, omnes Fratres, ubicunque sunt, per obedientiam teneantur, ubicunque invenerint aliquem ipsorum, proximiori Custodi illius loci, ubi ipsum invenerint, praesentare. Et Custos firmiter teneatur per obedientiam, ipsum fortiter custodire sicut hominem in vinculis die noctuque ita, quod non possit eripi de manibus suis, donec in propria persona ipsum repraesentet in manibus sui Ministri. Et Minister firmiter teneatur per obedientiam, ipsum mittere per tales Fratres, qui diu noctuque custodiant ipsum sicut hominem in vinculis, donec repraesentent eum coram Domino Ostiensi, qui est Dominus, Protector et Corrector istius Fraternitatis.* Per hoc tam grave praeceptum S. Pater Ordinem suum tum a labe schismatis, tum ab haeresis peste praeservare, et aberrantium saluti consulere studuit. Notandum vero est, quod, si de haeretico vel suspecto de fide nostris temporibus agatur, non jam juxta declaratam S. Patris ordinationem procedendum sit; cum enim modo auctoritate Ecclesiae S. Inquisitionis tribunal institutum sit, huic juxta Decreta Pontificia haereticus vel suspectus de haeresi denuntiandus est.

10. Praevidens S. Pater, quod nonnulli Fratres praesentia verba ut novam Regulam considerare, et de novis obligationibus impositis lamentari possent, sequentem addit protestationem dicens: *Et non dicant Fratres: haec est alia Regula; quia haec est recordatio et exhortatio, ac Testamentum, quod ego Frater Franciscus parvulus vester et servus facio vobis Fratribus meis benedictis propter hoc, ut Regulam, quam Domino promisimus, melius catholice observemus.* S. Pater ergo per praesentia verba, quae morti proximus dictavit et ideo Testamentum suum nuncupavit, nobis praecipua Regulae praecepta in memoriam revocare, et ad exactam eorumdem observantiam nos admonere et exhortari voluit. Neque sine ratione nos exhortatur ad Regulam *catholice* observandam; sed per hoc innuit, quod integram Regulam uno eodemque spiritu et uno eodemque modo observare debeamus, sententias et observantias privatas, quae schismata et divisiones procreare possent, caute devitantes. — Si autem boni piique filii ultima morientis sui patris verba summi faciunt, eorumdem saepe recordantur, et ipsius testamentum

exacte observant; convenit omnino, ut etiam Fratres Minores tamquam legitimi S. Francisci filii ultima morientis sui Patris verba, seu ipsius Testamentum maximi aestiment, frequenter perlegant, et exacte observare studeant. Quantum S. Pater hoc desideret, patet ex mandato priori protestationi annexo; ait enim: *Et Generalis Minister et omnes alii Ministri et Custodes per obedientiam teneantur, in istis verbis non addere vel minuere; et semper hoc scriptum habeant secum juxta Regulam. Et in omnibus Capitulis, quae faciunt, quando legunt Regulam, legant et ista verba.* Absque dubio propter hoc mandatum pia consuetudo in Ordinem seraphicum introducta fuit, ut quilibet Frater sacram Regulam cum Testamento S. Patris semper et ubique secum deferret, et ut eadem S. Regula cum eodem Testamento qualibet Feria sexta in mensa praelegeretur; quae pia consuetudo etiam pie ubique observanda est.

11. Sicut S. Pater mandavit, ut ipsius Testamento nec aliquid addatur, nec aliquid dematur, ita ipsi multo magis cordi fuit, ut sacra Regula integra et intacta maneat, ac per sinistras interpretationes non corrumpatur: quia ipsemet Christus ei revelaverat, Regulam *ad litteram* esse intelligendam et observandam. Idcirco ultimum in suo Testamento praeceptum sequentibus proponit verbis: *Et omnibus Fratribus meis Clericis et Laicis praecipio firmiter per obedientiam, ut non mittant glossas in Regulam, nec in ista verba, dicendo: ita volunt intelligi. Sed sicut Dominus dedit mihi simpliciter et pure dicere et scribere Regulam et ista verba, ita simpliciter et pure sine glossa intelligatis, et cum sancta operatione observetis usque in finem.* Per haec verba prohibentur glossae seu interpretationes, quae non ex amore veritatis, sed ex amore libertatis proponuntur, atque ideo a recto sensu recedunt, menti S. Patris repugnant, passionibus favent, et Regulam relaxant. Tales interpretationes fugere et abhorrere oportet; et illas solas expositiones amplecti et sequi debemus, quae nos ad Regulam recte intelligendam et perfecte observandam manuducunt; has enim S. Pater prohibere nec potuit, nec voluit (Cf. § 3).

12. Moyses, morti jam appropinquans, Israelitis congregatis magna bona promisit, si legem divinam fideliter custodierint; sed etiam magnas iisdem poenas comminatus est, si praecepta Dei transgressi fuerint; atque ideo dixit: *En propono in conspectu vestro hodie benedictionem et maledictionem: benedictionem, si obedieritis mandatis Domini Dei vestri, quae ego hodie praecipio vobis:*

maledictionem, si non obedieritis mandatis Domini Dei vestri, sed recesseritis de via, quam ego nunc ostendi vobis (Deut. 11, 26). — Simili modo etiam S. Pater morti proximus procedere voluit. Quamvis autem prophetico suo spiritu multa mala Ordini suo ob Regulae transgressiones imminentia praevideret, atque etiam multorum interitum praecipue ob praevaricatam paupertatem defleret: attamen paternam tantum charitatem, qua replebatur, secutus, in suo Testamento ab omni maledictione abstinuit, et solummodo largam benedictionem legitimis et fidelibus Filiis suis promisit, ut hi non tam timore, quam potius amore ad S. Regulam exacte observandam impellerentur. Ideo S. Pater Testamentum suum sequentibus verbis, pro fervidis seraphicae Regulae sectatoribus solatio plenis, claudit dicens: *Et quisquis observaverit haec, in coelo repleatur benedictione Altissimi Patris coelestis, et in terra repleatur benedictione dilecti Filii sui, cum sanctissimo Spiritu Paraclito, cui est honor et gloria, nunc et in aeternum. Et ego Frater Franciscus, parvulus vester et servus, quantumque possum, confirmo vobis intus et foris istam sanctissimam Benedictionem, quam habeatis cum omnibus Virtutibus coelorum et cum omnibus Sanctis, nunc et in saecula saeculorum. Amen.*

§ 194.

DE CONSTITUTIONIBUS

easdemque observandi obligatione.

Sacras Constitutiones nostras cum maxima sapientia et pietate elucubratas, et Seraphici Patris nostri Francisci spiritui apprime conformes esse, tum gravissimi Doctores, tum ipsi Romani Pontifices contestati sunt; merito igitur quilibet Capuccinus easdem et summi aestimare et exacte observare debet. — Equidem Constitutiones nostrae auctoritatem legum humanarum non transcendunt, atque ideo ea, quae in ipsis ordinantur, per legitimam potestatem mutari aut abrogari possunt, uti revera Romani Pontifices nonnulla, e. g. prohibitionem Saecularium personarum confessiones audiendi, abrogarunt. Quae autem vel a Romanis Pontificibus, vel a Capitulis generalibus, vel ab alia legitima potestate mutata aut abrogata non sunt, in suo vigore persistunt, et exacte observari debent. Observantia haec cum observantia ipsius Regulae, et cum studio perfectionis, ad quod quilibet Religiosus vi professionis suae obligatur, intime cohaeret, atque hac de causa multo majoris momenti est, quam multi autumant. — Egregie id ostendit *Viator a Cocaleo* (Appendix I) in speciali dissertatione, in qua ex obligatione Regulam observandi et ad perfectionem tendendi, obligationem probat Constitutiones quoque observandi; et exinde infert, quid de Constitutionum transgressionibus sentiendum sit. Quatuor idcirco statuit et probat propositiones, quae sunt sequentes: I. *Capuccinus non potest ad perfectionem, ad quam obligatur, tendere, nisi Regulam observet, et non potest debito modo Regulam observare, nisi tendat ad perfectionem;* II. *Capuccinus neque ad observantiam Regulae, neque ad perfectionem debito modo tendit, si observantiam Constitutionum negligit;* III. *Capuccinus sine peccato veniali Constitutiones deliberate transgredi non potest; et* IV. *prior propositio vera est, quamvis Constitutiones, se non obligare sub peccato, profiteantur.* Propositiones istas praelaudatus Auctor singillatim solidis argumentis probat, quae serio ponderanda sunt.

I. Ad moralem perfectionem omnes Christiani tendere debent, quia omnes Deum ex toto corde, ex tota anima, et ex tota mente diligere obligantur, et Christus omnibus acclamat: *Estote perfecti, sicut Pater vester coelestis perfectus est* (Matth. 5). Perfectio christiana in charitate Dei et proximi consistit: ad hanc vero perfectionem acquirendam consilia evangelica maxime conducunt, et haec in Regula S. Francisci perfectissimo modo observanda proponuntur. — Non omnes quidem ad haec perfectionis media arripienda obligantur; illi autem, qui S. Francisci Regulam solemniter professi sunt, eo ipso gravem obligationem, per hanc viam ad perfectionem tendendi, sibimet imposuerunt; ergo si Regulam non observant, etiam ad injunctam sibi perfectionem debito modo non tendunt. Et quomodo charitatem Dei habere ille dici potest, qui praecepta Regulae, quam Deo promisit servare, non observat? Charitas Dei utique in observantia divinorum mandatorum consistit, dicente Christo: *Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est, qui diligit me:* sed praecepta Regulae pro Religioso professo saltem mediate praecepta divina sunt: ergo recedens ab observantia Regulae, etiam a charitate et a perfectione recedit. — Econtra nullus etiam Regulam debito modo observare potest, nisi serio ad perfectionem tendere conetur: nam quae non ex charitate Dei fiunt, coram Deo nullius valoris sunt; atque ideo Religiosus, exterius praecepta Regulae observans, sed interius charitate non animatus, de meritoria Regulae observantia gloriari nequit, et hypocritae nomen meretur. — Praeterea Religiosus, qui non sincero perfectionis desiderio accensus per inordinatarum suarum passionum abnegationem, et per pia exercitia continuo in charitate crescere satagit, nullatenus per longius tempus tantam sibi vim inferet, ut Regulae, praecipue seraphicae, praecepta accurate semper observet. Ergo Capuccinus non potest ad perfectionem, ad quam obligatur, tendere, nisi Regulam observet; et non potest debito modo Regulam observare, nisi serio ad perfectionem tendat.

II. Nullo modo dici potest, Capuccinum S. Regulam observare et ad perfectionem debito modo tendere, si observantiam Constitutionum negligit. Nam 1. Patres nostri ideo se ab Observantium Familia separarunt et reformationem nostram instituerunt, ut puram Regulae observantiam, quae tunc temporis in multis Fratrum Minorum coetibus defecerat, restaurarent. Ad hunc nobilissimum finem efficaciter et perenniter promovendum, Constitutiones elucubrarunt et publicarunt ab *Urbano VIII* adprobatas et confirmatas: istae

ergo viam nobis assignant, per quam ad puram Regulae observantiam, et, quod inde sequitur, ad praescriptam nobis perfectionem tendere debeamus. Capuccinus ergo, per hanc viam incedere recusans, i. e. observantiam Constitutionum negligens, manifeste ostendit, se nec Regulam perfecte observare, nec ad perfectionem debito modo tendere velle. — 2. Tria vota cum omnibus Religiosis, et seraphicam Regulam cum reliquis Fratrum Minorum Congregationibus communem habemus: Constitutiones illae sunt, quae nos ab aliis Minoriticis coetibus distinguunt; vocati ergo ad Religionem Capuccinorum, eo ipso etiam vocati sumus ad observandas Constitutiones Capuccinorum, quas ideo juxta voluntatem Dei, qui nos vocavit, observare tenemur. Quomodo ergo dici posset de nobis, quod tamquam veri Capuccini Regulam observemus, et quod ad status nostri perfectionem tendamus, si voluntati Dei, quae per Constitutiones nostras manifestatur, resistere auderemus? — 3. Capuccinus, non solum Regulam, sed etiam Constitutiones exacte observans, sicut Deo tamquam *servus in minimo fidelis* valde acceptus est, ita etiam, teste experientia, ab hominibus aestimari et amari solet. Si vero Constitutionum suarum transgressor existat, nonnisi risum et contemptum meretur. Aut quis non vilipenderet illum, qui se Capuccinum dicit, cum tamen alterius Religionis habitu indutus incederet? Ast non solus habitus facit Monachum, sed potius observantia Regulae et Constitutionum; Capuccinus ergo, qui cum Regula non etiam suas Constitutiones observat, sicut seipsum bona fama privat, sic etiam aliorum aedificationem, quae a Religioso quocunque omni jure exposcitur, temere negligit, et praeterea tum suis Confratribus, tum etiam Saecularibus scandalum praebet: quantum ergo a pura Regulae observantia, et ab injuncta sibi religiosa perfectione recedit?

III. Capuccinum sine culpa veniali Constitutiones transgredi non posse, varia argumenta probant. Nam 1. ut Constitutionum transgressiones ab omni peccato immunes pronuntiarentur, probandum esset, quod Deus illarum observantiam a Capuccinis non poscat, et illarum transgressiones non curet; probandum pariter esset, quod Capuccino obligatio non incumbat modo statui suo convenienti ad perfectionem tendendi, vel quod Constitutiones ad hanc promovendam non inserviant; probandum tandem esset, quod cum Religio Capuccino professo omnia necessaria providere teneatur, et id actu praestet, non etiam Capuccinus obligatus sit, Religionis Statuta servando ejusdem bonum decusque promovere. Cum autem haec omnia probari nulla-

tenus possint, et de contrario jam ex praedictis constet, jure inferri debet, quod Capuccinus ab obligationibus suis recedat, et saltem venialiter peccet, si Constitutiones temere transgrediatur. Accedit 2. quod tales transgressiones etiam scandala generare soleant: Religiosa enim Congregatio *Ordo* dici solet, quia in illa omnia ordinate procedunt; id autem fieri non potest, si non ab omnibus eaedem Regulae et eadem statuta servantur. Ex universali Regulae et Constitutionum observantia magnum in religiosa societate commodum exurgit, quia Fratres se mutuo aedificant et in bono adjuvant. Religiosus autem Constitutionum suarum observantiam negligens, ordinem sibi praefixum perturbat et Fratribus suis scandalum praebet; et quomodo talis a peccato immunis erit? *S. Augustinus* (l. c. Felician. cap. 13) ait: « Peccatum est dictum, factum, vel concupitum contra aeternam « legem. Lex vero aeterna est ratio divina, vel voluntas Dei or- « dinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans ». In qualibet autem Religione ab Ecclesia approbata ordo juxta divinam voluntatem stabilitus est, et Religiosus violando Constitutiones hunc ordinem perturbat, contra voluntatem Dei agit, et sic juxta mentem S. Augustini peccat. 3. Summus Pontifex *Urbanus VIII,* Constitutiones nostras adprobans et confirmans, satis clare earumdem observantiam omnibus Capuccinis injunxit. Nam in Bulla (*Ex injuncto nobis apostolici muneris debito,* anno 1638 edita), postquam dixisset, « quo vero Constitutiones hujusmodi firmius existant, exactiusque « observentur », a PP. Capuccinis apostolicam confirmationem postulatam fuisse; deinde subjungit: « Decernentes illas.... ab omnibus « dictae Congregationis Fratribus nunc et pro tempore existentibus « inviolabiliter observari debere ». Sicuti ergo ex ipsius Regulae praecepto Summorum Pontificum Decreta, ita etiam S. Constitutiones et revereri et exacte observare oportet. 4. Demum legitimis Ordinis Superioribus obediendum esse, ex eminenti Regulae praecepto constat. Sed Ministri Generales et Provinciales, atque etiam Superiores locales, nisi ab officio sibi injuncto penitus devient, quovis tempore exactam Constitutionum observantiam Subditis suis praescribunt et inculcant; et quomodo hi Constitutiones temere transgredi possunt, quin saltem levis inobedientiae rei existant? — Haec argumenta satis solide probant, Capuccinum sine peccato veniali Constitutiones deliberate transgredi non posse.

IV. Contra propositam doctrinam maxima difficultas ex ipsis Constitutionibus repeti solet, quae declarant, quod nolint Fratres

sub aliquo peccato obligare, nisi in quantum eos obligat Deus, Ecclesia, et Regula. — Sed etiam haec difficultas jam saepe soluta fuit, et ad illam enodandam varia responsa dari possunt. Nam 1. verum est, Constitutionum nostrarum Auctores dicere, quod nolint sub peccato obligare, novaque conscientiis ligamina adjicere: sed talis declaratio non tollit ligamina, quae nobis a Deo, ab Ecclesia, et a Regula imponuntur: sed Deus, Ecclesia, et Regula nos obligant, tum ut ad perfectionem modo statui nostro convenienti tendamus, tum ut tam Romanis Pontificibus Constitutiones adprobantibus, quam Superioribus earumdem observantiam exigentibus obedientiam praestemus; atque ideo nos etiam ad exactam Constitutionum observantiam ita adstringunt, ut ipsas sine peccato deliberate transgredi non possimus. 2. Praeterea in ipsis Constitutionibus clare pronuntiatur, formalem harum contemptum a peccato mortali excusari non posse. Talis autem sententia vix sustineri posset, si omnino liberum esset Fratribus, an velint Constitutiones servare, an non. Inferendum potius ex allata declaratione est, quod non liceat Constitutiones ut indifferentes, aut superfluas, aut absonas considerare, flocci habere, et vilipendere, sed quod contrarium potius de ipsismet sentiendum sit, et quod ideo sicut omnem aestimationem, ita etiam exactam observantiam requirant. Quamvis autem saepius repetita aut habitualis Constitutionum transgressio non semper formalem earumdem contemptum in se contineat, nihilominus ad hunc disponit, vel eum saltem in minori gradu insinuat, qui utique a culpa veniali vacare non potest. 3. Sicut Constitutiones nostrae, sic variae aliorum Ordinum Regulae contestantur, se non ad culpam, sed solum ad poenam obligare, uti e. g. Regulae Benedictinorum, Carmelitanorum, Carthusianorum, Dominicanorum, Jesuitarum, etc.; et tamen celeberrimi eorumdem Ordinum Theologi, e. g. *S. Bernardus, S. Thomas Aquin., S. Antonius, Dionysius Carthusianus, Suarez, Sanchez* et alii in deliberata Regularum suarum transgressione peccatum veniale agnoscunt. *Mabillonius* in suo tractatu *de obligationibus Religiosorum* illos confutat, qui putant, ea tantum, quae ad solemnia vota spectant, graviter obligare, Statuta vero Ordinis sine omni, etiam veniali peccato violari posse: quam opinionem S. Scripturae, spiritui Ecclesiae, sententiis SS. Patrum, et ipsi Regulae, quam quis profitetur, contrariam esse ostendit. *P. Stephanus* a S. Franc. Xav. Carmelita Provincialis scribit: « Si constat, Regulam nostram non obligare sub « culpa lethali, eodem modo certum est, eam obligare sub culpa ve-

« niali: haec est communis sententia Religiosorum, qui sententiam « cum pietate conjungunt; neque unum invenio, qui contrarium « asserat ». (Ap. Viat. a Coc. l. c.) — Hoc idem sentit et practica ratione probat *Alphonsus Rodriquez,* qui (apud eumd.) dicit: « Qui « sui Ordinis Regulam et statuta non spernit, sed ut talia vene- « ratur, quae recte vivendi normam praescribunt, et modum ad per- « fectionem tendendi statui consentaneum assignant, magnam pro- « fecto curam habebit vitam suam Regulae et statutis conformem « reddendi; si vero ab illis deviat, et eorumdem praecepta violat, id « certe non fit nisi vel ex negligentia et tepiditate, vel ex curio- « sitate, vel ex loquacitate, vel ex appetitu sensuali, vel ex alia non « mortificata passione, quae in se jam mala et culpabilis est; atque « ideo deliberatae Statutorum transgressiones saltem a veniali pec- « cato excusari non possunt ». — Quod autem aliorum Ordinum Doctores de suis Regulis et statutis sub peccato non obligantibus dicunt, id etiam merito de nostris quoque Constitutionibus asserendum est. — Maxime ergo nobis corde esse debet, ut illas exacte observemus; per talem enim observantiam magnam benedictionem divinam et in hac, et in altera vita promeremur (1).

---

(1) Praeter Constitutiones et Ordinationes Capit. Gen., reverenter ac fideliter serventur etiam Caeremoniae, usus et legitimae consuetudines, probataeque traditiones singularum Provinciarum, in sancta charitate et uniformitate. Unde cavendum a novitatibus et ab instabilitate usuum (salvis modificationibus, quae ex novis decretis S. Sedis, vel ex legibus generalibus peragi debent). — Denique verbo, opere et exemplo S. P. N. S. Francisci imitatores fieri curemus, ut haereditatem consequamur aeternam, auspice Immaculata Patrona Ordinis nostri beatissima Virgine Maria.

INDEX
RERUM ALPHABETICUS

NB. Numeri denotant paginas.

A.

Absolutio — a peccatis reservatis, cuinam competat? 370. A peccatis occultis, quomodo olim, quomodo nunc facienda? 372 et seq. Hodiernae praxis in absolvendo praerogativae, ibid.
Acceptio personarum in electionibus canonicis — quid sit et quam malitiosa? 446 et seq.
Accessus in Monialium monasteria ad loquendum, Fratribus interdictus — Vide *Moniales.*
Admonitiones, in S. Regula contentae — 13. De admonitione Fratrum subditorum — Vide *Correctio.*
Aedificia Fratrum debere esse humilia — juxta usum moderatum constituta, 309 et seq.
Ambitio — cur fugienda? 443. Quam stulta sit, 444; et perniciosa, 445.
Amicus spiritualis, quis sit juxta Regulam? 203. Quoad reliqua, vide *Pater spirit., Recursus,* etc.
Amor inimicorum, a S. Francisco Fratribus inculcatus, 530 et seq.
Apostasia — quid sit? 393; qua peccatum reservatum, ibid. et seq. Apostasiae causae praeparatoriae, 94 et seq. Ejusdem proxima signa, 95.
Apostatae veri nominis, quinam sint? 93. Quomodo differant a fugitivis, ibid. Quibusnam poenis subjaceant? 394. Apostatarum infelicitas, 96. Quomodo ad apostasiam inclinantes tractandi sint? ibid.
Avaritia, a Fratribus praeprimis vitanda, 525.

B.

Benefactor, quis dicendus quoad Fratres in genere? 202.
Bibliothecae adsint in nostris locis, 482. Quibusnam libris debeant esse instructae? 483.
Bona Religionem ingredientium, an necessario sint pauperibus distribuenda? — Vide *Novitius.*
Braccae Fratrum, quales sint? 64.
Breviaria — in quo sensu Fratres ea habere possint? 120 et seq.

C.

Calceamenta — quid sint? 107. Fratribus prohibita, ibid. Quandonam licita? 108.

Candidati Ordinis — quomodo Fratres erga illos se gerant? 34 et seq. Eos mittendos esse ad Provinciales, 35. Inhabiles nec commendandi nec mittendi, ibid. Quomodo suscipiendi, examinandi, admonendi? 36. An ad ingressum incitandi? 37. Sub quibus conditionibus possint ad ingressum invitari? ibid.

Caparo, qualis sit et unde oriundus? 65. Cujusnam significationis? ibid. Quis ab illo possit dispensare? ibid.

Capitula — Generalia, quando celebranda? 427. Provincialia, quoties habenda? 430 et seq. Localia quandonam instituenda? 431. Ad capitula generatim, quinam debeant vocari? 432. Capitulares, an possint renunciare juri suo? 433. Quomodo capitula sint celebranda? 434. A quo confirmanda? 438. Capitulares, ad quid debeant respicere? 439. Vide *Vocales.*

Capuccini — tenentur tendere ad perfectionem per observationem Regulae, 568. Non possunt observare Regulam sine Constitutionibus, 569. Non possunt transgredi Constitutiones sine peccato saltem levi, 570.

Casus reservati in Ordine, quinam? Vide *Peccata.*

Charitas inter Fratres, quanti momenti? 355 et seq. Quomodo exercenda? 356 et seq. Speciatim erga infirmos? 359 et seq. Vide *Infirmi.*

Chorus — an a Fratribus habendus? 123. Obligatio ad illum, qualis sit? 124 et seq. Chorum negligens, quomodo peccet? 125 et seq. Quaenam ab illo excusent? 127 et seq. Quomodo in choro officium div. sit recitandum? 131.

Cingula Fratrum, qualia sint? 63. Quid significent? 64.

Cippi Fratribus sunt prohibiti, 190 et seq. Vide *Pecunia.*

Clausura, quid sit, et quousque extendatur 546 et seq. Causae ab illa excusantes, 548.

Clerici Novitii, qualem scientiam debeant habere ad professionem admittendi? 79.

Collatio vespertina diebus jejunii — Vide *Jejunium.*

Commissarii generales, qualem habeant potestatem? 413 et seq.

Compaternitas, in quo consistat, et cur in Regula a S. Francisco fuerit. interdicta? 545 et 546.

Conditiones pro recursu ad pecuniam, quaenam sint? — Vide *Recursus*

Confessarii Fratrum quales esse debeant, 373. Quid possint in reservatis? 374. Debent approbari a Superioribus Ordinis, 378. Quomodo differant a Poenitentiariis? 379. An transeuntes possint in alieno conventu absolvere Fratres? ibid. et 380. Quis sit confessarius novitiorum? 381. Confessarii Fratrum sint ex Ordine, 382. Quandonam permittantur exteri? 384 et seq. An Provinciales possint exteros pro Fratribus delegare? 386 et seq. Quantum intersit, bonos esse confes-

sarios? 390. Confessariorum munere nunc etiam pro saecularibus Fratres posse fungi, 465 et seq. Quibusnam dotibus confessarii sint instructi? 467 et seq.

Consortia et Consilia mulierum, quotuplici modo fiant suspecta? 534. Cur ea S. Franciscus interdixerit? 535 et seq. Talia etiam posse haberi per litteras etc. 537. Porro etiam cum personis ejusdem sexus, 538. Unde prohibita juvenum receptio in nostra monasteria, ibid.

Constitutiones Capuccinorum esse sapientissimas, 568. Quaenam principia de earum obligatione tenenda sint? ibid. Eas non posse sine culpa saltem veniali violari, 570. Quonam in sensu sub nullo peccato obligare dicantur? 571 et seq.

Contemplatio, praestantissimus Religiosorum labor, 248 et seq.

Contractus Fratribus esse prohibitos, 276. Speciatim de contractu promissionis, ibid. et seq. An possint promitti res sacrae? 277. Donatio, quatenus sit illicita? ibid. Quandonam licita? 278. Emptio, Fratribus alias interdicta, quandonam possit permitti? 279 et seq. Cautelae huc circa observandae, 280. Venditio, generatim Fratribus prohibita, quando possit, et quomodo debeat fieri per Syndicum? 281 et seq. An liceat res vendendas mendicare? 282 et seq. Negotiatio, quod sit vitanda, 283. Quousque licitum sit, res permutare? 284 et seq. De litteris cambialibus quid censendum? 286 et seq. Pignus dare, an Fratres possint? 287. Depositum et commodatum, an possint recipere? 288. Ludus, quousque possit esse licitus? 289. Sponsionem facere, an Fratres possint? ibid. Quid demum circa testamenta et legata sit licitum, quid illicitum — Vide *Legata, Testamenta.*

Correctio Fratrum, quomodo a Superioribus facienda sit? 497 et seq.

Currus vaporiferi, an Fratribus sint liciti? — Vide *Equitare.*

Custodes — quotuplicis sint generis? 411.

D.

Definitorum jura et officia, 418 et seq.

Denarii — quid sint? 183. Cur denariorum et pecuniae usum Christus interdixerit Apostolis? 182. Vide *Pecunia.*

Denuntiationes, quomodo faciendae in Visitatione? — Vide *Visitatio.*

Depositum pecuniarium, an licitum sit recipere? 192.

Detractio, a S. P. Franc. praeprimis interdicta, 525.

Dispensare, quatenus possit et soleat Papa post factam Professionem? 92. Dispensandi potestate, quibusnam in rebus gaudeant Superiores? 521 et seq.

E.

Ecclesia Romana, quaenam sit juxta Regulam? 29.

Ecclesiae Fratrum, quales esse debeant? 312. De earumdem ornamentis, ibid. De paramentis, 313. De vasibus, 315.

Eleemosynae indeterminatae, quid sint etc. — Vide *Pecuniariae* eleemosynae.
Eloquentia legitima, in concionando, non reprehendenda, 475 et seq.
Episcopatum accipere licitum esse Religioso professo, 92.
Episcoporum requiri licentiam ad praedicandum. Vide *Praedicatores.*
Equitare, quid sit? 164. Cur Fratribus prohibitum? ibid. et seq. An navigare liceat? 168. Quaenam necessitas requiratur ad equitandum? 140 et seq. An vehi in curribus vaporiferis sit equitare? 169 et seq. Objectiones huc spectantes, 173 et seq.
Evangelium, S. Regulae fundamentum, 17. Quatenus Fratres ad Evangelium servandum teneantur? 18 et 19.
Exhortationes in S. Regula contentae, 13.
Expositio S. Regulae, quod sit licita, 4 et 566. Quotuplex sit? 5. Expositiones pontificiae, ibid. et seq.
Expositores S. Regulae notabiliores, 6.

F.

Falsificatio manus aut sigilli Superiorum — peccatum reservatum, 405 et 406.
Fatuos et semifatuos non esse recipiendos in Ordinem — Vide *Novitii.*
Filii, dimissis parentibus egenis, an possint recipi in Ordinem? — Vide *Novitii.*
Fratres Minores — cur ita vocari voluerit S. P. Franciscus filios suos? 2.
Fugitivi, quandonam habendi sint tanquam apostatae? 93.
Furtum in Monasterio — peccatum reservatum, 406 et seq.

G.

Guardiani, quid possint quoad Novitios, quid non? 73. Guardianorum jura et officia in genere, 423 et seq. Guardiani, quinam et quomodo constituendi, quinam deponendi? 425 et seq.

H.

Haereditates in genere a Fratribus non posse accipi, 291. An Ecclesiae Fratrum possint in haereditatem institui? 292 et seq.
Haeretici Fratres, quomodo tractandi? 564 et seq.
Horti — cur sint liciti? 324. An etiam liceat fructus eorum vendere? ibid. Quae in hortis possint haberi, quae non? 325.
Humilitas, a S. P. Francisco inculcata Fratribus, 529.

I.

Jejunium — quantae sit praestantiae? 142. Jejunia Regulae seraphicae, 143. Jejunium benedictum observandum suadetur, ibid. et 144. In quantum possit esse obligatorium? 144. Jejunium ante Pascha, ex quo titulo

observandum? 145 et seq. An Fratres in illo possint uti dispensationibus episcopalibus? 147 et seq. Quandonam hoc jejunium incipiendum? 148. Jejunium feriae sextae, cur praescriptum? ibid. An etiam in festo Nativitatis Domini sit observandum? ibid. An Fratres etiam ad alia jejunia ecclesiastica teneantur? 149. Quomodo sit jejunandum quoad ciborum qualitatem? 150. Quoad tempus coenae? 151. De collatione vespertina? ibid. et seq. Caffè et Chocolata, an frangant jejunium? 153. Quid a jejunio excuset? 154. Quaenam aetas? 155. Quaenam infirmitas? 156. Quisnam labor? 157. Studia et itinera? ibid. et seq. Quandonam sustentatio? 159.

Ignoratio S. Regulae, quam culpabilis, 8 et seq.

Impedimenta observantiae regularis quaenam sint, 14 et seq.

Incorrigibiles, num possint ex Ordine ejici? 97. Sub quibus conditionibus? ibid. et seq.

Infirmis Fratribus, quomodo sit inserviendum? 359 et seq. Quomodo ipsi infirmi se gerere debeant? 362.

Ingressus in Monasteria Monialium prohibitus. — Vide *Moniales.*

Invidia, juxta monitum S. P. Francisci solerter vitanda, 525.

Itinerari et in mundum exire non decere sine causa, 160. S. P. Francisci monita pro Fratribus itinerantibus, 161 et seq. Itinerandum esse cum socio, 163. Itinerantes non equitent — vide *Equitare.*

Juramentum falsum, peccatum est reservatum, 403.

L.

Labor Fratribus injunctus, an sit strictum praeceptum Regulae? 242. Laborare esse officium ex lege divina et naturali, ibid. et seq. Ad hoc Fratres teneri ex contractu tacito, 244. Uti etiam ratione perceptae eleemosynae, ibid. et seq. Laborum diversa genera, 246. De laboribus spiritualibus et scientificis, ibid. et seq. De labore corporali, 247. Labor, quomodo sit honestus? 248. Quomodo fidelis? 250. Quomodo devotus? 251. Laboris merces, an possit accipi? 253. Et qualis? 254. Quid, si daretur pecunia? ibid. Si materia ad artificia pro aliis? 255. Quid observandum Fratribus, si interrogantur de mercede? 257.

Laici — ad quas obligentur orationes, vide *Oratio.* Tenentur ad labores manuales, 247. Laicos solerter esse in doctrina christiana instruendos, 484 et seq. Eis non convenire litterarum studium, 527.

Lapsus carnis, quatenus sit peccatum reservatum, 397. Quantopere dedeceat Religiosum, 533.

Lectores, quales debeant eligi? 480. Quomodo munere suo fungantur? 481.

Legata recipere, quandonam sit licitum? quando illicitum? 292 et seq. Quid agendum in dubio? 293. An legata possint judicialiter exigi? 294. An eisdem Fratres possint renuntiare? ibid. Legata perpetua an liceat acceptare? 295. An pro Missis anniversariis? 297. Legata pro cultu divino, an possint accipi? 298. Ad Legata facienda homines movere esse illicitum, ibid.

Libertates, in S. Regula contentae, 13.
Licentia requisita ad usum rerum, 306. Quotuplex illa sit? ibid. Regulae pro Superioribus in concedenda licentia, 307. Quando licentia sit invalida? 308. An quandoque sine licentia usus rei sit licitus? ibid.
Litteras effrangere etc., quandonam sit peccatum reservatum? 401. Litteras subditorum aperire Superioribus generatim esse licitum, 402. Litterae pontificiae a S. Francisco interdictae, quaenam sint? 563.

M.

Magister Novitiorum, qualis esse debeat? 72. Quantam habeat potestatem? 73.
Manuscripta — an sint in dominio scriptorum? 270 et seq.
Mendicatio — an in S. Regula sit praecepta? 336. Eam non esse in genere reprehensibilem, ibid. et seq. Conditiones, ut sit licita et laudabilis, 338 et seq. Quomodo sit instituenda? 343 et seq.
Merces laborum, an a Fratribus possit accipi? 253. Vide *Labor.*
Minister generalis — qualis sit legitimus S. P. Francisci successor? 32. Quod eligit debeat a Fratribus, 409. An Min. generalis sit supra vel infra Capitulum generale? 412. Qualia sint ejusdem jura et officia? 413 et seq. Illius qualitates, 416 et seq. Quando et a quibus deponendus? 429. Quod teneantur Ministri Fratres visitare — vide *Visitatio.*
Missa, quomodo celebranda? 135 et seq. De Missarum applicatione, 137. De Missa conventuali, ibid. Missarum stipendia, an liceat recipere? 258. An exigere? 260. Missarum applicatio quamdiu possit differri? 261. Intentiones et stipendia an possint aliorsum mitti? ibid.
Missionarii — quod suscipiant praestantissimum opus, 551. Qualis requiratur vocatio? ibid. Quinam censendi sint idonei? 552 et seq. Unde habere debeant licentiam? 553 et seq. An subditi possint cogi ad Missiones? 555.
Monasterium — quid sit? 540.
Moniales quaenam dicantur? 539. Ingressus in Monialium monasteria Fratribus in Regula prohibitus, quandonam sit licitus? 540. De accessu ad illa, 541 et seq. Quibusnam accessus sit licitus? 542. Quis possit accessum permittere? 543. Monialium confessarios constituere Capuccinis per Constitutiones prohibitum, 544.
Mundities — quod non repugnet paupertati, 304.
Murmuratio a Fratribus vitanda, 526.
Mutuum, qua contractus, Fratribus illicitum, 192, 219.

N.

Necessitas — quotuplex distinguatur? 211. Qualis pro recursu ad amicum spiritualem requiratur? ibid. et seq. Necessitas in usu rerum, qualis adesse debeat? 302. A quonam necessitas sit judicanda? 305.
Negotiatio Fratribus prohibita — Vide *Contractus.*

Nocturna egressio ex monasterio — peccatum reservatum, 394.
Novitiatus annus — Vide *Probationis* annus. Novitiatus conventus, quot et quales in illis Fratres adesse oporteat? 71 et seq.
Novitii — a quo recipiendi? 38. Declarationes pontificiae circa potestatem recipiendi, 39. Quatenus novitii debeant examinari de fide? 41. Circa uxoratos quid observandum? 42. De fatuis, semifatuis et inclinantibus ad fatuitatem, 44. De gravatis aere alieno, 45. De filiis parentum egenorum, 46. Novitiorum recipiendorum qualitates juxta Constitutiones pontificias, 48. De illegitimis ex damnato coitu, 49. De servis, ibid. De litteris testimonialibus Episcoporum juxta decretum Pii IX, 50. De scrutinio recipiendorum in Italia, ibid. et seq. Quid Capuccinorum Constitutiones circa receptionem praescribant? 53. Aetas novitiorum, juxta Mart. V, 48. Juxta nostras Constitutiones, 54. Novitiorum bona, an necessario pauperibus distribuenda? 56 et seq. Quinam ad hoc non teneantur? 58. Fratribus sollicitudo de bonis novitiorum prohibita, 60. Consilium requirentes, ad quos mittendi sint? 61 et seq. Novitiorum vestes, 63 et seq. An illae gratis novitiis dandae? 65 et seq. Novitiorum privilegia, 67. Separata sit Novitiorum habitatio, 71. Novitii quibusnam in rebus sint instruendi? 74. Quomodo educandi? ibid. et seq.

O.

Obedientia, Pontifici et Ecclesiae Romanae praestanda, in quo consistat, 28 et seq. Obedientia erga S. P. Franciscum, ejusque Successores, quid comprehendat? 32. Obedientiae vinculo subditos caute esse constringendos, 500. Obedientiae virtus, quam praestans sit, 505. Obedientiam prompte, propter Deum, esse exercendam, 506. Cuinam, et quibusnam in rebus Fratres obedire debeant? 508 et seq. Quandonam non sit obediendum? 510. Quid sentiendum in dubio? ibid. Quandonam peccatum contra obedientiam sit grave? 512 et seq. Absonae excusationes contra obedientiam, 515.
Observantia S. Regulae quod sit possibilis, 10. Quanti momenti, 11.
Occisio — qua peccatum reservatum, 398 et seq.
Officium divinum, an ad hoc teneantur Novitii? 118. Ad hoc teneri Clericos subdiaconos, ibid. et seq.; et Clericos professos, 119. Off. recitandum esse juxta ritum S. Romanae Ecclesiae, 120. Quaenam a recitatione excusent? 122. Ubinam sit recitandum? 123 et seq. (vide *Chorus*). Quandonam sit recitandum? 129 et seq.; quomodo? 131. Quod sit recitandum integre, ibid. Devote, cum attentione et intentione recta, 133. Honeste et religiose, 134 et seq. — Officium Missae, vide *Missa*.
Oratio a Fratribus colenda, praeprimis mentalis, 138. Orationes a Laicis recitandae, 140. Quaenam orationes pro defunctis sint persolvendae? 141.

P.

Pallium Fratres possint habere, 101 et seq.

Patientia a S. Francisco inculcata Fratribus, 529.

Patris spiritualis, tanquam substituti ordinarii, denominatio, an possit fieri a Fratribus? 223. Quis et quo modo pater spirit. sit eligendus? 227. Qualis non sit eligendus? ibid. Quod sit instruendus de munere suo, 228. An homines pecuniam offerentes statim ad patrem spiritualem possint mitti? ibid. Quomodo erga illum se gerant Superiores? 229. Quid, si pater spir. non sit sat fidelis? ibid. et seq. Quasnam obligationes habeat pater spiritualis? 231 et seq. Quid quoad benefactores et pecunias ipsi sit licitum, quid illicitum? 232 et seq.

Paupertas seraphica quam excellens, 347. Conformis est exemplo Christi, 348. Perducit ad perfectionem, 349 et seq. Maxima promeretur praemia, 352. S. Bonaventurae de paupertatis emolumentis sententiae, 354. Paupertas etiam in usu rerum servanda? 299. Paupertas seraphica prohibet actus juridicos, 265. Excludit proprietatem etiam in communi, 267 et seq. Quandonam Papa suscipiat proprietatem rerum? 268. Quandonam non? 269. Cujusnam dominii Fratres sint capaces? 270. Paupertas quomodo consistat in affectu? 272. Quantopere paupertatis affectus deceat Fratres Minores, 273. Quid huic repugnat? 274 et seq. Vide etiam *Contractus*.

Pax a Fratribus precanda quid significet? 178 et seq.

Peccata mortalia, quare etiam in Religiosis sint possibilia? 364. Cur aliqua sint reservata? 366. Quaenam speciatim in Ordinibus religiosis? ibid. et seq. Eorumdem explicatio, 392 et seq. An S. Pater Franc. in Regula insinuaverit notoria vel occulta? 369. Peccata notoria, an sint judicialiter discutienda? ibid. Peccantes Fratres, quatenus teneantur recurrere ad Ministrum? 370 et seq. Quomodo sint excipiendi? 371. Vide *Absolutio*.

Pecunia, cur a Christo Apostolis sit interdicta? 182. Pecuniae nomine quid sit intelligendum? 184. Quomodo distinguatur a denariis? 185. Quid in genere sit recipere pecuniam? 186. Quandonam res habeant naturam pecuniae? 187. Quid sit recipere pecuniam vel denarios per se? 188. Quid per interpositam personam? ibid. Pecuniae usus Fratribus interdictus, 189. Pecuniae mendicatio illicita, ibid. et seq. An licitum sit, cippos ponere? 190. An pro pauperibus? 191. De pecunia expensa an liceat rationem exigere? 191 et seq. Contrectare pecuniam an sit licitum? 192 et 195. Quandonam licitum sit, pecuniam recipere? 193 et seq. An liceat pecuniam portare? 196. An inventam tollere? 198. Pecuniae residuum cessante necessitate, quomodo sit expendendum? 221 et seq.

Pecuniariae eleemosynae an a Fratribus possint distribui pauperibus? 198 et seq., 222. Quotuplex sit pecuniaria eleemosyna? 203. Indeterminatam per Substitutum expendere, an sit recursus? 204 et 206. Quaenam circa

eleemosynas pecuniarias indifferentes sint notanda? 214. Cum superfluis quid agendum? 221 et seq.

Percussio gravis — casus reservatus, 398. Percussor Clerici, a quo absolvendus? 399.

Perfectio religiosa, 24. De obligatione ad illam tendendi, ibid., 25, et 568.

Perseverantia in bono a S. P. Franc. commendata, 531.

Persona interposita quaenam dicatur? 202.

Pitantia — an pro hac licitum sit, recurrere ad pecuniam? 212.

Poenae — cur et quales Fratribus peccantibus infligendae? 498 et seq.

Poenitentiarii Fratrum, quinam dicantur? Vide *Confessarii*.

Praecepta S. Regulae, quot et quae? 12 et seq.

Praedicatio Evangelii, quanti fuerit a S. P. Francisco aestimata? 450 et seq.

Praedicatores ad praedicandum habeant licentiam ab Episcopo, 452 et seq. An liceat praedicare nolentibus parochis? 454 et seq. An praedicatores ab Episcopis debeant examinari? 455 et 456. A quonam debeant in Ordine examinari et approbari? 457 et seq. An examinatio eorum sit absolute necessaria? 458. An sine approbatione licitum sit catechizare? 459. Praedicatoris munus quaerere aut declinare an sit licitum? ibid. et seq. Quomodo sit praedicandum? 461 et seq. De quibus objectis? 463. Quatenus praedicatio brevis esse debeat? 464. An praedicatores etiam possint excipere confessiones saecularium? 465 et seq. Vide *Confessarii*.

Praelaturas respuere pertinaciter, an sit licitum? 449 et seq.

Probationis annus qualis esse debeat? 68 et seq. Vide *Novitii*.

Probitas morum qualis requiratur in Novitiis ante Professionem? 81.

Procuratio abortus etc. — peccat. reservatum, 404.

Procurator generalis qualem habeat potestatem, P. Generali in visitatione absente? Vide *Visitatio*.

Professio, post annum Novitiatus, an statim debeat concedi, an possit differri? 83. Quisnam Novitios ad professionem recipere possit? 84. Quid professio religiosa involvat? 85. Professionis quales sint effectus? 86. Quandonam sit invalida? 88. Professionis perpetuitas, 90 et seq. Professi Fratres quibus utantur vestibus? 99. Professionis votorum simplicium natura et qualitas, 87 *in nota*.

Proprietas — quid sit? 326. Quantae malitiae? 327. Quid requiratur ad malitiam gravem? 328. Quotuplici modo peccatum proprietatis committatur? 329. Proprietas, qua peccatum reservatum, 395.

Protector Ordinis, cur a S. P. Francisco Fratribus sit praescriptus? 556. Quaenam sint ejusdem munia? 557.

Provisio — qualis sit licita? 339 et seq. In judicanda provisione, ad quid attendendum? 341 et seq.

Psalterium, de quo loquitur S. Regula cap. 3, quid sit? 120.

Puritas — seu virtus castitatis, quam pretiosa, 532. Media ad illam conservandam in S. Regula ordinata, 533.

R.

Recursus (Recurrere) ad amicos spirituales quid sit? 202. An sit recursus, si refugitur ad pecuniam indeterminatam? 203 et seq. Quibus modis fiat recursus verus? 205. Quandonam non? 206. Cuinam competat ad amicum spiritualem recurrere? 207. An Guardianis? ibid. Ministros et Custodes non tantum posse, sed et debere in necessitatibus recurrere, 208. Quandonam etiam subditis liceat recurrere? 209. Quibusnam in casibus generatim possit recursus fieri? 210. Quaenam conditiones in illo sint servandae? ibid. Necessitas qualis adesse debeat? 211. Quaenam dicatur praesens, quae imminens? 212. An pro re mendicabili liceat recurrere? 214. An liceat recurrere pro alienis? 215 et seq. Recursus liceitatem discernere quis debeat? 217. Sub quibus cautelis recursus instituendus? 218. An necessitas amico spirituali sit explicanda? 220 et seq.

Recurrere ad Ministros, quandonam Fratres debeant? 518. Ad quales Ministros sit recurrendum? 519. Recurrentes, quomodo excipiendi sint? 520. — Recurrere extra Ordinem, 516.

Regiminis forma — qualis sit in Ordine seraphico, 410.

Regula in genere quid sit? 1. Regulae Minorum excellentia quoad originem, 2. Quoad finem et media, 3. Ejusdem Regulae encomia, 2 et seq. Regulae seraph. spiritus, 20 et seq. Regulae cognitio quam necessaria sit, 7 et seq.

Repetiare vestes, in sensu S. Regulae, quid sit? 113.

Reservati casus — Vide *Peccata reservata.*

Reverentia Papae et Ecclesiae Rom. praestanda, qualis esse debeat? 31.

S.

Sacristiae — an comprehendantur sub clausura? 547 et seq.

Sanitas corporis — qualis in Novitiis ad Professionem admittendis adesse debeat? 82.

Sandalia — an Fratribus sint licita? 108.

Scrutinium recipiendorum Novitiorum pro Italia praescriptum — Vide *Novitii.*

Secreta Ordinis non manifestanda, 179.

Solitudo quantopere a Religiosis sit amplectenda? 160 et seq.

Sollicitudo Fratrum circa bona Novitiorum, vide *Novitii.* Sollicitudo hujus saeculi a S. P. Franc. prohibita, 525.

Spiritus Regulae seraph., qualis sit? Vide *Regula.* Spiritus Dei, et spiritus devotionis, in quo consistat? 528.

Studium scientiarum, quam necessarium sit? 472. Pro Religiosis generatim, 473. Pro sacerdotibus, 474. Pro praedicatoribus, 475. Pro confessariis, 476 et seq. Pro futuris aliquando praelatis, 477 et seq. Ad

Studia recte instituenda, quaenam requirantur? 480. Studentes Religiosi, quomodo se gerere debeant? 481.

Subornatio in electionibus canonicis, quomodo fiat? 447. Decretum pontificium contra subornantes, ibid. et seq. An tractatus ante electionem sit subornatio? 448.

Substitutus, quis sit juxta expositores Regulae? 202. Substitutus ordinarius quis dicatur? Vide *Pater spiritualis.*

Sudaria an Fratribus professis sint licita? 100. Ex quanam debeant esse materia? ibid.

Superbia, cur a S. P. Francisco Fratribus sit apprime interdicta? 524.

Superfluitas in usu rerum Fratribus interdicta, 303. Vide *Usus.*

Syndicus apostolicus, quis sit? 202. Quis eum eligat? 236. An plures eligi possint? ibid. Syndici potestas qualis sit? 237. Quid sentiendum de Syndico ad mentem Martini V? 238. Quibusnam gratiis et privilegiis gaudeant Syndici apostolici? 240.

T.

Testamentum S. P. Francisci, breviter explicatum, 559 et seq.

Testamenta facere Fratres professos non posse, 291. Testamentis saecularium Fratres se non immisceant, ibid. Testamentales haeredes fieri Fratribus prohibitum, ibid. et seq.

Testimoniales litterae Ordinariorum pro Candidatis Ordinum praescriptae etc. — Vide *Novitii.*

Transitus ab uno Ordine ad alium, an Fratribus Minoribus sit licitus? 91.

Tunica Fratrum professorum, qualis sit? 99. De tunica secunda, 100. Duas tunicas cur S. P. Novitiis concedat? 63. An liceat aliam habere pro hieme, aliam pro aestate? 103. An duas pro mutatione? ibid. et seq. Tunicam etiam in lecto esse gestandam, 105. Quatenus possit ad tempus deponi? ibid. et seq.

U.

Usus juris et usus facti, quale discrimen? 265 et seq. Usus rerum quotuplex? 299. Quis arctus, quis moderatus? ibid. Quibusnam in rebus servandus sit arctus? 300. De usu moderato, et quomodo possit dijudicari? 301. Necessitas pro usu rerum, qualis debeat adesse? 302. Quid in usu rerum vitandum? 303 et seq. Pretiositas rerum, quotuplex? 304. De licentia ad usum rerum requisita, vide *Licentia.*

Utensilia Fratrum, qualia esse debeant? 322. An pro fictilibus suadenda sint stannea? ibid. De utensilibus cellarum, 323. Quid huccirca incumbat Superioribus et Officialibus? ibid.

Uxorati, an et quatenus recipi possint? — Vide *Novitii.*

V.

Vana gloria, Fratribus solerter vitanda, 524.

Vaporiferi currus, an sint liciti Fratribus ad itinerandum? — Vide *Equitare.*

Vestes Novitiorum et Fratrum professorum — Vide *Novitii* et *Professi.* Circa vestes quales Superiores habeant disponendi facultatem? 103 et 104. Vestes debere esse viles, 110 et seq. Quis vilitatem dijudicare debeat? 111 et seq. Vestes Fratrum non nimis sordidae sint, nec nimis nitidae, 114.

Victus Fratrum sit juxta usum moderatum, 316. Quid desuper incumbat Superioribus? 317. Doctrina S. Bonaventurae de victu Fratrum, 318. Paupertatem in victu, quomodo a singulis Religiosis observari oporteat? 319. Quid de potibus exquisitis, Caffè etc., 320 et seq.

Virtutes, quas nominatim S. P. Franciscus Fratribus inculcat, 529.

Visitatio subditorum, quod sit obligatoria, 483. Ministri generales et provinciales — quoties visitare teneantur, ibid. et 489. De Visitatoribus generalibus eorumque potestate, 489. Modus Reverendiss. P. Generalem in visitatione recipiendi, 490 et seq. Modus recipiendi Visitatorem generalem et provincialem, 492. In visitatione, quaenam debeant inquiri, 493. De denuntiationibus in visitatione, 494 et seq. De visitationis conclusione, 502 et seq. — Vide etiam *Correctio, Poenae, Obedientia,* etc.

Vitia a Fratribus Minoribus praeprimis vitanda, 524.

Vocales in Capitulis, quem eligere debeant? 439 et seq. Quaenam debeant respici in dijudicanda dignitate eligendi praelati? 440. Quandonam dignus digniori possit praeferri? 441.

Vota ante professionem esse sumenda, 76. Quoties et a quibus sint sumenda? ibid. et seq. Quanti momenti sit ista votatio, 78. Ad quae in illa Fratres votantes attendere debeant? 79 et seq. Quid ante votationem sit observandum? 82. Quale votum in dubio ferendum? ibid. et seq.

Vota religiosa seu monastica quid importent? 85. Quid speciatim vota juxta Regulam seraphicam in se comprehendant? ibid. et seq.

Z.

Zelus animarum, in Confessariis praeprimis requisitus, 467. Provenire debet ex charitate, ibid. et seq.; et a charitate dirigi, 469 et seq.

ERRATA.

Pag.	36	Nota	1		*pro*	singularum	*lege* singularium.
»	36	»	1		»	transgressione	» fractione.
»	65	lin.	1	a supra	»	assuntum	» assutum.
»	65	»	5	»	»	aurigiae	» aurigae.
»	67	Nota	1		»	n. 4, nota	» pag. 381, nota.
»	69	»	1,	lin. 1 a supra	»	rejicenda	» rejicienda.
»	69	»	1	» 5 »	»	noncupasse	» nuncupasse.
»	69	»	1	» 10 »	»	Audentia	» Audientia.
»	69	»	1	» 5 ab infra	»	abstantibus	» obstantibus.
»	70	»	1	» 3 a supra	»	validatem	» validitatem.
»	70	»	2	» 7 »	»	niminem	» neminem.
»	71	lin.	12	a supra	»	dormitorio	» dormitorium.
»	71	»	6	ab infra	»	quaeterquam	» praeterquam.
»	72	»	4	a supra	»	alia	» alias.
»	72	»	15	»	»	vocationem	» vacationem.
»	72	»	20	»	»	ante actae	» anteactae.
»	72	Nota	1		»	officis	» officinis.
»	74	lin.	11	a supra	»	perveniuntur	» perveniantur.
»	74	Nota	1		»	ceremonias	» caeremonias.
»	77	lin.	7	a supra	»	pussunt	» possunt.
»	80	»	17	»	»	cognitionis	» cognitionibus.
»	82	»	17	»	»	quod reliquos	» quod ad reliquos.
»	85	Nota	1		»	seu prohibitio	» seu non-prohibitio.
»	86	lin.	17	ab infra	»	extinctio	» exstinctio.
»	112	Nota	2		»	Si	» Sic.
»	120	»	1		»	e ita	» ne ita.
»	135	»	2		»	Kasemberger	» Katzenberger.
»	424	»	3		»	ed	» et.

Alia errata prudens lector corrigat.

293.3402
B 939

12736

AUTHOR
Bulsano, Albert

TITLE
Exercitia pernulae FF. Minorum

293.3402
B 939

12736